Collationes Brugenses.

Collationes Brugenses

OPUS PERIODICUM

auctoritate Ill.mi ac Rev.mi Episcopi Brugensis

ET OPERA

RR. DD. Professorum Maj. Sem. Brugen.

EDITUM

Labia sacerdotis custodient scientiam

MAL., II, 7

TOMUS XIX

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

BRUGIS FLANDRORUM

Typis Ad. Maertens-Matthys

MCMXIV

27251

v.19
1914-
19

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XVIII, pag. 659).

—

De donorum Spiritus sancti usu in contemplando, attentis quoque gratiis gratis datis, ad mentem Doctorum mysticorum, præcipue B. Rusbrochii.

Donorum Spiritus sancti, tum in genere, tum singulorum in specie, doctrinam expositam magis scholastice, jam, uti promisimus, complebimus sub respectu mystico, considerando donorum saltem intellectualium usum in contemplando, tum in ordine ad interpretandos atque intelligendos Doctores mysticos, præprimis Rusbrochium, tum in ordine ad exercendam divinam contemplationem.

Quod ut rite fiat, in mentem prius revocanda est paululumque evolvenda notio contemplationis, qua de agitur, supra jam obiter tradita (1), adjectis suo loco necessariis documentis de charismatibus seu gratiis gratis datis quæ in contemplatione occurrere possunt.

Contemplatio divina, de qua nunc agimus, non ea est

(1) Tom. XVIII, p. 121-123 (coll. tom. XVII, p. 496).

quæ fit solis viribus rationis atque *naturalis* (1) vocatur et est, etiamsi Deum veritatesque divinas pro objecto habeat, sive ut ratione attingi possunt, sive, quod fieri potest, ut revelatione positiva innotescunt. Quod enim objectum hoc eatenus supernaturale dici potest, quatenus supernaturali revelatione sola cognoscitur, id non efficit ut supernaturalis sit contemplatio, imo nec id quod gratiæ sanantis, non elevantis, auxilio aliquando perficiatur; sed, præter ea quæ ex parte objecti requiri possunt, omnino necesse est ut et subjectum contemplans sit supernaturaliter elevatum, elevatisque viribus contempletur.

Porro, diversis modis in ordine ad contemplandum elevari potest subjectum.

Primo quidem, potest homo contemplator esse ditatus ac instructus gratia sanctificante, eique annexis virtutibus infusis atque donis Spiritus sancti, ita ut his donis ad intellectum pertinentibus prompte sequi possit motiones illustrationesque Spiritus sancti, se accommodantis ordini naturæ elevatæ et agentis secundum leges ordinarias gratiæ, et sic, via ordinaria, propria activitate supernaturaliter elevata contemplationem divinam magis exerceat, quam a Spiritu sancto recipiat infusam, de qua statim.

Hæc prima contemplatio merito *supernaturalis* dicitur, contradistincta a naturali, ut supra, non tamen dicitur infusa.

Secundo, fieri potest ut contemplatorem, iisdem illis donis gratiæ gratum facientis instructum, Spiritus sanctus moveat modo extraordinario per aliquod charisma seu gratiam gratis datam, ita ut contemplatio magis recipiatur quam active exerceatur, et contemplator quodammodo potius passivus sit seu divina patiatur quam agat, quamquam intellectus, utpote potentia vitalis, mere passivus esse nequit.

---

(1) Aptius quam *acquisita*, vid. l. c., p. 121, cum nota (1).

Hæc contemplatio quasi duplici titulo supernaturalis merito dicitur: tum quia infusa dona Spiritus sancti, aliquatenus roborata, si necesse sit, manent etiam hujus principia elicitiva contemplationis, tum quia in exercitium exeunt sub motione, non ordinaria, sed extraordinaria Spiritus sancti per charisma aliquod seu gratiam gratis datam. Contemplativa hæc operatio non tantum intrinsece supernaturalis est quoad modum operandi, quatenus vere supernaturali modo a potentia elevata elicitur actus, qualis a natura naturali modo effici posset; sed ipsa substantia actus ita transcendit facultatem creatam, vel saltem humanam, ut nullus in ordine naturæ ei respondeat similis actus naturali modo exercitus. Ita, v. g., cum conceditur transeunter Dei visio, vel cognitio prophetica, qua veritas aliqua divina nulli creaturæ cognoscibilis apprehenditur; aut, cum infunduntur species intelligibiles a Deo, quod angelo quidem, non vero homini in statu unionis animæ cum corpore, naturale est. Ad hæc pertinet quod observat S. Thomas: « Omne donum gratiæ hominem elevat ad aliquid quod est supra naturam humanam. Quod quidem potest esse dupliciter. Uno modo, quantum ad substantiam actus, sicut miracula facere et cognoscere occulta et incerta divinæ sapientiæ. Et ad hos actus non datur homini donum gratiæ habituale. Alio modo est aliquid supra naturam humanam quantum ad modum actus, non autem quantum ad substantiam ipsius, sicut diligere Deum et cognoscere eum in speculo creaturarum; et ad hoc datur donum gratiæ habituale (1). »

Hæc contemplatio quasi passiva quoque supernaturalis est, idque duplici titulo. Ut autem distinguatur a præcedente, quæ magis activa est etiamque supernaturalis, merito vocari potest quasi passiva et *infusa*, quamvis sensu stricto nulla est infusa ad modum quo infunduntur dona et virtutes nobis non operantibus.

---

(1) 2, 2, q. 171, a. 2, ad 3m.

Tandem tertio, nihil prohibet Spiritum sanctum mere transeunter elevare intellectum ad contemplandum, etiam in illo qui gratia sanctificante cæterisque habitibus annexis caret, solo charismate, quod non repugnat dari etiam illi qui charitatem non habet, ut mox videbimus. Quando principium contemplationis elicitivum est habituale, simul cum illo concurrit ad contemplationem motio specialis Spiritus sancti, sive ordinaria, sive extraordinaria per charisma, ut supra; quando vero hujusmodi principium deest, charisma actuale et transiens, simul elevat intellectum ad actum contemplationis supernaturalis ut sit potens illum elicere, et applicat ad agendum, dans posse et agere, et ex parte objecti species intelligibiles excitantur, vel ordinantur, vel de novo infunduntur, vel nobiliori modo supplentur; quemadmodum fit v. g. in cognitione prophetica.

Sermo noster hic est de contemplatione supernaturali hominis justi, habitualiter elevati gratia, virtutibus et donis, tum ordinaria seu magis activa, tum extraordinaria seu quasi passiva et infusa.

Ut data notitia clarescat amplius, haud inutile erit, cum hucusque locuti simus de actu contemplativo, verbulum addere de habitu contemplationis, quærendo nempe an et cujus naturæ sit aliquis habitus contemplativus.

Jamvero, sicut sæpe studendo mentemque applicando veritatibus fidei acquiri potest scientia theologica, ita sæpe se accingendo ad contemplationem Dei rerumque divinarum activam, sive naturalem, sive supernaturalem, acquiri potest quidam contemplandi habitus, qui tamen, sicuti scientia theologiæ, non erit nisi habitus naturalis, etiamsi actus contemplandi supernaturaliter veraque oratione mentali exerceantur, quemadmodum si studium theologiæ fiat ita pie ut sit continuata consideratio atque meditatio supernaturalis veritatum divinarum, nihilominus habitus scientiæ acquisitus erit solummodo naturalis. Idem valet ac de acquisitione

virtutum: actus repetiti, etiamsi supernaturales imo et ex habitu infuso eliciti, efficere nequeunt ut habitus supernaturalis acquiratur, qui semper est per se infusus, datque ipsam potentiam proximam agendi supernaturaliter ideoque semi-potentia dicitur, dum habitus naturalis non attingit substantiam actus, sed solum modum agendi, ut prompte, constanter ac delectabiliter actus ponatur, et habitui supernaturali seu infuso, si simul adest, facilitas exercitii accedat.

Igitur, in hunc modum potest esse aliquis habitus contemplandi mere naturalis, et vere acquisitus sicque merito vocandus, meliori jure quam contemplatio naturalis supra definita diceretur acquisita (1). De contemplativi habitus utilitate postea dicemus.

Quæri heic posset utrum non possit habitus contemplandi, naturalis in se manens, infundi per accidens, sicuti scientiæ theologicæ vel alius cujuscumque habitus per accidens infundi potest a Deo, ita quod hæc scientia per accidens infusa est in se naturalis, supernaturalis solummodo quoad acquirendi modum. Ad hoc quæsitum respondemus nihil in hoc, nostra quidem sententia, repugnare.

Ex his videmus posse nos propria activitate duobus modis contemplari Deum atque divina, et similiter duobus modis nos studio sacræ theologiæ applicare, videlicet vel mere naturaliter, vel et supernaturaliter ita ut contemplatio, sicut et studium, sit verum piumque orandi exercitium (2). Quidni eligeremus semper hunc

---

(1) Cf. rursum tom. XVIII, p. 121 cum nota (1).

(2) Qui aliam ullam, præter dictam infusam, negant supernaturalem esse contemplationem, ad hoc non attendunt quod similiter omnem considerationem ac meditationem piam, quæ tamen vere oratio mentalis est, negare debent esse supernaturalem. Cæterum hac in re non pauci satis confuse loquuntur: scilicet quidam duas tantum contemplationis species distinguunt, aliam naturalem, quam etiam (minus apte, ut sæpius jam diximus) acquisitam appellant, et aliam supernaturalem, quam quoque infusam vocant. De hac autem agentes, principium ejusdem elicitivum esse asserunt aliquando donum aliquod Spiritus sancti, scientiam

alterum modum, utendo, etiam in studio, pretiosis donis Spiritus sancti, sicuti hæc in contemplatione utraque supernaturali principia sunt elicitiva istius contemplationis.

Quod contemplationem infusam attinet, nullus habitus, ut ex dictis intelligitur, sive acquisitus, quod patet, sive infusus per accidens, quod æque apertum est, principium esse potest elicitivum contemplationis quasi passivæ seu infusæ. Sed neque alius habitus per se infusus eam elicit, præter dona supernaturalia omni justo infusa; nam gratiæ gratis datæ non sunt habitus, ut videbimus dicendo nunc breviter de illis charismatibus, et jam modo supra notavimus ex S. Thoma.

Igitur, antequam pergamus in describenda contemplatione supernaturali, necesse est aliquam notitiam dare gratiarum gratis datarum, quatenus ad eam contemplationem supernaturalem concurrunt quæ infusa vocatur.

Charisma seu gratia gratis data, contradistincta a gratia gratum faciente, est donum supernaturale gratuito et transeunter a Deo homini concessum atque de se ordinatum ad sanctificationem aliorum ac utilitatem publicam Ecclesiæ.

Ex parte Dei est operatio quædam specialis tran-

---

nempe, sapientiam aut intellectum, aliquando principium altius seu gratiam gratis datam aut et lumen gloriæ transeunter concessum. Ast, si principium elicitivum est donum aliquod ordinarium Spiritus sancti, quod in omni justo est, quid impedit motionem quoque Spiritus sancti ordinariam esse, et contemplationem esse vere activam usu ordinario donorum Spiritus sancti, et tamen vere supernaturalem? Si vero gratia gratis data actualiter movet Spiritus sanctus contemplatorem, merito hæc contemplatio quasi passiva dicetur infusa, et distincta erit a præcedente etsi principia ejus elicitiva habitualia erunt quoque dona Spiritus sancti. Præterea, charismata, utpote non per se sanctificantia, necessaria non sunt ad salutem neque ad perfectionem; adeoque nec contemplatio illa infusa qualem definivimus, licet statui perfectorum maxime congruat. Atqui vix intelligitur iste status perfectorum absque contemplatione supernaturali. Ergo merito concludes aliam esse hujusmodi contemplationem præter illam infusam.

seunter seu actualiter elevans aliquam hominis potentiam supra naturam suam vel et supra omnem naturam creatam, causans in ea potentia effectum seu actum præternaturalem vel et absolute supernaturalem, ordinatum de se ad sanctificationem aliorum et utilitatem communem Ecclesiæ.

Distinguitur ergo a gratia gratum faciente, et primo quidem actuali, quæ datur ad actus supernaturales ponendos in ordine ad propriam justificationem, vel in jam justificato ad opera sancta et meritoria. Secundo vero, a gratia sanctificante, virtutibus infusis et donis Spiritus sancti distinguitur dupliciter: tum quia hi sunt habitus infusi, dum illa non est habitus sed in modum actus transeuntis conceditur; tum quia isti habitus sanctificant habentem vel et ad opera supernaturalia sanctificantia et meritoria efficienda ordinantur, dum illa ordinatur de se ad sanctificationem proximorum et Ecclesiæ utilitatem. Quod tamen intelligendum est formaliter, ut supra de dono sapientiæ agentes jam notavimus cum Cajetano, videlicet ordinatio illa ad aliorum sanctificationem importat quod non sint per se sanctificantia ea charismata, et concedi possint etiam illi qui gratia habituali et charitate caret, sed non impedit quin bono usu habentis in propriam hujus sanctificationem et utilitatem convertantur, sicuti ad aliorum utilitatem ordinata sunt. Ita cognitio prophetica divinarum veritatum v. g. in utilitatem aliorum et Ecclesiæ percepta, nihil prohibet quin convertatur a percipiente eadem divina in propriam quoque sanctificationem. Sic etiam qui contemplatione infusa ditatur, etsi ea ipsa non fit sanctus aut sanctior quam antea, illa tamen bene utens sanctificationem suam efficaciter promovere potest, et profecto eadem donum Dei est pretiosissimum et multum optabile (1).

---

(1) Hoc dictum non pugnat cum doctrina communi Mysticorum qua asserunt non licere gratias gratis datas sibi optare, quod esset superbiæ

Porro, conceditur gratia gratis data omnino gratuito, id est, absque ullo merito recipientis, ita quod nec justus quomodolibet mereri possit eam recipere aut receptam retinere vel augere; et pro solo libitu divinæ voluntatis, ex nulla prævia ordinatione seu promissione divina, ita ut Deus eam conferat liberrime cui, quando et quomodo vult.

Quod autem non conferatur in modum habitus sed transeunter tantum (1) ostendit S. Thomas, agendo de cognitione prophetica, quæ quidem ad rem nostram omnino pertinet, siquidem de solis charismatibus agendum habemus quæ ad intellectum ac contemplationem spectant. Cur ergo charisma intellectuale non sit habitus : « Ratio est, *ait S. Thomas* (2), quia lumen intellectuale in aliquo existens per modum formæ permanentis et perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoscendum principium illorum quæ per illud lumen manifestantur : sicut per lumen intellectus agentis, præcipue intellectus cognoscit prima principia omnium illorum

---

conjectura : hoc enim intelligunt de charismatibus formaliter qua talibus et in seipsis consideratis ; dictum vero nostrum intelligendum est de effectu sanctificationis eorumdem, et sub hypothesi quod ea Deus concesserit. Præterea, cognitio prophetica, sub qua comprehendi possunt omnia charismata ad cognitionem pertinentia, aliquam latitudinem habet, ita ut sensu stricto sit vere gratia gratis data, latiore vero sensu sit aliquid imperfectum in ratione prophetiæ et non proprie charisma : sic autem complectitur illustrationes et inspirationes quasdam speciales Spiritus sancti, quæ, ut videbimus, contemplationem supernaturalem activam propius accedere faciunt ad infusam, qualem definivimus.

(1) Id valet, ut ex dictis elucebit, saltem de charismatibus ad intellectum seu cognitionem spectantibus, imo et de cæteris, ut de gratia miraculorum (vid. S. Thomam, 2. 2, q. 178, a. 1, ad 1m) sub qua reducitur gratia sanitatum, quæ duæ pertinent ad operationem ; item de iis quæ ad locutionem spectant in quantum cognitionem divinorum includunt. Unde excipitur donum linguarum, quod « se extendit ad cognitionem quamdam particularem [non ad omnia supernaturalia cognoscenda, sicut revelatio prophetica], scilicet vocum humanarum, et ideo non repugnat imperfectioni hujus vitæ quod perfecte et habitualiter habeatur ». (Ita S. Thomas, 2. 2, q. 176, a. 2, ad 3m).

(2) 2. 2, q. 171, a. 2 corp.

quæ naturaliter cognoscuntur. Principium autem eorum quæ ad supernaturalem cognitionem pertinent, quæ per prophetiam manifestantur, est ipse Deus, qui per essentiam a prophetis non videtur. Videtur autem a Beatis in patria, in quibus hujusmodi lumen inest per modum cujusdam formæ permanentis et perfectæ... Relinquitur ergo quod lumen propheticum insit animæ prophetæ per modum cujusdam passionis vel impressionis transeuntis. »

S. Paulus, 1 *Cor.*, XII, 8 et sqq., enumerat gratias gratis datas novem, quarum notionem concinne et accurate exponit, pro more suo, Beelen in h. l. Observat autem S. Thomas, quod inter illas « quædam earum pertinent ad cognitionem, quædam vero ad locutionem, quædam vero ad operationem (1). » Prima sola vel saltem præcipue ad præsentem nostram tractationem, ut patet, pertinent. Pergit S. Thomas : « Omnia vero quæ ad cognitionem pertinent, sub *prophetia* comprehendi possunt. Nam prophetica revelatio se extendit non solum ad futuros hominum eventus, sed etiam ad res divinas : et quantum ad ea quæ proponuntur omnibus credenda, quæ pertinent ad *fidem* (2); et quantum ad altiora mysteria quæ sunt perfectorum, quæ pertinent ad *sapientiam* (3). Est etiam prophetica revelatio de his

---

(1) 2. 2, q. 171, initio quæstionis.

(2) « Fides non numeratur hic inter gratias gratis datas, secundum quod est quædam virtus justificans hominem in seipso, sed secundum hoc, quod importat quamdam supereminentem certitudinem fidei, ex qua homo sit idoneus ad instruendum alios de his quæ ad fidem pertinent ». (S. Thomas, 1. 2, q. 111, a. 4, ad 2m). Beelen interpretatur *fidem* inter charismata ab Apostolo enumerata, et rectius ut videtur, de fide miraculorum seu firma supernaturali fiducia in Dei omnipotentia.

(3) Sapientia, sicut infra scientia, non sumuntur hic ut sunt dona Spiritus sancti, sed ut gratiæ gratis datæ : « prout scilicet aliquis abundat in tantum in cognitione rerum divinarum et humanarum, ut possit etiam fideles instruere et adversarios confundere, et sic loquitur ibi Apostolus de sapientia et scientia, unde signanter fit mentio de *Sermone* sapientiæ et scientiæ ». (S. Thomas, 1, 2, q. 68, a. 5, ad 1m). Et cf. 1. 2, q. 111, a. 4, ad 4m.

quæ pertinent ad spirituales substantias, a quibus vel ad bonum vel ad malum inducimur: quod pertinet ad *discretionem spirituum*. Extendit etiam se ad discretionem humanorum actuum, quod pertinet ad *scientiam* (1)... Et ideo primo occurrit considerandum de prophetia, et de raptu qui est quidam prophetiæ gradus. »

Igitur, nihil hic dicendum est de gratiis gratis datis ad operationem pertinentibus; de illis vero quæ ad locutionem spectant, solummodo agendum est in quantum pertinent quoque ad cognitionem ratione luminis a Deo accepti, ut sermo *scientiæ* et *sapientiæ*, atque *interpretatio* sermonum.

Quum autem omnia charismata ad cognitionem pertinentia sub prophetia comprehendi possint, ut modo supra ostendebat S. Thomas, sufficit solam cognitionem propheticam considerare, quam fusius explicat idem S. Doctor 2. 2, q. 171-175. Atqui hujus doctrinam nos quoque brevi compendio jam exposuimus in *Medit. theol.* (2), ad quem locum proinde remittimus lectorem. Ibi inveniet quæ sufficiunt ad hoc, ut rite intelligat quæ

---

(1) In nota præcedente indicavimus ex S. Thoma quomodo scientia, sicut et sapientia, in quantum gratiæ gratis datæ, differant a donis Spiritus sancti ejusdem nominis. Id de scientia alio quoque loco, nempe 2. 2, q. 9, a. 1, ad 2m, ostendit idem S. Doctor, quem locum recitavimus agendo de dono scientiæ, tomo XVIII, p. 477. — Ibidem, p. 478 diximus: scientiam theologicam infusam non differre natura ac origine a scientia gratis data. Hoc quidem verum est, si agatur de scientia infusa *per se*, adeoque et de scientia transeunter infusa, non de habitu, qualis esse potest sola scientia theologica *per accidens* infusa, seu habitus in se naturalis, supernaturalis tantum quoad modum. Juxta hæc corrigendum est quod ibidem addidimus : etiam sic distingui gratiam gratis datam tum a scientia infusa, tum a dono scientiæ, quatenus nempe hi sunt habitus, illa vero in modum luminis transeuntis tantum conceditur. Etenim hoc modo non distinguitur gratia gratis data cognitionis propheticæ a scientia infusa *per se*, sed solo objecto seu potius majori vel minori objecti amplitudine distingui possunt. Ex hac parte habitus, distinctio inter gratiam gratis datam et scientiam infusam solummodo est, si hæc intelligatur de infusa *per accidens*, quæ sola in modum habitus infundi potest.

(2) In edit. gallica, tomo I, pag. 91 et sqq., præsertim num. 61 et sqq.; Apud *Collat. Brug.*, tom. II, pag. 298 et sqq.

de contemplatione supernaturali dicenda remanent. Cæterum, ad doctrinam D. Thomæ ibi expositam appellabimus, diversaque puncta explicabimus, ubicumque necessarium vel utile visum erit.

Jam naturam contemplationis supernaturalis, sive activæ, sive infusæ, quales definivimus, in justo per viam illuminativam ad perfectionem progrediente, vel jam in via unitiva constituto, ulterius investigabimus considerando utramque contemplationem supernaturalem tum ex parte subjecti proximi, id est, intellectus elevati, tum ex parte objecti necnon medii in quo perficitur contemplatio. Sic in concreto magis et quasi in actu videbimus functionem donorum Spiritus sancti, quæ antea singilatim in abstracto potius explicavimus.

Itaque intellectus in justo est supernaturaliter elevatus, primo quidem per habitum theologicum fidei, eumque charitate formatum. Hac fide intellectus inhæret primæ Veritati, quæ est objectum princeps contemplationis, et hoc modo jam ex parte objecti quod ostendit, fides est fundamentum et radix contemplationis supernaturalis. Quia vero Veritas prima est etiam finis propter quem operamur, ideo fides est fundamentum et radix omnis operationis supernaturalis (1). Quoniam autem fides in intellectu justi est charitate formata, idcirco firmius inhæret intellectus primæ Veritati, et Deo ultimo fini vere unitur. Porro: « anima hominis non movetur a Spiritu sancto, nisi ei secundum aliquem modum uniatur, sicut instrumentum non movetur ab artifice nisi per contactum vel per aliquam aliam unionem. Prima autem unio hominis est per fidem, spem et

(1) Quod non ita intellige ac si fides formalis sit prima gratia, sed quod fides, non seorsim formalis sed integre sumpta, cum gratiis et actibus cum illis gratiis positis quæ ad fidem formalem requiruntur et conducunt, est vere initium salutis, fundamentum et radix omnis justificationis; et porro in justificato manet fides formalis ac charitate formata fundamentum et radix omnis operationis supernaturalis, cum nullum esse possit opus salutare nec meritorium, nisi ex motivo fidei fiat.

charitatem. Unde istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum : unde omnia dona pertinent ad has tres virtutes sicut quædam derivationes prædictarum virtutum. » Ita S. Thomas (1), qui eamdem doctrinam sæpius repetit: « Dona Spiritus sancti sunt principia virtutum intellectualium et moralium... Sed virtutes theologicæ sunt principia donorum (2). »

Item: « Eadem videtur esse comparatio donorum ad virtutes theologicas, per quas homo unitur Spiritui sancto moventi, sicut virtutum moralium ad intellectuales, per quas perficitur ratio, quæ est virtutum moralium motiva. Unde sicut virtutes intellectuales præferuntur virtutibus moralibus et regulant eas, ita virtutes theologicæ præferuntur donis Spiritus sancti et regulant ea (3). » Rursum: « Omnia dona ad perfectionem theologicarum virtutum ordinantur sicut ad finem. Et ideo non est inconveniens si diversa dona ad unam virtutem theologicam ordinentur (4). »

Igitur ad gratiam sanctificantem et virtutes theologicas consequuntur dona, quæ respectu quidem virtutum intellectualium et moralium infusarum sese habent ut formæ perficientes easdem virtutes in ordine ad operationem supernaturalem, respectu vero virtutum theologicarum non ut formæ perficientes sed tamquam organa in istis virtutibus radicata et ab eis regulata, atque ordinata ad earum perfectionem tamquam ad finem. Et hoc quidem modo respondent et deserviunt indirecte et remote omnia dona virtutibus theologicis plus minusve; directe vero et immediate alii virtuti theologicæ alia dona Spiritus sancti, pro diversa natura

---

(1) 1. 2, q. 68, a. 4, ad 3m.

(2) 2. 2, q. 19, a. 9, ad 4m. — Et charitas quidem « est radix omnium donorum et virtutum » (2. 2, q. 139, a. 2, ad 2m), omniumque virtutum forma (effective) 2. 2, q. 23, a. 8, ad 1m.

(3) 1. 2, q. 68, a. 8, in corp.

(4) 2. 2, q. 9, a. 1, ad 3m.

illarum virtutum illorumque donorum. Sic virtuti fidei, quæ est in intellectu tamquam in subjecto non respondent directe et immediate nisi dona intellectualia, et in ordine quidem ad contemplationem, quæ est rationis speculativæ, illa dona intellectualia quæ vel directe ad solam speculationem pertinent, ut est donum intellectus, vel principaliter in speculatione consistunt, ut sunt dona scientiæ necnon sapientiæ, juxta S. Thomam, vel saltem aliquo modo simul speculationem et praxim respiciunt, ut sunt ex sententia S. Bonaventuræ eadem dona scientiæ et sapientiæ (1). Et donum quidem intellectus annectunt omnes specialiter virtuti fidei, ut vidimus, donum quoque scientiæ S. Thomas, dum Seraphicus cum B. Alberto M. donum scientiæ sub ratione practica principaliter considerantes, illud ad prudentiam, quam ut forma perficiat, referunt. Quod donum sapientiæ attinet, id specialiter respondere consentiunt omnes charitati, quatenus ad utrumque, affectum nempe et cognitionem, pertinet, magis vero ad affectum, ut vult Bonaventura cum Alberto; vel quatenus causam quidem habet in voluntate seu affectu, scilicet charitatem, essentiam vero habet in intellectu, ut tenet S. Thomas. Quidquid de hoc dicatur, nihil impedit, ut manifestum est, donum sapientiæ ut organum, in ordine ad contemplationem, pertinere ad fidem charitate formatam; idque ex eo magis elucet, quod, docente S. Thoma ut supra, rectum judicium circa res divinas, qui proprius ab eo dicitur actus doni sapientiæ, sit ex sympathia seu

(1) Donum consilii, etsi intellectuale, proprie est de his quæ sunt utilia ad finem, spectatque ad directionem actuum virtutum. Proinde non directe nec proxime ad contemplationem refertur; quod a fortiori de donis non intellectualibus valet. Quomodo vero donum consilii indirecte ac remote pertineat ad contemplationem, supra explicavimus agentes de hoc dono, præprimis doctrinam Bonaventuræ et Rusbrochii exponentes. Quomodo tandem dona etiam quæ ad appetitum pertinent remotius aliquid conferunt ad contemplationem, facile intelligitur ex singulorum notione supra tradita, imprimis ex eorum functionibus et singulariter functione sexta juxta recitatam doctrinam Seraphici.

connaturalitate ad res divinas, quæ habetur ex charitate; et, monente Cajetano, actus qui spectant ad dona intellectualia non sunt perfecti ita a fide, quin egeant donorum perfectione, quibus cum eliciuntur, non alii sed alio modo, ut scilicet oriuntur ex instinctu Spiritus sancti, eliciuntur; et sic dicitur a sapientiæ dono elici judicium secundum quamdam connaturalitatem ad divina. Ex eodem Cajetano quoque nota dona primo respicere actus qui secundario respiciuntur a virtutibus. Et sic nullum donum ponitur pro assensu, qui primo est fidei; sed pro aliis actibus secundariis, ut explicavimus agentes de donis et rursum ibidem dicta applicando dicemus. Sic virtutibus accedentia dona animam perfectam reddunt ad opera supernaturalia proxime et complete (1).

Igitur rem in concreto jam considerando, contemplationi supernaturali, qua de agimus, necessario prævia supponitur virtus fidei theologicæ, charitate formatæ, instar fundamenti et radicis, non tantum ex parte objecti, ut ostendens contemplationis objectum, sed etiam ex parte subjecti, utpote cujus primo et proprius actus est assensus Veritati primæ; cujus dein sunt actus secundarii, quos primo respiciunt habitus donorum: videlicet, tum discernere credenda a non credendis, ad quod, movente Spiritu sancto, spectat donum scientiæ; tum credita ulterius intellectu penetrare, quod movente Spiritu sancto efficit donum intellectus (2), proin inter primaria principia elicitiva contemplationis numerandum, cum dono sapientiæ. Etenim ad hoc etiam sapientiæ donum pertinet res creditas secundum seipsas scire ac contemplari per quamdam unionem ad ipsas, ut loquitur S. Thomas (3), unde respondet magis charitati

(1) Ad hæc et sequentia rite intelligenda, relege quæ de sapientiæ dono exposuimus, necnon de aliis donis intellectualibus.

(2) Vid. supra, tom. XVIII. pag. 476-477.

(3) Cf. supra, tom. XVIII, pag. 479.

donum sapientiæ, sed et fidei inquantum charitate formatæ. Donum quoque scientiæ, præter supradictum actum, et alium habet, scilicet per res creatas Deum cognoscere (1), atque eatenus ad contemplationem et ipsum pertinet.

En igitur, inspiciendo contemplationem supernaturalem ex parte subjecti, habitus supernaturales intellectuales quæ sunt principia formalia proxime elicitiva ejusdem contemplationes: nempe, dona scientiæ, intellectus et sapientiæ, semper supposita fide charitate formata, in qua fundantur et radicantur, et a qua regulantur. Porro hæc dona, sicut et reliqua dona Spiritus sancti, quamquam sunt singula specie distincta et circa objecta diversa versantur, non debent, ut ex universa disputatione de donis manifestum est, considerari ut in eodem subjecto divisa et separatim agentia, sed ut sociata vel et combinata ad invicem, ita ut mutuo influxu sibi invicem adjumento sint ad perfectiorem operationem.

Sed jam consideranda nunc venit ipsa motio Spiritus sancti, cui per dona prompte obeditur. Hæc autem motio est in duplici differentia: alia ordinaria est, alia extraordinaria; et pro hac differentia motionis, dona quoque duplici diverso modo in exercitium veniunt, atque pariter, quod contemplationem supernaturalem attinet, ea dupliciter distinguitur, scilicet in activam, et in passivam magis seu infusam, ut supra.

Spiritus sanctus, in ordine ad divinam contemplationem, mentem movere potest illustrationibus atque inspirationibus secundum communem supernaturalis providentiæ ordinem, sicuti ad agenda movere potest ea quæ rationis dictamini communibus fidei regulis illustratæ subjacent; et hæc est via ordinaria. Tunc contemplatio erit activa, nostro conatu et industria effecta, attamen supernaturalis, utpote, movente Spiritu sancto, donis ejusdem Spiritus tamquam formalibus et

(1) Vid. l. modo cit.

proximis principiis elicita, de qua nihil nunc addendum est.

Unum tamen merito animadvertendum occurrit. Videlicet, distinctio inter hanc viam ordinariam, et extraordinariam per gratias gratis datas non videtur consistere omnino in indivisibili; et quod charismata ad cognitionem spectantia attinet, potest esse aliquid imperfectum in genere prophetiæ, ut ait S. Thomas (1), qui exemplum affert præcise in instinctu quodam « quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur », quemque contradistinguit ab expressa revelatione prophetica, de qua propheta maximam certitudinem habet esse divinam, dum « ad ea quæ cognoscit per instinctum, aliquando sic se habet ut non plene discernere possit, utrum hæc cogitaverit aliquo instinctu divino vel per spiritum proprium. Non autem omnia quæ cognoscimus divino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur. Talis enim instinctus est quiddam imperfectum in genere prophetiæ. »

His positis, haud incongrue asseri posse videtur inspirationes et locutiones divinas ad animam, quin defectu certitudinis illius supra indigitatæ naturam charismatis induant, posse tamen esse tales tamque sublimes, atque ita efficaciter movere posse habitus donorum, ut contemplatio activa propius accedat ad infusam, quemadmodum supra insinuavimus (2). Idque minus mirandum est in contemplatione activa justi jam in sanctitate progresso, in quo, pro augmento gratiæ sanctificantis et charitatis, habitus quoque donorum augmento crescunt et perficiuntur. Præterea hujusmodi homo sanctus vix intelligitur nisi sublimis contemplator, dum aliunde necessaria dici nequeunt charismata ad sublimem etiam sanctitatem.

---

(1) 2. 2. q. 171, a. 5, in corp.

(2) Hoc tomo, pag. 11, nota (1), et tom. XVIII, p. 122-123 cum nota (1).

Alia est motio Spiritus sancti extraordinaria, scilicet per charismata seu gratias gratis datas.

Quidam hac in re confuse atque inaccurate loquuntur, ita ut ansam præbeant dubiis et erroribus, quibus eliminandis statim ab initio invigilare oportet. Videlicet, agentes de principiis elicitivis contemplationis supernaturalis, quam ex prima jam confusione aliam non admittunt nisi eam quæ infusa dicitur, hujus principia elicitiva esse dicunt aliquando donum scientiæ, aliquando intellectus aut sapientiæ, aliquando principium donis altius, per quod intelligunt inter alia gratias quasdam gratis datas, nempe ad cognitionem pertinentes. Atvero non attendunt dona esse quidem reapse principia elicitiva habitualia contemplationis supernaturalis, tum activæ tum infusæ, etiamque tum cum dantur charismata; gratias vero gratis datas non esse habitus, neque proprie, saltem in justo, principia elicitiva contemplationis, sed potius ad motionem spectare Spiritus sancti, cui dona ceu principia habitualia elicitiva contemplationis prompte obediunt. Quod gratiæ gratis datæ ad cognitionem contemplationemque pertinentes non sunt habitus, ex ipsa notione harum gratiarum supra tradita manifestum est. Quod saltem in justo non sunt proprie principia elicitiva contemplationis ex eo perspicitur quod ea principia elicitiva sunt dona. Dicimus autem : *saltem in justo,* et: *proprie,* quia agnoscimus gratias gratis datas in ordine ad contemplationem posse a Deo concedi etiam non justo, quo casu simul movendo elevat transeunter charisma intellectum contemplantis, ut notavimus (1); ast, nec tum illud charisma, etsi principium elevans intellectum, dici potest proprie principium eliciens contemplationis, cum hoc principium sit potius intellectus transeunter elevatus, dum habitus donorum in justo proprie sunt principia proxime elicitiva contemplationis, eaque sola, etiam in contemplatione infusa

(1) Supra, pag. 8.

ubi gratia gratis data concurrit. Hæc enim, etiamsi efficacius excitet dona eaque quadamtenus roboret (1), non tamen vel eo titulo principium elicitivum quam potius motionem actualem extraordinariam Spiritus sancti importat.

Ex his ultro intelligis discrimen inter utramque contemplationem supernaturalem, nempe activam et eam quæ infusa dicitur, non esse ex parte principii elicitivi harum contemplationem, quod idem est in utraque, scilicet dona intellectualia scientiæ, intellectus et sapientiæ, in virtute divina fidei radicata; sed essentiale discrimen esse in modo diverso quo in exercitium veniunt illa dona, pro diversa motione Spiritus sancti ordinaria, vel extraordinaria per charismata. In illa movet Spiritus sanctus conformiter ad proprium nostrum operandi modum; in hac elevat animam ad operationes quæ etiam quoad substantiam transcendunt humanam facultatem (2). Et hæc differentia rursum non se habet ex parte principii elicitivi contemplationis, sed ex parte medii in quo contemplatio perficitur, quod quidem medium non respicit subjectum contemplans, sed objectum contemplationis.

Itaque verbulum addamus de medio in quo contemplatio supernaturalis utraque perficitur.

Operatio intellectus pendet a duobus: a lumine intellectuali, et ab objecto prout intelligibiliter unitur intellectui. Jamvero, in utraque contemplatione movet Spiritus sanctus ad contemplandum secundum speciale lumen donorum; sed ex parte objecti seu speciei intelligibilis est essentiale discrimen inter contemplationem activam, et eam quam dicimus infusam. Cum enim in illa species intelligibiles consueto ac naturali modo in usum veniunt, contra in hac Deus immediata sua actione species in mente imprimit, vel saltem ordinat

(1) Cf. supra pag. 7.
(2) Cf. supra, pag. eamdem 7.

sine operatione nostra, imo vel novas longe diversas ab illis quas a phantasmatibus naturaliter acquirimus infundit, similes illis quibus angeli vel animæ separatæ intelligunt (1). Huc spectant visiones rerum cœlestium, sive corporales, sive imaginariæ, sive pure intellectuales, item divinæ locutiones per verba vel successiva, vel formalia, vel substantialia, ut ajunt (2), necnon revelationes divinæ, atque tactus Dei in anima qui quidem in voluntate recipiuntur, redundant vero in intellectu; de quibus agunt Doctores mystici, et quæ omnia vel pertinent ut imperfectum aliquid et initiale ad cognitionem propheticam, vel eam etiam perfectam constituunt, de qua latius agit S. Thomas (3), cujus doctrinam compendio exhibuimus olim in *Medit. theol.* (4).

Hæc contemplatio infusa seu extraordinaria per gratias gratis datas, quæ omnes ad cognitionem propheticam reduci possunt, alia non est ac oratio quam vocant *quietis*, *unionis simplicis*, *unionis extaticæ*, *unionis consummatæ*, quæ omnes orationis species sub nomine generico contemplationis infusæ veniunt, quasque explicant, aliis nonnumquam subdistinctionibus ac nominibus additis, theologi mystici et præprimis Sancti contemplatores rem experti, inter quos eminet Sancta Theresia, et ad quos remittimus lectorem; non enim intentum nostrum est universam theologiam mysticam exponere.

Finem facimus, uno verbo indigitando objectum materiale contemplationis, quod commune est utrique contemplationi supernaturali, activæ nempe et quasi

---

(1) Cf. S. Thomam, in II, dist. 23, q. 2, a. 1.

(2) Verba successiva vocant quosdam discursus internos ab anima formatos sub speciali directione Dei. Verba formalia sunt vere ac distincte divinitus expressa et mere percepta a contemplante. Verba substantialia intelligunt divina verba efficacia, quæ nempe id quod significant simul causant.

(3) 2. 2, q. 171 et sqq.

(4) Tom. I, p. 91 et ss.; apud *Collat. Brug.*, tom. II, pag. 298 et sqq.

passivæ seu infusæ; et practice concludendo hanc nostram elucubrationem, dicendo quædam de modo perveniendi ad divinam contemplationem descriptam.

Objectum contemplationis sunt tum res creatæ in quantum ordinem dicunt ad Deum, tum præprimis ipse Deus; adeoque inter primaria objecta contemplationis est Verbum incarnatum, utpote ipse Dei Filius incarnatus, Redemptor humani generis, in se quodammodo complectens res omnes in ordine ad Deum, omnium autem princeps objectum contemplationis est augustissima Trinitas, una ineffabilis Deitas, benedicta in sæcula sempiterna.

Conclusionis instar practicæ, videamus breviter quomodo pervenire valeamus nosque disponere oporteat ad exercitium divinæ contemplationis.

Primo quidem, ex sæpius dictis manifestum est neminem ad unionem contemplativam cum Deo pervenire, nisi prius viam purgatoriam seu stadium præparatorium percurrerit, ac porro percurrere pergat, quo omnia impedimenta, a peccati reliquiis partisque inferioris affectibus seu passionibus inordinatis suscitata, removeat per exercitium virtutum moralium, quod uno verbo complecti possumus, scilicet christianæ mortificationis. Re quidem vero sancti Contemplatores ad unum omnes exemplar exstiterunt insigne salutaris pœnitentiæ atque mortificationis christianæ, atque in his exercendis usque perseverarunt, etiam cum pervenissent ad sublimem contemplationem.

Præterea, sicuti via illuminatoria, utpote inchoans ascensum ad Deum contemplandum divinamque unionem, necessario præcedit viam unitivam: sic oportet aspirantem ad contemplationem unitivam adjungere mortificationi exercitium virtutum theologalium atque orationis tum vocalis tum mentalis studium perseverans, ita ut pertingat ad divinæ præsentiæ seu Dei memoriam continuam. Per frequentationem actuum supernaturalium fidei, spei et charitatis, seu per orationem conti-

nuatam, habitum acquisitum contemplationis, de quo supra (1), sibi comparabit, quo proxime atque optime disponetur ad contemplationem supernaturalem tum activam facilius exercendam, tum etiam infusam suscipiendam, quas quidem in via illuminatoria inchoabit, in via vero unitiva perficiet complebitque, jam abundantiori gratia, si ita Deo placuerit, ad altiores orationis seu contemplationis gradus provehendus.

(Continuabitur).

(1) Pag. 9.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Novembris propositas.

—

I

In Psalmum XLI-XLII.

Q. *Paucis expone sensum generalem psalmorum XLI:* Quemadmodum desiderat cervus..., *et XLII:* Judica me, Deus..., *qui duo psalmi primitus unum constituerint; eosque transscribe per strophas, versus, et membra parallela, juxta sensum et textum originalem.*

I. **Argumentum et divisio.** Psalmista, qui in inscriptione indicatur esse Corachita (1) quidam, in exilio degit, longe a Jerusalem et a domo Dei sui, in regione montium Hermon, de quibus torrentes aquarum præcipites descendunt et fluvio Jordanis originem præbent. Rugientes cataractæ ipsi sunt imago calamitatum quæ super ipsum transierunt. Mente enim et corde redit in Jerusalem, ubi templum Dei est, et vitæ suæ fons. Et dum memoratur præclaras istas solemnitates quondam in templo sancto Dei celebratas, a quibus exul factus est, audit in circuitu suo impios hostes suos ipsi irridentes et impotentiam Dei sui blasphemantes: Ubi est Deus tuus, in quo fiduciam habebas?

Et tamen, fixa manet in corde ipsius fiducia in Deum

---

(1) Ps. XLI inscribitur, v. 1, in Vulgata quidem: *In finem. Intellectus filiis Core;* juxta textum hebr. vero: *Directori chori (?). Carmen filiorum Corach* (Corachitarum). — Ps. XLII vero, v. 1, in Vulgata: *Psalmus David;* sed hæc inscriptio deest in textu hebraico.

suum, in Deum omnis vitæ et salutis fontem, et orat, tam ardenter et enixe, ut velit Deus benigno vultu ipsum adhuc aspicere et, fidelis in promissis suis, mittere auxilium suum supplicanti, et ab impiis inimicis ipsum eruere et in Jerusalem et templum sanctum suum reducere.

Animi vehemens tristitia simul et fiducia refocillans cor psalmistæ successive adimplent, usquedum in fine fiducia devincat et continuo intensiore desiderio se traducat: ad montem Dei, ad domum Dei, ad altare Dei, ad Deum ipsum.

Triplex datur *stropha*, cujus hæc est *analysis:*

I^a Stropha: Anhelat psalmista ad diem qua dabitur ipsi iterum ascendere ad templum sanctum Dei, et dum audit impios Deum suum blasphemantes, corde liquescente præ mærore, recordatur solemnitatum quæ olim in eo a populo agebantur (XLI, 2-6);

II^a Stropha: Iterum dolores suos, qui quasi undæ aquarum super ipsum irruerunt, describit, et Deo angustiam cordis sui expandit (7-12);

III^a Stropha: In fine erumpit oratio de corde ejus, ut liberet Deus eum ab impiis inimicis, et reducat in domum suam (XLII, 1-5).

Singula stropha eodem versu intercallari *(refrain)* finem accipit, in qua duæ ideæ et sensa fundamentalia totius psalmi juxtaponuntur: tristitia et fiducia.

II. **Textus.**

Vehemens anhelatio ad domum Dei.

1. Quandonam dabitur mihi ascendere ad domum Dei?

2. Quemadmodum desiderat cervus
ad decursus aquarum,
ita desiderat anima mea
ad te, Deus.

3. Sitit anima mea ad Deum,
ad Deum vivum *(vivificantem)*:
Quando veniam et apparebo *(quandonam dabitur mihi venire...)*
ante faciem Dei?
4. Factæ sunt mihi lacrimæ meæ panis,
die ac nocte,
dum dicitur *(dicunt)* mihi omni die:
« Ubi *est* Deus tuus? »
5. Hæc recordor, — et effundo
intra me animam meam *(anima mea præ dolore deliquescit)* —
recordor quomodo transibam *olim ad locum tabernaculi admirabilis,*
et ingrediebar usque ad domum Dei,
in voce *(cum cantu)* jubilationis et laudis,
cum cantu festum celebrantium.
6. Quare tristis es, anima mea,
et *quare* conturbaris in me?
Spera in Deo, nam adhuc laudabo *(dabitur mihi laudare)* eum:
salus *est* faciei meæ *(salus mea)* 7. et Deus meus.

II. Longe a te, inter medios impios, ad te desidero.

In meipso anima mea dejecta est;
propterea, *ut me sublevem*, recordor tui,
de terra Jordanis et *a montibus* Hermon,
de monte Mizar, *ubi dego longe a te.*

Notanda in textum, ad vv. indicatos.

Ps. XLI, v. 3. Ad Deum *vivum:* ab aliis intelligitur de Deo *vivo*, in oppositione ad idola gentium quæ essent dii mortui.

Ante faciem Dei, nim. in sanctuario.

v. 5. Hebr.: *Recordor* quomodo transibam cum multitudine *populi,*
et incedebam cum eis usque ad donum Dei,
in voce jubilationis et laudis,
cum turba festivitante.

v. 6. *Facies mea,* ut sæpe, ponitur pro *persona.*

8. *Sicut* unda aquarum clamat ad undam,
in voce cataractarum tuarum *(dum rugiunt cataractæ fluminum sese præcipitantium),*
sic omnes undæ tuæ et fluctus tui *(calamitates a te missæ)*
super me transeunt!
9. *Et tamen*, per diem mandat *(mittit)* Dominus
misericordiam suam,
et per noctem canticum *laudis* apud me *est (laudare possum Dei bonitatem),*
et oratio *mea ascendit* ad Deum vitæ meæ.
10. Dicam Deo: « Rupes mea!
« quare oblitus es mei?
« Quare contristatus incedo *(incedere cogor)*,
« dum affligit *me* inimicus?
11. « Dum confringunt ossa mea,
« opprobriis afficiunt me inimici mei,
« dum dicunt mihi omni die:
« Ubi *est* Deus tuus? »
12. Quare tristis es, anima mea,
et *quare* conturbaris in me?
Spera in Deo, nam adhuc laudabo *(dabitur mihi laudare)* eum:
salus *est* faciei meæ *(salus mea)* et Deus meus.

III. Libera me, Deus, et reduc me ad Te!

1. Judica me *(fac mihi justitiam),* Deus, et defende causam meam,
contra gentem non sanctam *(impiam);*

---

v. 8. *Mons Mizar* fuerit forte unum ex cacuminibus Hermon.

v. 9. Hebr. ad litteram: Per diem mandat Dominus misericordiam suam, et per noctem canticum ejus apud me: oratio Deo vitæ meæ — Sensus est: die ac nocte offert Dominus gratiam suam, adeoque habeo semper motivum ipsum laudandi.

v. 11. Opprobria eorum tam dolorosa mihi sunt quasi confringerent ossa mea. — Nos diceremus: *Cor* meum confringunt.

Ps XLII, v. 1. Defende causam meam: hebr.: Litiga litem meam.

ab homine *(a populo)* iniquo et doloso
eripe me, *Domine.*
2. Etenim tu *es* Deus fortitudinis meæ *(Deus meus fortis);*
quare me repellis?
Quare tristis incedo *(incedere cogor)*,
dum affligit *me* inimicus?
3. Emitte lucem *(benignitatem)* tuam et fidelitatem *(auxilium)* tuam;
ipsæ deducant me,
et adducant me ad montem sanctum tuum,
et ad tabernacula *(domum)* tua;
4. et introeam *(detur mihi introire)* ad altare Dei,
ad Deum *qui lætitia mea est a juventute mea;*
et confitear *(detur mihi laudare te)* in cithara,
Deus, Deus meus!
5. Quare tristis es, anima mea,
et *quare* conturbaris in me?
Spera in Deo, nam adhuc laudabo *(dabitur mihi laudare) eum:*
salus *est* faciei meæ *(salus mea)* et Deus meus!

A. Vander Heeren.

II

De evolutione religionum.

Q. *Indica per summa capita quomodo refutanda sit rationalistarum theoria de evolutione religionum.*

R. I. **Exponitur theoria.**

A. 1. Prædicta theoria tamquam fundamento nititur

---

v. 3. *Lux* ponitur pro *benignitate* indeque pro *auxilio.* — *Veritas* seu *fidelitas,* scil. in implendis promissis, et in specie, in implendo verbo quo promisit auxilium injuste afflicto, ponitur hic iterum pro ipso *auxilio.*

Nota gradationem: ad montem Sion, ad Sanctuarium, ad Altare, ad Deum.

v. 4. Hebr.: Ad Deum lætitiæ exultationis meæ, i. e. ad Deum qui multum me lætificat, qui est objectum omnis delectationis et gaudii mei.

hoc universali falso principio quod nihil *supernaturale* existit vel saltem cognoscibile est, proinde nulla est habenda ratio de supernaturali quolibet in explicandis phænomenis religiosis (1).

2. Ipsa autem sententia de evolutione religionum statuit religionem naturaliter exortam ab indigentia hominis incœpisse incultis persuasionibus et praxibus et paulatim in melius mutatam fuisse sub diversis formis quæ ut diversæ religiones agnoscuntur (2).

3. Ut porro ipsam religionis evolutionem cognoscere valeant et varia in illa determinare stadia et proinde ipsum primitivum religionis statum seu formam definire, statuunt religionem, qualis nunc invenitur apud populos incultos seu non-civilizatos, *necessario esse maxime similem statui in quo fuit religio in ipsa sua origine, nempe in primo homine* (3).

4. Ut autem populorum non civilizatorum cognoscant religionem, observant phænomena religiosa, vel quæ videntur religiosa, eaque conferunt cum phænomenis similibus quæ in aliis religionibus inveniuntur, et *ex hac analogia deducunt dependentiam originis* inter illos actus religiosos vel persuasiones quibus nituntur.

B. De facto non conveniunt inter se rationalistæ

---

(1) Cf. Bouvier, *Études*, 1908, t. 117, p. 616 ss., ubi exponuntur præcipua quæ acta et dicta sunt in « Congrès international d'histoire des Religions tenu à Oxford en 1908 »; Pernoud, *L'évolutionnisme religieux*, Bruxelles (Action Catholique) 1912, p. 12 s. Hoc opere præcipue utimur in nostra responsione.

(2) « Le développement religieux de l'humanité est gouverné dans sa marche par les lois définies, et ce développement dans son ensemble est un mouvement ascensionnel ayant son point de départ dans des idées informes et primitives ». Jastrow, *The study of religion*, London, 1901, apud Pernoud, *o. c.*, p. 15.

(3) « La religion du sauvage est à ce point représentative de la religion du primitif qu'on peut conclure de l'une à l'autre : les non-civilisés étant dans l'etnographie ce que sont en géologie pour l'histoire de la terre, les témoins des couches érosées qui se maintiennent au milieu de dépôts plus récents ». Goblet d'Alviella, *Rapport lu au Congrès d'Oxford*, cit. in *Études*, t. c., p. 621 s.

circa ipsam evolutionis viam, nec circa formam sub qua primo exercuit homo religionem: alii censent a magismo incœpisse, alii ab animismo, alii a tabouismo, alii a totemismo (1); sed secundum sententiam, quam tenent, alii alia contendunt esse elementa permanentia (des survivances) in omnibus religionibus, etiam in judaismo et christianismo, et ex illis elementis inferunt originem religionis (2). Unum commune habent quod scilicet negant primo homini factam esse a Deo revelationem.

II. **Refutatur theoria.**

Quum rationalistarum theoriam per summa capita exposuimus, breviter indicabimus quomodo sophismatibus scateat, ut proinde tum sanæ logicæ regulis sit opposita, tum scientiæ veri nominis repugnet. Non negamus posse institui *inquisitionem* de variis religio-

---

(1) Le *magisme* est le système qui place l'origine de la religion dans la magie. La magie est l'art de contraindre... par des actes, des paroles ou des rites, les forces divines ou supérieures, personnelles ou assez peu déterminées, qui nous environnent.

Le terme *animisme* est employé pour désigner la croyance à l'existence d'êtres spirituels, qui tantôt sont attachés à des corps dont ils constituent la personalité réelle (âmes), tantôt sont en connexion avec différents corps (esprits). On peut dès lors distinguer trois formes d'animisme: 1° la croyance à la manifestation des âmes humaines ou animales après la mort (nécrolatrie); 2° la croyance à l'existence d'esprits indépendants (spiritisme); 3° la croyance à la vie d'esprits en certains corps ou objets (naturisme). — Le fétiche est un objet qu'un esprit habite ou dont il se sert pour agir. Le fétichisme est le culte rendu à l'objet matériel influencé par l'esprit.

Le *tabouisme* est la croyance aux tabous. Le tabou est une interdiction fondée uniquement sur la crainte d'esprits ou de forces secrètes capables de nuire. La formule générale du tabou est: Ne fais pas ceci, ne touche pas à cela. Par exemple: Ne mange pas de ces fruits parce que l'esprit de l'arbuste se vengerait sur toi. Ceux qui attribuent au tabouisme l'origine de la religion disent qu'elle résulte de ce que les tabous furent peu à peu sélectionnés et codifiés.

Le *totémisme* est le culte rendu au totem. Le totem est une classe d'objets, de plantes ou d'animaux qui sont considérés par les membres du clan ou de la tribu comme titulaire, parents ou protecteurs. — De his omnibus cf. PERNOUD, *o. c.*, p. 23-36, etiam ejusdem auctoris opusculum: *Le fait de la Révélation* (Causeries apologétiques, octobre, 1913) p. 7 s.

(2) Cf. PERNOUD, *o. c.*, p. 37 ss.

nibus, quæ exstant, etiam *abstractione facta* a doctrina catholica circa revelationem primitivam, nec dicimus ipsam methodum comparativam esse in se malam : ejus valor dependet a modo quo adhibetur.

A. 1. Imprimis hoc omni rectæ inquisitioni de re religiosa opponitur quod, absque examine et, uti dicitur, *a priori*, statuitur nullam habendam esse rationem de omni supernaturali. Si enim Deus de facto egerit supernaturaliter erga homines et supernaturali influxu homines docuerit veritates religiosas aut dederit media cultus debite exercendi, si Deus miracula fecerit, etc. hæc omnia *facta* debet agnoscere velle historicus et sincere investigare utrum exstiterint. Quodsi negatur ipsa possibilitas vel cognoscibilitas omnis interventus supernaturalis Dei, hoc principium, quod ad philosophiam et non ad historiam pertinet, refutatur ubi positive demonstratur possibilitas divinæ revelationis, possibilitas miraculi et ejusdem cognoscibilitas.

2. a/ Principium de *evolutione absoluta* non solum non demonstratum est, sed in multis contradicit assertis certo demonstratis (1).

b/ Præterea nec evolutio potest hoc sensu admitti quod homines continuo attingunt majorem perfectionem in omni genere eorum operationum : populi enim dantur qui, quoad id quod vocatur *civilizatio*, per multa sæcula in eadem permanent conditione, alii a perfectiori statu in pejus decidunt (2).

c/ Dato et non concesso quod quoad alia, v. gr.

---

(1) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, in *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 592 ss., 645 ss.; *Méditations théologiques*, Bruges, 1910. t. II, p. 69 ss.; Laminne, *La théorie de l'évolution*, Bruxelles, 1908, p. 322 ss., 473.

(2) « Asias, cinq siècles avant J. C., donnait des Pygmées une description qui ne diffère pas de celle qu'en a pu faire Stanley il y a quelques années. Les nomades qui vivent dans les déserts de l'Arabie ou les steppes de la Tartarie, les pasteurs qui habitent les bords de l'Euphrate n'ont pas changé leurs mœurs d'une façon bien sensible depuis 4.000 ans. » Pernoud, *L'évolutionnisme religieux*, p. 58. V. *ibid.* exempla populorum qui in deterius delapsi sunt.

quoad modum construendi domos, quoad vestimenta, quoad varia instrumenta, quoad artes et scientiam, detur continuus progressus, non sequitur dari eadem ratione progressum in ipsa religione. Hæc enim est in alio genere quam dispositiones humanæ et acquisiti habitus qui *profani* dicuntur et quos modò indicavimus. Imo constat existere populos, v. gr. pygmeos, qui, quoad profana et materialia, inferiores sunt aliis et illis tamen superiores quoad religionem (1).

3. Quoad principium cui proxime innititur conclusio quam statuunt rationalistæ, scilicet hoc assertum quod religio populorum non-civilizatorum est maxime similis religioni primi hominis, hoc principium nequit *a priori* admitti, nec etiam haberi potest ut demonstratum per sententiam de evolutionismo: hæc enim, ut diximus, falsa est; præterea notemus populos non-civilizatos nostræ cognitioni subjici quales *nunc* exstant; sed quum jam a tot sæculis existunt, fieri potest — et pro multis populis etiam non-civilizatis factum est — ut illorum religio immutata fuerit.

4. Quoad *analogiam* quæ detegitur inter diversa phænomena religiosa, diversa sunt notanda ne radicitus in methodo sit vitium:

a/ non sufficit ut consideretur similitudo mere *externa* rituum: significatio alicujus ritus dependet ab *interna* hominum cogitatione vel affectu, cujus est expressio: idem ritus adhiberi potest ad diversos sensus exprimendos (2).

b/ Ex hoc quod datur vera similitudo inter plures persuasiones vel praxes religiosas, non sequitur inter illas dari *dependentiam originis:* sicut enim plures homines, singillatim sumpti, possunt independenter ab

---

(1) Cf. Mgr Leroy, *La religion des Primitifs*, Paris, 1909, p. 39, 43, 170, 361, ss., Id., dans *Christus*, Paris, 1912, p. 88;

(2) Cf. Pinard, *Quelques précisions sur la méthode comparative*, in *Antropos*, 1910, t. V, p. 543 ss.

invicem cogitare idem et hoc eodem quoad substantiam modo exprimere, ita etiam apud duos vel plures populos inveniri possunt iidem quoad substantiam ritus, quin eos unus populus acceperit ab alio. « Des ressemblances ne supposent pas nécessairement une imitation et les similitudes d'idées ou de pratiques doivent souvent s'expliquer, en dehors de tout emprunt, par une communauté d'origine » (1). Præterea animadvertendum est multos auctores hucusque *similia* tantum religionum elementa descripsisse et ex illis deduxisse conclusiones, quin eàdem curà consideraverint *dissimilia* et ad invicem opposita. Si tamen quis vult recta crisi judicium ferre de connexione religionum oportet ut utrumque elementum pensarit (2).

c/ Ex illo defectu artis criticæ factum est ut auctores sæpe contenderint in religionibus recentioribus, etiam in judaismo et christianismo, detegere elementa permanentia (des survivances) ex illis quæ ut antiquissima habent initia omnis religionis, v. gr. ex animismo, totemismo, etc. Talia autem elementa minime invenire ubique, et non existere in multis casibus, in quibus antea assignabantur, demonstratum est variis operibus (3).

B. Si illi populi considerantur qui dicuntur *primitivi*,

---

(1) Cumont, *Les religions orientales dans le paganisme romain*, Paris, 1907, p. XIII, cit. ap. Pinard, *o. c.*, p. 550. — Objectio, quæ contra divinam originem religionis christianæ facta est ex analogiis quæ videbantur esse inter christianismum et antiquiores religiones orientales, bene fuit exposita et refutata a de Broglie, *Problèmes et conclusions de l'histoire des religions*, ch. VIII et IX, p. 242-320.

(2) Cf. Pinard, *o. c.*, p. 556 ss.

(3) Cf. Pernoud, *Le fait de la révélation*, p. 14; V. etiam quædam exempla citata ab Illmo ac Rev^mo Waffelaert quoad religionem Israëlis, in *Collat. Brug.*, t. IX, p. 560 ss., *Méditations théologiques*, t. II, p. 224 ss. — Specialiter sæpe adhibetur male methodus quæ dicitur *des suppléances*. « Méthode... où l'on supplée à l'insuffisance des renseignements sur l'histoire continue d'une croyance ou d'une institution, dans une race ou une société, par des faits empruntés à d'autres milieux et à d'autres temps ». Cf. Pinard, *o. c.*, p. 545; Collinet, *La philosophie de M. Goblet d'Alviella et l'histoire des religions* (Extrait du *Muséon*) Louvain, 1912.

quia infimi videntur quoad ea quæ civilizationem constituunt, et si, secundum sanæ criticæ regulas, inquiritur de eorum religione, ad hanc devenitur conclusionem: habent religionem completam, nempe quasdam veritates speculativas credunt, quibuscum connectuntur præcepta moralia, et cultum exercent; agnoscunt autem et honorant Ens supremum, quod super omnia dominatur. Hæc igitur religio est vere *monotheismus*. Talis status hominis certo sufficit ut Deus revelationem hominibus tribuat. Sed præterea similitudo conditionis, in qua, quoad religionem, versantur illi primitivi, cum statu in quo fuerunt primi homines secundum narrationem primorum capitum *Geneseos*, valde probabile reddit ipsam Geneseos descriptionem pertinere ad antiquissima humani generis tempora; præterea hæc antiquitas, potest alio argumento ostendi. Ex quo deinde etiam probabile est factam esse revera hanc divinam revelationem quæ refertur in primis capitibus Geneseos. Hæc est conclusio quæ propugnatur in libro nuperrime conscripto a cl. P. Schmidt et translato a cl. P. Lemonnyer (1). Etiam ibi proponitur modus quo explicari potest primitivam a Deo datam revelationem fuisse paulatim corruptam apud varios populos (2). Si igitur naturali rationis lumine homo recte utitur et ex factis bene probatis logice infert conclusionem, hæc, nedum infirmet, e contrario confirmat catholicam doctrinam qua asseritur primo homini revelasse Deum veritates.

J. Van der Meersch.

---

(1) *La révélation primitive et les données actuelles de la sciences, d'après l'ouvrage allemand du R. P. Schmidt*, Paris, Gabalda, 1914, v. præsertim p. 181-187, 213-301; præsertim de antiquitate narrationis Geneseos, v. p. 240-255.

(2) *O. c.*, p. 327, 348.

III-IV

De regimine communitatis bonorum inter conjuges.

Q. *Indica præcipuas legis nostræ civilis dispositiones circa proprietatem et administrationem bonorum conjugum,* sub regimine communitatis bonorum.

R. Quatuor, ut notum est, distingui possunt in jure nostro regimina bonorum temporalium inter conjuges: regimen communitatis, regimen simpliciter exclusivum communitatis, regimen separationis et regimen dotale(1).

Quæ quidem regimina ideo introducta sunt ut bonorum societas quam importat conjugium, cum generalibus tantum lineamentis a jure naturali sit adumbrata, pressiorem acciperet determinationem; ope scilicet legum civilium, et concurrentibus liberis dispositionibus partium, quibus in dictis regiminibus modificandis ampla satis facultas vi ipsius Codicis relinquitur.

Porro, inter hæc varia bonorum temporalium regimina, primum locum tenet regimen communitatis bonorum de quo in præsenti; quod obtinet in tribus casibus: 1/ ubi actu expresso et authentico coram notario, ante celebratum civile matrimonium, tale regimen fuit adoptatum; 2/ ubi nullus coram notario initus est contractus de regimine matrimonii; 3/ ubi alius quidem fuit factus, v. g. de regimine separationis bonorum, sed invalidus aut postea annulatus ob aliquod vitium.

Communitas autem bonorum est vel *legalis,* scilicet secundum ipsas legis determinationes inita, vel *conventionalis:* tunc nimirum ubi sponsi, libertate sibi a lege concessa utentes, majorem aut minorem extensionem communitati tribuunt. Quæ conventionalis modificatio alia et alia bona propria reservat aut communia facit;

---

(1) Cf. Codicem Civilem, lib. III, tit. V, a. 1387-1581.

non tamen inde mutat leges utrumque genus bonorum regulantes.

a/ Itaque, sub regimine communitatis *legalis* hæc sunt *bona communia* :

Omnia *bona mobilia* ab utroque conjuge ante matrimonium possessa aut durante communitate acquirenda, illis non exceptis quæ per donationem inter vivos aut per successionem seu legatum alterutri obveniunt, nisi donator sive testator declaraverit ea donatario propria mansura esse (1). Latissime heic patet acceptio « bonorum mobilium » ; complectitur etiam fructus omnes bonorum sive mobilium sive immobilium, et fructus laboris et industriæ conjugum; credita generatim omnia, etiam hypothecaria quæ objectum mobile habent; censum sive perpetuum sive vitalicium; actiones et obligationes societatum a conjugibus possessas; summam alterutri competentem ex assecuratione super vitam, nisi assecuratus in favorem personæ determinatæ de ea disposuerit; proprietatem litterariam et industrialis inventionis jam in commercium deductam etc.

Excipiuntur tamen aliqua bona mobilia incessibilia, ut pensiones Status et generatim pensiones alimentariæ quæ incessibiles declaratæ fuerunt; producta non periodica ex aliquo immobili proprio provenientia, ut lapides ex propria alterutrius domo demolita; item bona mobilia alicui proprio bono subrogata vel substituta, ut creditum proveniens ex venditione propriæ domus (2). Hæc quidem cuique respective conjugi propria seu personalia manent.

---

(1) Portio tamen legaliter reservata conjugi qui est heres reservatarius, a testatore extra communitatem constitui non potest. — Cf. PLANIOL: *Traité Élémentaire de Droit Civil*, t. III, n. 919-920.

(2) Propria pariter utrique respective conjugi manent quædam objecta mobilia maxime personalia *quæ valorem venalem non habent*, uti sunt: les titres de famille, parchemins et papiers anciens, les souvenirs de famille, tels que portraits, armes, décorations; les lettres reçues par chacun des époux etc. — Cf. THIRY: *Cours de Droit Civil*, t. III, n. 247; PLANIOL, l. c.

Bona immobilia quæ communia evadunt sunt ea tantum quæ durante communitate onerose acquiruntur, aut quæ ex donatione vel successione sive legato alterutri conjugum gratuito obtingunt sub expressa conditione quod communia fiant.

Excipiuntur proinde omnia immobilia ab utroque respective conjuge ante matrimonium possessa (1); vel durante communitate alterutri gratuito et absque conditione communitatis obvenientia, aut ipsi a proprio ascendente concessa in solutionem debiti aut sub conditione solvendi aliquod debitum ascendentis erga tertium; item bona immobilia cuidam proprio immobili legaliter subrogata aut substituta; tandem bona immobilia durante communitate onerose acquisita ab alterutro conjuge qui in ea jam habebat coproprietatem, uti dicunt, par indivis (2).

b/ Ubi vero *conventionalis* initur communitas, tunc vel extenditur quotitas bonorum communium, v. g. per electionem communitatis universalis aut per introductionem in patrimonium commune alicujus partis aut imo totalitatis bonorum immobilium quæ secus propria mansissent (3); vel ut plurimum quotitas restringitur. Restrictio hæc varia esse potest; sæpius tunc initur: la communauté d'acquêts, in qua generatim communes tantum sunt redditus omnes bonorum respective propriorum, et fructus laboris et industriæ conjugum; necnon bona mobilia aut immobilia quæ titulo oneroso ex illis redditibus et fructibus durante communitate acquiruntur.

c/ Jamvero, bonorum *communium* proprietas cum

---

(1) Nisi tamen onerose acquirerentur post initum jam contractum de regimine bonorum, et ante initum ipsum matrimonium civile.

(2) Si tamen hoc casu ipsa communitas pretium solvisset hujus acquisitionis, jus haberet ad recompensationem ab illo conjuge qui proprietarius evadit.

(3) Hoc ultimum vocatur: clause d'ameublissement, quia inde dicta immobilia ad instar mobilium in communitatem cadunt.

fructibus indivisim viro et uxori secundum legem competit. Ipsa scilicet communitas dominium directum et usumfructum illorum habet bonorum; nec intelligendum est heic ens aliquod morale seu persona moralis a conjugibus distincta, sed ipsi conjuges condomini sunt et consortes (1). Nec solus maritus, uti erronee quidam putavere, dicendus est, inspecta lege, bonorum communium proprietarius; quamquam in illa maxima potestate polleat.

Solus nempe maritus bonorum illorum administrationem habet, et sensu quodam speciali et valde amplo; aliis verbis potestas ejus administrativa bonorum communitatis a Codice adeo extenditur ut, paucis exceptis, ad instar solius proprietarii agere valeat. Ita quovis modo oneroso de illis, etiam immobilibus, et absque ullo uxoris concursu disponere valet, v. g. ea vendendo, locando, mutando, hypothecis aut servitutibus gravando; nec magis rationem reddendam habet si hæc bona communia penitus negligat aut imo dissipet (2). Quoad actus gratuitos, non solus quidem immobilia communia dare valet; sed rursus mobilia, saltem particularia et nullo sibi reservato usufructu cuique gratuito concedere potest absque consensu uxoris; imo etiam immobilia si fiat in favorem liberorum communium collocandorum.

Uxori autem in bona communitatis nullum prope jus a lege conceditur, nisi de consensu aut mandato explicito sive tacito mariti.

d/ Bonorum tandem *propriorum* seu personalium uxoris (3) communitas, ut jam advertimus, usumfruc-

---

(1) Cf. Illmum Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 129.

(2) Tamen, secundum jurisprudentiam actualem, annulari possunt actus tum onerosi tum gratuiti quos maritus *fraudulenter* circa bona communia posuerit scil. eo fine ut frustretur uxorem juribus suis. — Cf. Cass. belg., 11 Nov. 1909.

(3) De bonis mariti personalibus nil dicendum venit, cum in ea jus idem retineat vir ac si matrimonio non esset junctus.

tum habet; maritus iterum administrationem, sed sensu ordinario seu restricto. Omnis enim dictorum bonorum tam mobilium quam immobilium alienatio ipsi prohibetur, nisi de consensu uxoris, nec magis potest ipse solus immobilia hujusmodi hypothecis gravare aut servitutibus: hi enim sunt actus ordinariam administrationem transcendentes. Actus autem simplicis administrationis solus facere valet qua uxoris mandatarius legalis, sub quibusdam tamen limitationibus: sic ultra novem annos immobilia uxoris locare non potest nisi de ipsius consensu etc. Insuper respondet vir de omnibus damnis ex mala sua administratione ortis. Et tandem per communitatem conventionalem jus ipsius ulterius restringi aut imo totaliter in favorem conjugis auferri potest.

Uxor autem in bona sua personalia proprietatem servat directam simulque jus ad compensationem damnorum adversus virum, necnon jus ipsi denegandi necessarium consensum in pluribus casibus. Sed rursus, in communitate legali, nullum fere proprietatis aut administrationis actum per se sola agere valet, deficiente consensu sive mandato mariti.

Q. *Inde concludas quantum jus disponendi* de bonis communibus *uxori competat in conscientia, durante legali communitate.*

R. Ut ex præcedenti responso facile constat, parum admodum, ad litteram legis, per se solam agere valet uxor, quod attinet ad bona communia sub regimine communitatis legalis. Codex enim civilis auctoritati mariti omnino instat favetque, adeo ut in quibusdam benigne sit interpretandus, ne repugnet legi naturæ vi cujus vir rationem habere debet condominii uxoris et finis matrimonii ad quem collata fuere communia bona. In genere tamen loquendo, cum contractus circa regimen bonorum temporalium profanus sit, et ad potesta-

tem civilem pertinens, in justitia valent et obligant dispositiones quas superius enumeravimus (1).

In conscientia autem imprimis jus habet uxor hujusmodi ad honestam ex bonis communibus sustentationem pro conditione sua, etiamsi viro suo nihil pecuniæ bonorumque nubendo attulisset. Vir enim, uxorem ducens, eo ipso onus alendæ ipsius in se assumpsisse dicendus est; et ceteroquin dominium utile seu ususfructus communium bonorum æque ad uxorem pertinet ac ad virum; quia ambo sunt condomini.

Sustentatio autem complectitur, præter debita alimenta et vestes secundum statum, moderatas eleemosynas faciendas recreationesque sumendas, parva etiam elargienda munera, et cetera omnia quæ legitima consuetudine inter personas timoratas ejusdem conditionis et loci introducta fuere. Nec quoad illud punctum discordat jus civile, uxorem condominam proclamans.

Verum, cum eadem lex civilis jus totalis propemodum administrationis marito præ manibus collocet: numquid ad singulum quasi actum quo ipsa uxor, necessarii etiam victus comparandi causa, de bonis communibus disponet, requiretur ex justitia consensus viri?

Per se affirmative: lex enim civilis, legalem regulans communitatem, justa est in suis dispositionibus generatim; porro ipsa strictum jus administrationis marito exclusive concedit. At vero plura animadvertenda veniunt.

Et primo quidem, fatentibus juristis, sufficit consensus aut mandatum viri etiam tacite seu implicite colla-

---

(1) Cf. Illmum Waffelaert, o. c., I, n. 127 et 130; ubi notatur Codicem perperam soli matrimonio civili adnectere effectus contractuum circa regimen bonorum, dum e vero coram Ecclesia matrimonio, utique civiliter agnito, proficisci debuisset. « Quod quia non fecit sed omnia susdeque vertit, oriuntur quæstiones valde intricatæ quoad forum internum »; ut si solum matrimonium civile contrahatur, aut solum verum matrimonium etc. De quibus cf. Illmum Waffelaert: *Étude... sur l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 99-123.

tum; et illud jam in favorem uxoris legaliter præsumitur quoad illas expensas ex bonis communibus faciendas quæ pertinent ad ordinariam familiæ sustentationem, ut pro alimentis, vestibus etc.; quæ dicuntur dépenses de ménage. Nisi ergo excessivas pro conditione et vitæ genere faciat expensas, nil contra jus viri agit uxor, ex hac parte per se solam disponens de bonis communibus (1). Injusta vero esset limitem status prætergrediendo, nisi tunc accederet positivus consensus viri. — Similiter, secundum legem, uxor qui consentiente viro negotium incepit, omnes jam commercii sui operationes sola peragere potest, quin inde lædatur jus administrationis marito competens.

Sed secundo: ulterius extendere oportet licentia præsumpta viri, legisque benigna interpretatio; ne uxor scilicet in pluribus quasi ancillam se ostendere cogatur, cum sit socia et adjutrix viri, et qua talis aliquam in domo administrationem habere debeat; et etiam ne ipsa quandoque ob culpam mariti in juribus suis graviter lædatur. Quibus in casibus si vir invitus sit, irrationabiliter certe est invitus; nec inde in conscientia læsum dici potest ipsius jus administrandi.

Et ita: salva manebit justitia ubi uxor, nihil postulato viro, consuetas eleemosynas muneraque pro conditione tribuit aut moderatas sumit recreationes. Nam si licentia quam merito præsumit a parte viri non existit, ut si ipse æquam ejus petitionem recusaturus aut moleste laturus prævideatur, irrationabiliter facit.

Similiter, deficiente viro, occulte conjux supplere potest, salva justitia, ea quæ necessaria sunt ad avertendum a familia damnum aliquod spirituale aut temporale: v. g. tribuendo pecuniam ad sacrificia celebranda,

---

1. Debita ergo hujusmodi ipsam gravant communitatem, ut agnoscunt tribunalia, nisi tamen sint excessiva, aut maritus debito modo contrariam suam voluntatem mercatoribus manifestaverit. — Cf. Brux. 6 Fév. 1884; 5 Mai 1891; in Pasicr. 1885, III, 87; 1891, III, 289.

vel e bonis communibus mittendo ad filium extra domum legitime degentem summam sufficientem ad sustentationem, si pater id renuit aut negligit.

Uxor etiam « potest ex iisdem bonis, si alia deficiant, subvenire necessitati parentum, et prolis propriæ ex alio matrimonio, modo necessaria remaneant marito et familiæ; ad hoc enim tenetur nec maritus rationabiliter invitus esse potest » (1). Urgente scilicet onere pietatis erga suos, juste ex bonis communibus sumit uxor quæ bona liberæ administrationis non habet, unde huic necessitati moderate provideat; non secus ac vir ejus salva justitia facere posset, si de propriis suis parentibus aut filiis ageretur. Uxor tamen in dicto casu ab aliis eleemosynis faciendis sine expresso consensu viri abstinere debet.

Tandem, si prodigus est maritus et dilapidator, juste accipit et occultat conjux partem bonorum communium secus dissipandam, ad suam scilicet futuram et liberorum sustentationem. Etenim læditur tunc a viro ipsius conjugis jus condominii, nec iste rationabiliter invitus esse potest quin uxor tueatur illud quod pro media parte suum est, et provideat sibi et proli. Quod autem in hujusmodi casibus lex uxori deneget actionem (nisi vir modo legaliter prohibito communia dissipaverit, v. g. immobilia gratuito donando), hoc non demonstrat maritum non esse injustum: ipse contra textus legis bona de quibus agitur expresse vocat bona communitatis. Esset porro contradictio in terminis bonum commune in quo unus tantum jus haberet; erroneeque concluderetur a jure administrationis mariti, utut latissimo, ad jus exclusivæ proprietatis (2). Potest ergo

---

(1) Cf. Illmum Waffelaert, l. c., n. 130. Illud jus uxoris a pluribus auctoribus probabiliter extenditur ad ipsos filios naturales, etiam incestuosos aut adulterinos; necnon cum S. Alphonso (l. IV, n. 542) ad fratres et sorores in gravi necessitate constitutos.

(2) Ideo rejicienda est sententia a Carrière, I, n. 276, et Gury, I, n. 556 ut probabilis proposita, secundum quam dilapidatio bonorum commu-

uxor juste se defendere contra injuriam ex prodigalitate viri sibi illatam; nec aliam ob causam lex ipsi denegat actionem nisi ad præcavendos lites coram tribunalibus secus multiplicandos; quod ob similem rationem in pluribus aliis casibus pariter disponit (1).

Nota. Etsi in hac responsione, certa facultas disponendi de rebus communibus inconsulto viro, uxori concessa sit *salva justitia*, non inde semper sequitur hoc ipsi simpliciter licere. Cum enim bonum sit ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu, contingit ut propter alias virtutes uxor a jure suo urgendo prohibeatur, maxime nempe propter pietatem conjugalem. Nimirum ubi pax familialis ex usu istius juris turbanda prævidetur, vel ubi alia inde imminent incommoda quæ, omnibus perpensis, graviora apparent quam illud quod orietur si uxor juri suo cedat, tunc ipsa utique cedere debet. Quod sat facile practicum fiet ubi agitur de eleemosynis præsertim notabilibus faciendis, si timeantur in viri asperi aut avari notitiam perveniendæ; vel de summa mittenda ad providendum filio extra domum degenti; item de pecunia occultanda in proprias futuras necessitates. Similiter honor familiæ, pax conjugalis, bonum ipsius prolis quandoque obstare poterunt quominus rogetur v. g. separatio bonorum, etsi prodigalitas viri timorem ruinæ temporalis maxime fundatum injiciat (2).

E. Hosten.

---

nium a marito facta ab injustitia immunis esset, quotiescumque lex nullam concedit actionem uxori.

(1) Cf. Genicot: *Theologia Moralis,* I, n. 474. Legalia remedia quæ in hujusmodi casibus præsto sunt uxori (præter separationem bonorum) sunt separatio a thoro et cohabitatione (séparation de corps) et ipsum divortium civile. Quæ ultima media, uti patet, adhiberi in conscientia non possunt nisi de superioris ecclesiastici debita licentia.

(2) Caveat etiam confessarius, ut post Molinam advertit Marres, *De Justitia,* I, n. 76 « ne vanis uxorum querelis facilius indulgendo, muliebri generi, quod lex divina et humana supienter maritali potestati subjecit, nimis habenas laxet; præsertim cum nullum periculum immineat peccati ex parte ipsarum, si a sumptibus abstineant, et facile per excessum uxores possent peccare, si virorum transgrediuntur mandatum ».

V

De appetitione finis ultimi.

Q. *Explica et vindica hoc assertum: Omnia quæ homo deliberate vult, ea vult propter ultimum finem:* S. th. I-II, q. I, a. 6.

R. Homo in omnibus suis actibus humanis agit propter aliquem finem, id est intuitu alicujus boni particularis veri aut existimati quod ipsum appetitu sui ad agendum movet, et hoc quidem non executive tantum, ut agentia insensibilia, nec apprehensive solum ut bruta animalia, sed directive, dirigendo se ad finem, quatenus finem qua talem seu formaliter cognoscit (1). Ulterius nunc astruitur hominem in iisdem actibus humanis omnibus agere propter ultimum finem seu intendere ultimum finem.

Ad cujus propositionis rectam conceptionem duo sunt prænotanda atque sedulo præ mente habenda. 1° Distinctio inter ultimum finem hominis formaliter et ultimum finem materialiter (2). Ultimus finis formaliter, seu ratio formalis ultimi finis, nihil aliud est quam bonum perfectum, completivum et satiativum hominis: in hoc bono appetendo omnes homines conveniunt, quatenus omnes naturaliter appetunt suam perfectionem adimpleri. Finis ultimus materialiter dicitur id in quo finis ultimi ratio invenitur seu res particularis in qua quis existimat consistere suam beatitudinem, quamque ideo sibi constituit finem ultimum (3): in hoc autem

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 678 ss. L. Lehu, O. P., *Philosophia moralis et socialis*, t. I, Ethica generalis, Parisiis, Gabalda, 1914, p. 24.

(2) Cfr. I-II, q. I, a. 7 et a. 5 et Cajetanus in h. l. In opusculo J. de Cock, *Over het geluk* uit het latijn van S. Thomas van Aquino vertaald. Brugge, Kerlinga, ita vertitur hæc distinctio: « de hoedanigheid van het laatste doel » et « datgene wat het laatste doel uitmaakt ». Hæc versio, ut videtur, non totum sensum textus latini exprimit.

(3) Billuart, *Tractatus de ultimo fine*, art. IV.

non omnes homines conveniunt quum quidam appetant divitias tanquam consummatum bonum, quidam vero voluptatem, quidam vero quodcumque aliud. 2° Divisio intentionis in actualem, virtualem et habitualem (1). *Actualis* seu formalis intentio est quando quis actuali volitione finem cognitum intendit, sive explicite et in actu signato, sive implicite et in actu exercito. *Virtualis* intentio iterum duplex distinguitur : a/ virtualis ex parte operantis et explicita, quando quis operatur vi intentionis actualis præteritæ, non retractatæ, licet actu de fine operationis non cogitet ; b/ virtualis ex parte operis et implicita (2), quando quis facit aliquid ex natura sua ordinatum et tendens ad aliquem finem : ita « semper inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, sicut patet tam in his quæ fiunt a natura, quam in his quæ fiunt ab arte (3). » Art. 6, in corp. Tandem *habitualis* est intentio quæ actualis quidem fuit sed præterita est et, licet non retractata, tamen non movet ad præsentem actionem (4).

Hisce prænotatis, **declaratur** sensus propositionis nostræ in sua universalitate. Homo in omnibus suis actibus humanis necessario intendit ultimum finem *formaliter*, seu rationem ultimi finis, intentione saltem *virtuali* ex parte operis seu implicita (5).

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 571 sq.; t. XII, p. 168 ss.; Billuart, *o. c.*, art. V; Lehu, *o. c.*, p. 34.

(2) Distinguitur ab ea quæ vocatur intentio *interpretativa* quam scilicet, interpretando dispositionem subjecti, præsumimus extituram si de fine cogitatio occurreret: stricto sensu intentio vera non est.

(3) Sic natura formans embryonem virtualiter intendit hominem; qui jacit fundamenta domus, intendit in eis domum. Cfr. Billuart, *l. c.*

(4) Billuart loquens de homine justo eam intentionem seu relationem dicit puram concomitantiam habitus alicujus cum actu absque ullo influxu, v. g. habitus charitatis cum peccato veniali.

(5) S. th., l. c., ad 1, ad 2, ad 3 ; Cajetanus in h. l.; L. Lehu, *o. c.*, p. 35. Cfr. Billuart, l. c.; P. Pègues, *Commentaire français littéral de la Somme théologique*, t. VI, p. 40, ss. Impossibile est ut homo intentione *actuali* omnes actus suos referat ad finem ultimum *materialiter*, seu ad aliquod bonum determinatum et concretum in quo beatitudinem suam

Probatur. 1° Quidquid homo appetit, appetit sub ratione boni. Numquam enim malum qua tale, sed erronee sub ratione boni appetimus.

Atqui bonum illud vel appetitur ut bonum perfectum, plene satiativum, quod est finis ultimus formaliter, vel ut bonum imperfectum : hoc autem non appetitur nisi ut tendens in bonum perfectum, quia inchoatio alicujus perfectionis natura sua ordinatur ad consummationem ejus.

Ergo « nihil potest appeti nisi ipse [finis ultimus formaliter] aut propter ipsum..... Quodcumque partiale bonum appetitur, appetitur saltem ut bonum appetentis, et consequenter propter ultimum finem. » CAJETANUS in h. l. (1).

2° Ultimus finis hoc modo se habet in movendo appetitum, sicut se habet in aliis motionibus primum movens.

Atqui manifestum est quod causæ secundæ moventes non movent nisi secundum quod moventur a primo movente.

Ergo secunda appetibilia non movent appetitum nisi dependenter a primo appetibili, quod est ultimus finis.

Brevi. Voluntas nihil deliberate vult nisi in quantum

---

libere constituit, sive sit bonum creatum, sive sit ipse Deus : ad hoc enim requiritur ut sit sub influxu actuali hujus finis, seu ut hunc finem concretum actu præ mente habeat. Utque iterum ad theologiam asceticam respiciamus, nonne hic præcise scopus ejus est, nonne hæc perfectio christiana, quantum fieri potest in hac mortalitate, actu de Deo fine ultimo cogitare atque actu omnia ad Deum per charitatem referre? Hæc charitas *non communis* continuo perfectibilis, negative per remotionem creaturarum impedientium, positive per exercitium actuale charitatis, præparat ad charitatem *cœlestem* quæ ex unione indeficienti intellectus beati cum Deo, semper in actu erit. Cfr. H. MAHIEU, *Probatio charitatis*, 1ª ed., p. 68 ss., 2ª ed., p. 65 ss. Quænam autem intentio finis ultimi concreti requiratur ad moralitatem, et in ordine supernaturali, ad meritum actuum humanorum præsentis loci non est determinare.

(1) Lege BILLUART, l. c.; ILL. AC REV. WAFFELAERT, *De dubio solvendo*, p. 7, 13 sq ; L. LEHU, *o. c.*, p. 35; PÈGUES, *o. c.*, p. 41 ; *Dictionnaire de théologie catholique*, VACANT. Vᵉ Fin dernière, col. 2492.

vult ultimum finem; volitio seu intentio ultimi finis ratio est volitionis cujuscumque objecti, quatenus nullum objectum movet voluntatem nisi in quantum participat rationem boni, seu confert ad felicitatem subjecti quæ est ratio formalis finis ultimi.

A. LEGRAND.

VI

PAROCHI MUNERA CIRCA COMMUNIONEM PUERORUM.

Q. *Quænam sunt juxta Decretum* Quam Singulari *et Instructiones Episcoporum Belgii obligationes parochorum circa puerorum communionem?*

R. Quamvis, ut supra indicavimus (1), formalis admissio ad primam Communionem ad parochum *qua talem* non pertineat, non ideo tamen dicendum totum negotium puerorum communicantium a parochiali munere alienum esse. Etenim, non tantum parocho servantur generatim jura et obligationes relate ad communionem solemnem; sed non parva sunt ipsius officia erga novensiles et communicantes juniores, ante sic dictam Communionem solemnem. In genere, ex ipso suo munere, parochi sollicitudinem habere debent ne pueri, ob neglecta gravia officia vel quia diutius quam par est « pabulo vitæ » privantur, gratiam perdant baptismi; deinde omnium curam animarum habentium etiam gravis obligatio est ut pueros sibi commissos legibus Dei vel Ecclesiæ servandis assuefaciant.

Ex hac consideratione generali variæ oriuntur obligationes particulares, inter quas nonnullas Decretum *Quam Singulari* necnon Instructiones Episcoporum Belgii describunt ac magis determinant (2). Ita:

---

(1) *Collat. Brug.*, t. XVIII. p. 683.

(2) Cfr. opera citata in responso præcedenti; Decretum invenies apud

I/ **Obligationes ante primam Communionem privatam:**

1/ Summa lex est, in jure canonico et in theologia morali probata: « parochum ex justitia et sub gravi teneri sacramenta ministrare suis subditis rationabiliter petentibus ». Illud principium hic etiam suam applicationem habet (1). Ita si pueri, solo consensu parentum et confessarii muniti, in ecclesia parochiali, etiam forsan prima vice, ad sacram mensam accedant, non possent a parocho arceri, quamvis catechesi præparatoriæ non adfuerint.

Posset equidem parochus, at prudenter omnino, certiorem se facere de reportato consensu, ne pueri solo exemplo aliorum allecti et omnino ignorantes atque indispositi, Communionem recipiant (2). Sed raro omnino parochus (ejusve cooperatores), pueros ita sibi

---

Collat. Brug., t. XV, p. 574, vel in collectione *Epist. Pastor.*, nº 154, ubi etiam adduntur Instructiones Episcoporum Belgii.

(1) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, 7ª ed., p. 381. Maxime urget obligatio parochi relate ad subditos graviter decumbentes; non tantum tenetur sacramenta administrare, si petant infirmi, sed etiam adhibere debet prudentem diligentiam ut ægroti, qui sui incurii sint, tempestive moneantur et sacramentis exeuntium adjuventur. (Cfr. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 105). An hoc præsertim non valet pro pueris ægrotantibus, qui jam usum rationis adepti nondum sacram Communionem accipere potuerunt? Ideo non mirum quod, in articulo VIIIº Decreti, Ordinarii jubentur, adhibitis etiam remediis juris, penitus de medio tollere abusum negandi iisdem pueris *Viaticum* et extremam Unctionem, eosque ritu parvulorum sepeliendi.

Cæteroquin de Viatico administrando puero « in quo sufficienter ingenii vim ac aciem advertet » parochus, jam monebantur nostri pastores ante Decretum, ut videri potest in *Lib. Man.*, 2ª ed., p. 147.

(2) In quibusdam tamen diœcesibus præscriptum est ut licentia data a confessario parocho præsentetur, imo quandoque pueri non admittuntur nisi prius examen coram parocho subeant. Hæc nec Decreto, nec Instructionibus nostris præscribuntur, potius obstant; ideoque, saltem privata auctoritate, introduci nequeunt. Congruum tamen videtur dicendum ut parentes et confessarii moneant de consensu dato parochum, quippe qui obligationem habet et jus ea omnia cognoscendi quæ ad conficiendum librum de statu animarum necessaria vel utilia sunt, nisi aliunde quid obstet. Cfr. Lecler, apud *Collat. Namurc.*, t. XI, p. 141.

ignotos obvios habebit, siquidem, ut sub 2/ dicemus, sollicitudo ipsi imponitur de præceptis confessionis et Communionis quæ pueros adstringunt.

2/ Ut diserte affirmatur in art. IV° Decreti, in parochum recidit non secus ac in parentes, in confessarium et in institutores, obligatio præcepti confessionis et communionis quæ puerum gravat. Inde:

a/ Parocho incumbit munus directe instruendi puerum atque efficiendi consilio, adhortatione, monitione ut puer suas obligationes impleat. Hinc, saltem tanquam norma transitoria, in Instructionibus nostris (§ III) præcipitur ut pro illis pueris qui jam discretionis annum attigerunt, at nondum Sanctissimam Eucharistiam receperunt, parochus specialem instituat catechesim; atque, in hunc finem, alternatis mensibus, quum juniorum puerorum confessiones indicit, per tres dies catechesim tradat in qua notiones præ cæteris fundamentales christianæ religionis et doctrinæ de Sanctissima Eucharistia explicet. Hæc sane pro tempore tantum præscripta fuerunt; sed res ipsa exigit ut hujusmodi catechesis in perpetuam institutionem transeat (1), vel saltem ut semel vel pluries in anno (quod cæteroquin art. V Decreti præscribit) quid simile in parochia peragatur. Hac enim occasione parentes, catechista et confessarius facilius pueros ad communionem privatam admittendos secernent, atque ita partim jam parochus altero munere fungeter, quo nempe tenetur invigilare ne omnes isti officio suo desint; nam:

b/ Tenetur etiam parochus illos qui simul cum ipso curam spiritualem puerorum habent (art. IV°) hortari et compellere, ut adamusim servent reinstauratam disciplinam de prima Communione. Præsertim parentes de sua obligatione et *missione* commonefacere debet (2).

---

(1) Ita Lecler, *l. c.*, p. 141, Mahieu, *De eerste H. Communie der Kinders*, Brugge, 1911, p. 64.

(2) Instructiones nostræ (§ I, art. 3°) officia parentum christianorum

II. **Obligationes parochorum post primam Communionem privatam:**

1/ Semel aut pluries in anno parochi indicere jubentur et habere generalem puerorum communionem, tam pro iis pueris qui tunc primum sunt ad sacram synaxim accessuri, quam pro aliis qui, annuentibus parentibus vel confessario, sacra Eucharistia refecti jam sunt. Pro utrisque aliquot dies instructionis et præparationis præmittantur. Ita Decretum, art. V; ast Instructiones nostræ, § I, art. 5, hanc normam agendi magis determinant. Volunt nempe ut hujusmodi communiones generales *pluries* in anno instituantur, atque obligationem extendunt ad domos educationis. Imo, si articulus 5us conferatur cum immediate præcedenti, mens apparet esse Antistitum nostrorum ut alternatis mensibus, occasione puerorum confessionum, generalis habeatur Communio, cum requisita præparatione.

Hanc præparationem quod attinet, nihil aliud determinant Instructiones quam normam transitoriam triduanæ catechesis, de qua supra jam egimus; sed, rursus dicamus, natura rerum exigit ut hæc norma servetur, ut nempe, saltem per triduum, instruantur pueri denuo circa fidei mysteria necessaria necessitate medii et circa ipsam confessionem et Communionem, ut ita in diem majorem gustum Sanctissimi Sacramenti percipiant et majori cum devotione et fructu communicent (1).

---

summatim describunt. Hæc utiliter quandoque e suggestu populo fideli exponentur, v. gr. quando confessio et communio generalis puerorum nuntiantur.

(1) Certe officium desereret parochus qui unicam instructionem, puta immediate ante confessionem puerorum, satis duceret; nam si triduana catechesis norma dici possit transitoria, non ita præparatio quam Decretum præscribit. Vult enim S. Pontifex ut Communionibus generalibus — quas juxta Instructiones nostras parochi pluries in anno habere debent — præmittantur *pro utrisque* (i. e. pro novensilibus et pro iis qui jam communicarunt) *aliquot dies* non tantum instructionis sed etiam *præparationis*.

Utile videtur ut hac occasione pueri pro eorum ætate et captu in varias classes distribuantur. Cfr. Mahieu, *o. c.*, p. 62 ss.

2/ Juxta art. VI Decreti « puerorum curam habentibus omni studio curandum est, ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam sæpius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Jesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione quam talis fert ætas ». Hæc sane obligatio potissimum parochis incumbit (1). Ut patet, instantissimæ petitioni Ecclesiæ non satisfacerent, qui quater aut sexies tantum in anno pueros ad sacram mensam vocarent.

3/ In eodem art. VI necnon in Instructionibus (§ II, art. 4) gravissima affirmatur obligatio providendi religiosæ puerorum institutioni post primam Communionem. Præsertim pueros et parentes gravat obligatio curandi ut publicis catechesis prælectionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorumdem religiosæ institutioni alio modo suppleatur; sed hæc obligatio etiam in parochum recidit. Parochorum enim officium est ea de re parentes et pueros monere, catecheses juxta jus commune et statuta diœcesana instituere (2), instructionem educationemque religiosam in scholis fovere, omnibusque modis et industriis allaborare ut pueri profundiorem religionis scientiam acquirant (3).

Hæc tum puerorum tum eorum curam habentium gravis obligatio magis quodammodo urget sub renovata disciplina. Ut enim animadvertunt Instructiones Antistitum nostrorum, (§ II, art. 4), pueri quasi novum nunc contrahunt officium melius cognoscendi et arden-

---

(1) Cfr. Mahieu, *o. c.*, p. 65 sq.

(2) Cfr. Epist. circul. Ill^mi ac Rev^mi Episcopi, 18 aprilis 1896, *De Catechesi tradenda* in *Collect. Epist. Pastor.*, tom. XVI, pp. 273 sq.; ejus summarium inveniri potest in *Libro Manuali*, 2^a ed., pp. 227 sq.

(3) Ita Lecler, *l. c.*, p. 143, qui addit non posse, saltem apud nos, exigi ante primam Communionem scriptum quo parentes promittant allaborare ut pueri suam religionis scientiam perficiant vel catechismum parochialem frequentent. Satis erit apud nos ut pueri et parentes de gravi sua obligatione edoceantur. De cœtero cum negligentibus vel male dispositis confessarius juxta communes in hac re morales regulas agat.

tius amandi Christum Dominum, quem jam in sacro convivio accipere potuerunt.

III. **Obligationes parochorum quoad Communionem solemnem.**

Licet Decretum *Quam Singulari* non agat de prima Communione solemni, hæc tamen nullatenus est contra mentem Ecclesiæ, modo serventur regulæ quoad Communionem privatam. E contra Instructiones Episcoporum Belgii et Galliæ quæ Communionem solemnem servandam statuerunt, tanquam præmium et fastigium atque medium profundioris christianæ religionis studii, fuerunt ab Apostolica Sede approbata et laudata.

Porro omnia, quæ ante Decretum jure nostro particulari jam statuta erant quoad ætatem, locum, catechismi frequentationem, ritus servandos et jura parochorum relate ad primam Communionem, adhuc hodie in sic dicta Communione solemni *generatim* servari debent (1).

Dico *generatim,* quia in interpretatione antiquarum præscriptionum certe ratio habenda est illorum quæ tum in Decreto, tum in Instructionibus de confessionibus et Communionibus juniorum puerorum dicuntur.

Deinde hæc etiam noviter statuta reperiuntur:

1/ Parochi ad Communionem solemnem admittere non possunt, nisi pueros qui saltem per duos annos catechismum parochialem frequentaverint. (Instr. § II, art. 4). Antea, terminis magis generalibus, pueri ad primam Communionem non admittendi dicebantur nisi prius diligenter examinati et instructi, eaque discretione et ætate pollentes ut dijudicare possent corpus Domini (2).

2/ Juri admissionis parochorum quoddam tamen temperamentum attulit ordinatio II^a Congregationis Prosynodalis, habitæ Brugis 30 Maii 1911 (3); hortatur enim

(1) Hæc inveniuntur, ex variis anterioribus documentis juris nostri particularis deprompta, in *Libro Manuali,* 2^a ed., pp. 146 sq.

(2) Ibid., p. 147.

(3) *Collat. Brug.*, t. XVI, 1911, p. 447.

parochos ut faciles sese præbeant ad concedendam pueris licentiam Communionem paschalem, imo et Communionem solemnem, celebrandi cum aliis alumnis scholæ quam frequentant extra parochiam propriam.

3/ In eadem Congregatione prosynodali, etiam statutum fuit ut deinceps catechesi præparatoriæ ad Communionem solemnem, biennio duraturæ, *ubique* adscriberentur pueri, qui ante 1m Maii anni currentis nonum ætatis annum compleverint, ita ut in omnibus parochiis diœceseos eadem ætate seu anno undecimo ad solemnem Communionem admittantur.

***

Coronidis gratia dicamus: tum S. Pontificem tum Antistites nostros multum instare ut solerter et fideliter reinstauratam disciplinam omnes observent, utque ita « abusus prorsus removeantur et pueri vel a teneris annis Jesu Christo adhæreant, Ejus vitam vivant, ac tutelam inveniant contra corruptelæ pericula ». Quare, ne unquam novæ præscriptiones memoria excidant, Decretum *Quam singulari* quotannis est lingua vulgari, tempore præcepti paschalis, (apud nos quarta Dominica in Quadragesima) populo legendum, ejusque exsecutio inter puncta ponitur de quibus quinquennalis ad S. Sedem relatio facienda est (1).

R. De Schepper.

---

(1) In novis normis, juxta quas decani relationem visitationis parochiarum conficere tenentur, occurrit quæstio 36a (80) sequens: « Quænam sit consuetudo in admittendis pueris ad primam communionem: et an sarta tecta servetur regula a Catechismo Concilii Tridentini tradita, ut pueri qui sui confessarii et parentum judicio discretionis sunt capaces a sacra mensa non prohibeantur, nec diu arceantur ». In responso huic quæstioni opportune fiet relatio de exsecutione totius Decreti *Quam Singulari*.

MISCELLANEA

MATRIMONIALIA.

I

Apud *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 675 s. retulimus, juxta tenorem a R. P. Vermeersch (*N. R. th.*, 1912, p. 528 ss.) exhibitum, rescriptum S. Pœnitentiariæ, die 2ª Decembris 1911, dispensationem indulgentis super impedimento affinitatis legitimæ in primo gradu lineæ rectæ. Qua occasione advertendum diximus hanc concessionem esse habendam uti planè extraordinariam, nec ex allato exemplo facilè præsumi posse similem dispensationem pro futuro. Impetrata erat cæteroquin gratia via extra normam posita: non scil. per organon S. Congregationis de Sacramentis, ad tramites legum Curiæ Reformatæ, sed per organon S. Pœnitentiariæ, ad hoc a S. Pontifice specialissimis munitæ facultatibus (1).

Quod hæc concessio facta sit per modum exceptionis prorsus extraordinariæ, nuperrimè est confirmatum. Nimirum ad preces oblatas ab Ordinario Brugensi, pro dispensatione obtinenda super descripto impedi-

(1) Dispensationem in casu fuisse concedendam a S. C. de Sacram., sequitur ex impedimenti indole publica: quæ publicitas innotescit vel ex ipsa causa in supplici libello adducta, cessatione nempe scandali ex cohabitatione partium exorti; ideo etiam enuntiantur nomina, et cognomina oratorum. Immeritò proinde contendit HILLING, *Archiv f. k. Kirchenr.*, 1913, p. 680, S. Pœnitentiariam tractasse illud impedimentum qua occultum et fori interni; ad quod vindicandum frustra provocare videtur ad illegitimitatem consanguinitatis unde exsurgebat affinitas, quatenus consanguinitas illegitima facilè lateat: hoc quidem dici potest de consanguinitate illegitima respectu patris naturalis, non autem respectu matris, de qua in casu.

mento, S. Congr. de Sacramen., die 27 Octobris 1913, rescribendum censuit: « *S. Sedes* super impedimento de quo in precibus, *minime dispensat* ». In quo tenore nota quam energice denegetur dispensatio, et quomodo non dicatur frustra recurri ad S. Congr. de Sacramentis, sed *S. Sedem* universim et prorsus repellere hujusmodi preces, adeo ut omnis aditus præcludatur recursui ad qualecumque aliud Curiæ Romanæ Officium, in specie ad S. Pœnitentiariam, quæ, in exemplo anni 1911, precibus annuerat postquam a S. C. de Sacr. repulsam fuerant passæ.

Juvat etiam advertere in casu Brugensi obtinere simillima adjuncta quæ obtinebant in casu proposito a R. P. Vermeersch: agebatur, in utroque casu, de matrimonio ineundo inter virum et filiam uxoris defunctæ, et quidem, quod nota, filiam illegitimam, quam natalium illegitimitatem pro circumstantia essentiali habuerunt Boudinhon (1) et Hilling (2); in utroque etiam casu gravissimæ causæ urgebant dispensationis elargitionem, inter quas existentia multiplicis prolis ex unione incestuosa conceptæ.

II

In recenti tractatu, cui titulus *Les Dispenses matrimoniales — Étude historique, théorique et pratique*, Le Puy, 1913, Durieux adducit, p. 108 s., in nota, decretum (hucusque in *Commentario Officiali* nondum vulgatum) S. C. de Sacr., de die 18 Martii 1913, sequentis tenoris, gallicè relati:

« a/ Une dispense accordée pour le deuxième degré, alors que l'empêchement est au troisième, est-elle valide? R.: *Negative*.

b/ Une dispense accordée pour le troisième degré,

---

(1) *Canon. Cont.*, 1912, p. 662 ss.
(2) L. c., p. 681.

alors que l'empêchement est du deuxième au troisième, est-elle valide? R.: *Negative.*

c/ Une dispense accordée pour le deuxième degré, alors que l'empêchement est du deuxième au troisième, est-elle valide? R.: *affirmative,* mais, s'il y a eu erreur, il faudra l'exposer à la S. Congrégation qui délivrera une simple déclaration de validité de la dispense ».

Quod spectat *secundam* partem responsi, confirmatur doctrina communiter admissa, vitiari scil. dispensationis rescriptum, quotiescumque gradus remotior exprimitur loco proximioris, idque etiamsi differentia sit dimidii gradus tantum.

Ad *primum* autem et *tertium* tangitur quæstio disputationi obnoxia, circa valorem nempe rescripti, dispensationem indulgentis in gradu proximiori loco remotioris. Jamvero, collatis inter se responsis ad 1^{m} et 3^{m}, eruitur dispensationem etiam tunc invalidari, si error detur in integro gradu, puta secundo gradu assumpto pro tertio, non autem si error non afficiat nisi dimidiatum gradum dumtaxat, dispensatione scil. elargita super secundo gradu, quando mixtus est gradus secundus cum tertio; monetur tamen, in hac altera hypothesi, locum esse recursui ad S. Sedem, non quidem pro nova dispensatione obtinenda, sed in ordine ad impetrandam declarationem circa rescripti validitatem.

Quibus attentis, et quantum decreti tenori fidere licet, pro valido haberi potest dispensationis rescriptum acceptum in gradu 2° æquali, loco dispensationis in gradu tertio tangente secundum. Recursus quidem est instituendus Romam; sed, cum non agatur nisi de mera declaratione obtinenda, non ideo differenda videtur, in casu urgenti, rescripti executio nec matrimonii celebratio.

In hoc igitur moderanda foret solutio, apud *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 707, proposita, ubi docemus hujusmodi dispensationem potius habendam esse ceu invalidam, in hujus sententiæ favorem invocantes, præter

decretum S. C. de P. Fide, 7 Junii 1853 (*Collectanea*, n. 1238), factum novæ dispensationis, post similem errorem in rescripto detectum, concessæ a S. Sede, die 7 Octpbris 1911, in gratiam Ordinarii Brugensis.

Præsens decretum, et in specie responsum ad tertium, spectat rescripta Romana; applicari autem posset eadem disciplina, ob evidentem analogiam, dispensationi episcopali, sive in forma gratiosa sive in forma commissoria concedendæ.

III

Non sine admiratione observavimus, in ultima editione egregii operis R. P. FERRERES, *Compendium Theol. Mor.*, ed. 7ª, Barcinonæ, 1913, II, n. 877, etiamnum sustineri doctrinam olim propositam a GURY, *Theol. Mor.*, eodem numero 877, post *S. Alphonsum*, l. VI, n. 1139, circa dispensationem petendam in concursu impedimenti publici cum occulto.

Nimirum non admittit laudatus A. normam quæ videtur, inde ab Instructione S. C. de P. F., 9 Maii 1877, passim vulgata, de omnibus scil. impedimentis simul exponendis in unica supplica, et simul dispensandis: juxta quam normam, in concursu impedimenti publici cum occulto, obtenta prævie in foro externo dispensatione super impedimento publico, recurritur, pro foro interno, tali modo ut in unica supplica exponantur impedimenta occulta et publica, indicando dispensationem concessam in foro externo, utque dispensatio a S. Pœnitentiaria impetretur super impedimento occulto, simul cum convalidatione dispensationis in foro externo obtentæ. Non admittit, inquam, hanc normam R. P. Ferreres, nisi *sub distinctione:* eam nempe urget quando agitur de impedimentis *non disparatis*, non autem quando res est de impedimentis *disparatis;* hoc scilicet altero casu, possunt, juxta ipsum, impedimenta seorsim et distinctè relaxari, recursu instituto, in foro

externo, super impedimento publico, et pariter, in foro interno, super impedimento occulto, omissa mentione impedimenti publici.

Disparata autem intelliguntur impedimenta, uti notur apud *Gury,* l. c., « quando unum non augetur ex altero, ut v. gr. consanguinitas et votum, aut consanguinitas et machinatio ». Habenda sunt uti *non disparata*, « quando sunt talis rationis, ut conjuncta afferant majorem repugnantiam ad matrimonium contrahendum, puta si quis velit ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognovit; tunc enim difficilior redditur dispensatio ».

Jamvero hæc distinctio inter impedimenta disparata et non disparata prorsus aliena censetur ab invocata Instructione anni 1877, in qua, absque ulla restrictione, asseritur, sub pœna nullitatis, inserendus « *numerus impedimentorum,* ex gr.... si præter cognationem adsit etiam affinitas, *aut aliud quodcumque impedimentum,* sive dirimens sive impediens ».

Arbitrarium etiam apparet esse inductæ distinctionis fundamentum, cum de quocumque concursu quorumlibet impedimentorum merito dicatur majorem exinde afferri repugnantiam ad matrimonium contrahendum, adeoque et difficiliorem reddi dispensationem.

Cæterùm auctores, jam ante præfatam Instructionem scribentes, nequaquam unanimes erant in admittenda distinctione a S. Alphonso, et post ipsum a Gury, proposita, et suæ sententiæ expositionem immerito concludit alter Auctor, dicendo: « Ita communiter ». Cf., inter alios, GIOVINE, *De Dispensationibus matrimonialibus*, Neapoli, 1866, II, Cons. XXIII, par. 5ª, n. 7, ubi thesim propugnat de omnibus impedimentis simul exponendis in unica supplica, et unico actu dispensandis (1), in ejusque favorem invocat varias juris

(1) Sub n. 13, ab hac norma dubitative excipit impedimenta impedientia.

dispositiones ac plurium auctorum adducit auctoritatem, quibus accedunt, uti addit, « alii permulti Doctores gravissimæ auctoritatis, omnesque practici Scriptores communiter ».

IV

Juvat et hic cum lectoribus communicare nupera decreta S. Sedis, jam in *N. R. th.*, 1913, p. 716 ss., communicata, circa interpretationem et applicationem articuli VIII Decreti *Ne temere* (1). Luculenter confirmant thesim pluries jam vindicatam, privilegium scil. articuli VIII, de matrimonio celebrando coram duobus testibus, absque præsentia sacerdotis, applicari posse in casu quo sponsi, lege anterioritatis matrimonii civilis, prohibentur coram sacerdote nuptias solemnizare.

En tenorem utriusque decreti, qualem eum reperimus apud BUCCERONI, *Supplementum alterum* (2), p. 103, sub n. 1049, cujus utriusque decreti, in Commentario Officiali non vulgati (3), authentiam expresse confirmare favuit egregius Auctor:

« 1° An et sub quibus cautelis annuendum sit, ut oratores matrimonium in facie Ecclesiæ contrahere valeant, quamvis civilem ritum explere nequeant?

« 2° Quænam dispensatio circa matrimonii celebrandi formam concedenda sit, cum, ratione civilis legis, parochus matrimonio assistere non possit?

---

(1) Cf. circa eamdem controversiam, *N. R. th.*, 1913, p. 133 ss.

(2) Integer titulus sic sonat: *Supplementum alterum editionis quartæ et quintæ Institutionum Theologiæ moralis et editionis quartæ Enchiridii moralis, complectens recentissima Acta S. Sedis et decreta SS. Congregationum*, Romæ, 1911.

(3) Quodsi quæratur cur decreta non fuerint ex officio publicata, respondemus non immeritò supponi quod idem motivum ad hoc contulerit ob quod videtur S. C. C., in responso diei 27 Julii 1908, directam et explicitam solutionem declinasse, ne scil. videretur arma suppeditare contra statuta legis civilis.

Notetur autem insertionem in Commentario Officiali, seu in *Actis Ap. Sedis*, non requiri ad hoc ut decretis S. Sedis vis agnoscatur, nisi in quantum novam legem inducant.

Ad I. « R. Parochus catholicus constito primum sibi nullum inter contrahentes intercedere canonicum impedimentum... permitat ut, absque etiam sua adsistentia, matrimonium ineant, sed tamen præsentibus tribus aut saltem duobus testibus integræ fidei; ac, ita celebrato matrimonio, teneantur conjuges, citius quam fieri potest, illud parocho significare, qui in codice matrimoniorum illud saltem secreto adnotet cum indicatione diei ac nominibus testium qui præsentes fuerunt. S. C. de Prop. Fid., 24 Mart. 1909, Collect. n. 571.

Ad II. « Ordinarius, constito primum sibi etiam, si opus fuerit, per juratam contrahentium attestationem, nullum inter ipsos intercedere canonicum impedimentum, permittat, ut absque præsentia parochi matrimonium in casu valide et licite iniri possit, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus; imposito, ad normam N. IX Decreti « Ne temere », testibus in solidum cum contrahentibus onere curandi, ut initum conjugium quamprimum parocho significetur, qui in libro matrimoniorum illud saltem secreto adnotet cum indicatione diei et nominibus testium, qui præsentes fuerunt. Idem autem Ordinarius hortari non omittat nupturientes, ut ad sacramentum Confessionis et SS. Eucharistiæ debitis cum dispositionibus accedant ante matrimonii celebrationem, ac insuper curet, ut iidem contrahentes se obligent ad formalitates civiles explendas statim ac fieri poterit, cujus obligationis documentum in Curia Episcopali adservetur ». S. C. de Sacram. (26) Nov. 1909.

Sufficiat provocare ad *alterum decretum*, a S. C de Sacramentis latum et directe afficiens casum intentum. Datum est, juxta communicationem factam ab eodem R. P. Bucceroni, ad preces Ordinarii Vratislaviensis (Breslau), in gratiam juvenis Russici, qui e patria aufugerat ut sese subduceret servitio militari, quique, ob defectum documentorum a lege requisitorum, non valebat matrimonium civile celebrare in Germania, ubi, sicut apud nos, viget lex obligatoriæ anterioritatis matrimonii civilis.

Respondet S. Congr. non opus esse dispensatione,

sed simpliciter permittendum « ut absque præsentia parochi matrimonium in casu validè et licitè iniri possit, emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus ». Non expressis quidem verbis remittitur ad Articulum VIII, sed æquivalenter, eo vel magis quod ipsi termini adhibiti mutuati sint a dicto articulo.

Peculiare momentum habetur in *cautelis* quæ adhibendæ monentur. Nimirum: a/ imponendum est « ad normam n. (art.) IX Decreti *Ne temere*, testibus, in solidum cum contrahentibus, onus curandi ut initum conjugium quamprimum parocho significetur, qui in libro matrimoniorum illud saltem secretò adnotet, cum indicatione diei et nominibus testium qui præsentes fuerunt ».

b/ « Ordinarius hortari non omittat nupturientes ut ad sacramentum Confessionis et SS. Eucharistiæ debitis cum dispositionibus accedant ante matrimonii celebrationem ».

c/ « Insuper curet (Ordinarius) ut iidem contrahentes se obligent ad formalitates civiles explendas statim ac fieri poterit: cujus obligationis documentum in Curia episcopali adservetur ».

Notatu dignum, in hoc decreto, in quo quasi ex professo determinantur cautelæ, in applicatione articuli VIII observandæ, nullam fieri mentionem cautelæ, quam hucusque passim urgebant Auctores, quamque et ipsi non semel proposuimus usurpandam. Nimirum non censebatur locum esse privilegii applicationi nisi postquam parochus, rite interpellatus, suam assistentiam denegaverat, et mensis inde a nota denegatione effluxerat: ante illam denegationem non censebatur satis constare de impossibilitate morali, pro sponsis, parochum adeundi, cum huic parocho semper integrum esset matrimonium assistere, spretis legis civilis sanctionibus.

Jamvero videtur, ex descriptæ cautelæ omissione in decreto, omnibus attentis, posse concludi eam practice non requiri, adeoque, in locis ubi viget infausta lex ante-

rioritatis obligatoriæ, ad privilegii usum procedi posse, statim ac constat sponsis, inde a mensis spatio, impossibile esse matrimonium civile celebrare: eo scil. ipso censetur obstare grave incommodum (quod, juxta declarationem S. C. de Sacram., diei 12 Martii 1910, adesse sufficit) quominus parochum adeant, quin opus sit hunc interpellare circa voluntatem assistendi necne; præsumitur nempe ejusdem reluctantia.

Pro coronide notasse velimus: 1° Caute inviligandum est a parocho in casu, ut scandalum removeatur et populi offensio. Et sanè natum est fieri ut populus scandalizetur, cum videat virum et mulierem, quorum ignorat matrimonium, conjugaliter ad invicem conversari et ad sacramenta admitti. Varii autem sunt modi scandalo occurrendi, pro opportunitate adhibendi: vel conjuges ad aliam regionem recedant, ubi vulgò habeantur uti conjugati; vel diversam domum occupent ita ut clam conveniant; vel prudenter divulgetur a parocho illarum personarum conditioni esse provisum coram auctoritate ecclesiastica, quin expresse dicatur eas matrimonium contraxisse.

2° Quod spectat ipsam matrimonii celebrationem: opportunum est et suadendum ut tanquam testes assumantur viri digni ac discreti, puta, ubi fieri potest, membra Societatis S. Francisci Regis; ut etiam dignitati et decori consulatur, ipsique cæremoniæ species cæremoniæ religiosæ non denegetur; et ita bonum est ut quædam preces recitentur, tam ante consensus emissionem, in præparationem, quam post illam, in gratiarum actionem ac benedictionis divinæ impretationem.

A. De Smet.

DROIT CIVIL-ECCLÉSIASTIQUE.

DOCUMENTS DE JURISPRUDENCE.

I

CHÈQUES ET VIREMENTS POSTAUX. — EMPLOI PAR LES ADMINISTRATIONS PUBLIQUES.

Arrêté royal du 28 avril 1913 (1).

ALBERT, etc...; vu l'article 7 de la loi du 28 décembre 1912 (2) instituant le service des chèques et virements postaux;

Vu l'arrêté royal du 25 février 1913 (3) portant règlement de ce service;

Revu Notre arrêté du 2 juillet 1912 (4) concernant les versements en numéraire effectués par les comptables des impôts chez les percepteurs des postes;

Considérant l'utilité de l'emploi des chèques et des virements postaux par les administrations publiques;

Sur la proposition de Notre Ministre des finances et de Notre Ministre de la marine, des postes et télégraphes,

Nous avons arrêté et arrêtons:

Article premier. — Les comptes de chèques et virements postaux utilisés par les administrations publiques seront ouverts au nom des bureaux de recette, representés par les comptables en fonctions.

Les fonds disponibles sur ces comptes feront partie de l'encaisse de chaque bureau, au même titre que les pièces comptables.

Art. 2. — Tout compte postal utilisé pour un service public doit conserver un avoir disponible s'élevant au moins à la somme de dix francs.

---

(1) *Moniteur*, 1913, p. 3196.
(2) *Ibid.*, 1912, p. 8445 ss.
(3) *Ibid.*, 1913, p. 2201, voir aussi p. 2214.
(4) *Ibid.*, 1912, p. 4621.

Art. 3. — Par dérogation aux dispositions de l'article 6 de l'arrêté royal du 25 février 1913, la garantie de 100 francs ne sera pas exigée pour l'ouverture des comptes courants destinés aux services des administrations publiques.

Art. 4. — Les comptables effectueront des versements en numéraire chez les percepteurs des postes, aux conditions prévues dans l'arrêté royal du 25 février 1913.

Art. 5. — Des assignations payables en espèces pourront être délivrées aux comptables des impôts, par le bureau des chèques, à l'intervention d'un chef de service désigné par le Ministre des finances.

Les taxes afférentes à ces assignations sont à la charge du trésor.

Art. 6. — Les comptables de l'État opéreront périodiquement des prélèvement sur leur compte postal par virements au profit des agents du caissier de l'État qui délivreront des récépissés de versement au nom des comptables intéressés.

Art. 7. — Le service des chèques et virements postaux effectuera sans frais les virements de compte destinés à faire l'objet de versements dans la caisse de l'État, pour le compte des administrations publiques.

Art. 8. — Les comptables des communes et des établissements publics utiliseront leur compte postal dans les conditions prévues à l'arrêté royal du 25 février 1913.

Notre Ministre des finances et Notre Ministre de la marine, des postes et des télégraphes sont chargés de l'exécution du présent arrêté.

II

Escompte des subsides de l'État et des provinces. — Taux.

Le Conseil d'administration de la Caisse générale d'épargne et de retraite, tenant compte de la persistance du prix élevé du loyer de l'argent, a décidé de porter à 4 p. c. l'an le taux de l'escompte des subsides promis par l'État et les provinces aux communes et aux établissements publics.

Ce taux avait été fixé a 3,40 p. c. par la circulaire du 31 mai 1905 (1).

---

(1) V. *Collat. Brug.* 1909, t. XIV, p. 174 ss.

Suprema S. Congregatio S. Officii

(Sectio de Indulgentiis).

I

DECRETUM (1).

Indulgentia jam concessa fidelibus se invicem salutantibus per invocationem Nominis Jesu (2) etiam Mariæ adjecto nomine, manet.

Sunt quos amor pius erga Beatissimam inter virgines sic delectat, ut Jesum nunquam commemorare queant, nisi glorioso comitante nomine Matris suæ, corredemptricis nostræ, beatæ Mariæ. Laudabilis hæc consuetudo ad illam extenditur invocationem, seu christianam salutationem, circa quam Decretum supremæ H. S. Congregationis, die 27 martii 1913, datum est. Equidem, pluribus in locis salutantur christicolæ his verbis: *Laudetur Jesus et Maria — Hodie et semper*. Ne pereant forte, quæ pro sola datæ sunt Jesu nominis invocatione Indulgentiæ, istiusmodi in adjunctis, apud Ssmum D. N. D. Pium div. prov. Pp. X, die 26 mensis junii 1913, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, supplicatum est, ut benigne concedere dignaretur, invicem salutantes sub invocatione et laude ss. nominum Jesu et Mariæ easdem lucrifacere indulgentias, quas ss. nomen Jesu tantum laudantes. Sanctitas vero sua, has preces perlibenter suscipiens, et gratiam extensionis concessit, et præsens Decretum expediri jussit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S.

M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

---

(1) *Acta Apostol. Sedis*, V, 1913, p. 364.
(2) Cfr. *Collat. Brug.*, hoc tomo p. 411.

II

DECRETUM (1).

Uniformes decernuntur indulgentiæ crucibus quæ « a missionibus » nuncupantur.

Ut piarum missionum, quas ad populum verbi Dei præcones habuerint, memoria perseveret ac fructus, passim usu receptum est, ut Crux aliqua, sive in templis, sive apud illa, sive etiam penitus in aprico, rite benedicta erigatur. Vivificum Redemptionis signum aptum est nimirum ad Religionis reclamanda præcepta, ad pœnitentiæ insinuanda proposita, ad spem futurorum erigendam. Ordinaria Episcoporum auctoritas et Apostolicæ Sedis liberalitas censuerunt jampridem, munere Indulgentiarum esse ditandos qui pie se ad hæc Signa converterint. Placuit porro Ss^mo^ D. N. D. Pio Pp. X, de E^morum^ Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium consulto, variam in re tollere mensuram, et conformes ubique concedere Indulgentias. In audientia igitur R. P. D. Adsessori S. Officii, feria IV, loco V, die 13 augusti 1913, impertita, apostolica Sua utens auctoritate, abrogavit beatissimus Pater omnes hucusque, etiam a Se Suisve prædecessoribus, Crucibus missionum adnexas Indulgentias, quacumque id factum fuerit vel solemniori forma, quolibet, etiam peculiari et specifica mentione digno, Personarum vel Religiosorum Institutorum privilegio, et sequentes novas, sub enunciandis conditionibus, tribuere dignatus est :

I. Plenariam, defunctis quoque adplicabilem :

1/ die erectionis seu benedictionis ipsius Crucis memorialis ;

2/ die anniversario ejusdem erectionis seu benedictionis ;

3/ die festo Inventionis S. Crucis (3 maii) ;

4/ die festo Exaltationis S. Crucis (14 septembris), vel uno ex septem respective sequentibus diebus.

Ad has Indulgentias assequendas, oportet ut fideles Ss^mam^ Eucharistiam, rite expiati, suscipiant, Crucem prædictam et aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitent, atque ad mentem Summi Pontificis preces fundant.

---

(1) *Acta Apostol. Sedis*, V, 1913, p. 429 sq.

II. Partialem, quinque annorum totidemque quadragenarum, similiter adplicabilem, semel in die ab iis fidelibus lucrandam, qui corde saltem contrito supradictam Crucem aliquo devotionis signo exteriori salutaverint, ac *Pater*, *Ave* et *Gloria* in memoriam Dominicæ Passionis recitaverint.

Esto autem Crux erigenda ex solida decoraque materia confecta; determinato loco adhæreat, vel basi firmiter sustentetur; benedicatur per sacerdotem qui in S. Missione conciones habuerit; accedat insuper, pro his peragendis, consensus Ordinarii loci.

Præsenti in perpetuum valituro absque ulla brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

L. ✠ S.

M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

III

DECRETUM (1).

Conceditur indulgentia recitantibus piam precationem ad uberiorem fructum ss. missionum implorandum.

Die 27 februarii 1913.

Ssmus Dnus noster, Dnus Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, precibus Superioris provinciæ Belgicæ Congregationis Ssmi Redemptoris benigne annuens, Indulgentiam trecentorum dierum, etiam animabus in Purgatorio degentibus adplicabilem, semel in die ab omnibus christifidelibus lucrandam, qui in locis ubi proxime habendæ jam per parochos prænuntiatæ sunt Missiones, antequam eædem incipiantur, infrascriptam precationem corde saltem contrito recitaverint, clementer elargitus est. Præsenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

« Très Saint Rédempteur, ô Jésus, notre Maître et notre Roi, c'est à votre divin Cœur, océan d'amour et de bonté, que nous devons le bienfait inappréciable d'une Mission.

« Touché de compassion à la vue de nos misères et du malheur éternel qui nous menace, vous avez résolu de nous sauver.

---

(1) *Acta Apostol. Sedis*, V, 1913, p. 154 sq.

« Les missionnaires qui vont venir à nous sont vos envoyés : c'est de votre part qu'ils nous dispenseront le pain de la divine parole, et nous apporteront la joie du pardon.

« Faites, ô Seigneur, que, fidèles à votre grâce, nous répondions avec empressement aux prévenances de votre miséricorde.

« Que la prédication de votre éternelle vérité éclaire vivement nos esprits et touche profondément nos cœurs, afin que nous comprenions nos égarements et en fassions une sincère pénitence.

« Aux pauvres âmes plongées dans les ténèbres de l'ignorance et de l'erreur, accordez les lumières de la foi. A ceux qui vous ont contristé par une vie d'iniquité, accordez la grâce d'une vraie conversion. Aux tièdes accordez la ferveur ; aux justes le progrès dans la vertu.

« Envoyez à tous votre Saint-Esprit et la face de cette paroisse sera renouvelée.

« Et vous, ô Marie, Vierge immaculée et Mère de Perpétuel Secours, vous êtes le refuge et l'avocate des pauvres pécheurs. Plus on est coupable, plus on a des titres à votre dévoûment. C'est pourquoi nous osons en toute confiance implorer votre puissante et maternelle protection. Notre salut est entre vos mains, plaidez notre cause et intercédez pour nous auprès de votre divin Fils.

« Saint *N.*, Patron de la paroisse de *N.*, priez pour nous durant les jours bénis de la Mission. Ainsi soit-il ».

L. ✠ S.

M. Card. Rampolla.
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

S. Congregatio Indicis

Decreto 13 novembris 1913 (1) in Indicem librorum prohibitorum relatum est opus inscriptum :

Antonietta Giacomelli, *Per la riscossa cristiana*. Milano 1913.

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1913, p. 498.

S. Congregatio Rituum

DECRETUM.

De aliquorum locorum disciplina in initio causarum Servorum Dei emendanda, et de historicis documentis ad ipsas causas recte adhibendis (1).

De Servis Dei, quorum sanctitudo vitæ legitime examinanda curatur, nonnullis maxime locis usu venit, ut, cum admovetur manus ordinariis processibus instruendis super eorum virtutibus vel martyrio, sacra quædam solemnia in ecclesiis indicantur, ac signata *Commissione* ad causam pertractandam apud S. Rituum Congregationem, vulgo diffundatur nuntius, non æquo prorsus loquendi modo, Dei Servum, cujus causa introducta sit, *Venerabilem ab Apostolica esse declaratum,* atque inter ea solemnia pro gratiarum actione panegyricæ etiam orationes habeantur eæque sæpius adeo immoderatæ, ut facile in errorem inducantur fideles, debitam putantes eisdem Dei Servis venerationem, quæ solis beatificatis et canonizatis debetur. Hæc animadvertens Ss^mus^ D. N. Pius Pp. X, ne quid Ecclesiæ disciplina detrimenti capiat, primum omnium solemnia, quæ contra pristinam consuetudinem celebrantur cum agitur de inchoandis processibus ordinariis, reprobavit et prohibuit: deinde recolendam mandavit declarationem additam die 19 februarii 1658 Decretis f. r. Urbani VIII, *Ne, scilicet, per Commissiones introductionis vel reassumptionis seu ulterius progressus causarum tum signatas tum signandas ullum beatitatis vel sanctitatis, aut indultæ venerationis et cultus argumentum vel minimum desumi, nec aliud quodcumque jus, quantumvis modici aut fere nullius momenti, in ejusdem causis quæsitum dici vel prætendi possit:* denique, adhibito consilio gravium virorum et exquisito peculiari voto nonnullorum S. R. E. Cardinalium, vetuit Servos Dei quorum causæ posthac introducentur, *Venerabiles* appellari, item solemnia peragi occasione decreti editi super causæ introductione.

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1913, p. 436.

Inhaerent autem sententiae f. r. Benedicti XIV, qui tutius fore censent a panegyricis orationibus penitus abstinere in honorem Servorum Dei nondum beatificatorum, eas haberi orationes edixit in posterum non licere. Permisit vero ut Servi Dei tantummodo post editum decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio *Venerabilis* titulo ornentur, ita tamen ut ex hac permissione nullum argumentum indultae veneratione, item argui vel praetendi possit. Praeterea consulens pietati fidelium, qui facile hisce in casibus sacrae occasione solemnitatis decipi possent, putantes fas esse ut beatum colere cum de cujus beatificatione judicium adhuc apud S. R. C. pendeat, solemnia ad gratias Deo agendas etiam post editum decretum super heroicitate virtutum vel martyrio pariter prohibuit, qua tamen prohibitione impedire non intendit quominus in missis addatur, prout decet, collecta pro gratiarum actione.

Idem Sgmus D. N. ad recetam tractationem Causarum beatificationis et canonizationis, earum praesertim quae partim historicis monumentis nituntur, vel earum quae subsidiariae probationis privilegio gaudent, illis ipsis in consilium adhibitis quos supra diximus, et exquisita sententia Rmi Patris Promotoris sanctae Fidei haec constituit:

I. In omnibus causis, praesertim recentioribus, Rmi Ordinarii in condendo informativo processu praeter testes qui causae favent, eos etiam universos omnes qui causae adversantur excutiant, nemine excepto, idque sub poena nullitatis, onerata conscientia tum Ordinariorum tum Promotorum fiscalium.

II. In omnibus causis, praesertim antiquis, cum processu ordinario sive informativo compulsentur omnia et singula historica documenta sive manuscripta, sive typis edita, quae quocumque modo causam respiciant quae agitatur. Ad hoc non modo monendi sunt detinentes jura compulsanda, ut ea Ordinario exhibeant; sed, si res postulaverit, examini subjiciendi erunt sub religione sacramenti custodes cujusvis archivi vel tabularii sive publici sive privati; summa quoque diligentia et industria curandum est ut cujuslibet generis documenta ad causam conferentia conquirantur, quae omnia et singula cognoscenda sunt ad normas traditas a fel. rec. Benedicti XIV, lib. II, c. LII.

III. Antequam in Congregatione ordinaria discutiatur dubium super introductione Causæ, sacrorum Rituum Congregationis erit exquirere, pro re nata, documenta apud Curias, uti vocant, generalitias Ordinum et Institutorum religiosorum tum virorum tum fœminarum, necnon in tabulariis sacrarum Romanarum Congregationum, et ubicumque jure præsumitur ea posse reperiri.

IV. Omnia et singula documenta, sive compulsata cum processu ordinario, sive a S. R. C. collecta, subjiciantur judicio peritorum a S. R. C. eligendorum, qui scripto doceant de eorum auctoritate et vi.

Promotori vero Fidei, antequam indicetur Congregatio ordinaria pro introductione causæ, omnia documenta exhibeantur una cum sententia peritorum.

V. Documenta potiora præcipue ex integro typis edantur, prænotatis nomine auctoris, tempore, loco et ceteris id genus adjunctis, atque inserantur Positionibus super virtutibus vel martyrio, una cum relatione peritorum, quos supra memoravimus, de auctoritate et vi documentorum.

VI. In Positionibus pro Congregationibus Ordinaria, Antipræparatoria et Præparatoria, animadversionibus Promotoris Fidei præmittatur synopsis vitæ Servi Dei cujus causa tractatur, breviter et lucide ex officio conscripta, desumpta tum ex testibus tum ex documentis.

VII. In singulis vero Causis beatificationis, quarum judicium in præsens apud S. R. Congregationem quocumque modo pendeat, sacra ipsa Congregatio non procedat ad ulteriora, nisi exhibitis, ab interesse habentibus, et exquisitis ex officio documentis iisque omnibus examinatis, quo modo supra dictum est.

Quæ omnia et singula Sanctitas Sua decrevit et servari mandavit, curaeque et vigilantiæ commisit præsertim Secretarii S. R. C. et Promotoris S. Fidei pro tempore, atque in Acta Apostolicæ Sedis referri jussit hac die 26 augusti 1913.

Ex Secretaria S. R. C.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
✝ Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secret.*

Adnotanda.

Præsens decretum, aliqua attentione dignum, duas complectitur partes:

Prima Pars memoriam renovat legum ecclesiasticarum quibus stricte vetitum est publicum cultum deferre iis, qui cum fama quidem sanctitatis decesserunt et ad quorum beatificationem processus jam instituitur, sed qui nondum rite beatificati aut canonizati sunt. Utile visum fuit Summo Pontifici quædam in disciplina nunc vigente mutare vel magis determinare, ut plenius prudentissimis præceptis Ecclesiæ satisfiat et pietati fidelium consulatur. Ita:

1°/ Deinceps jam non licet *venerabilem* nuncupare servum Dei in cujus favorem obtenta fuit, post processum præparatorium, sic dicta « *Signatio Commissionis* ». Hucusque venerabiles dici poterant servi Dei vi hujus signaturæ seu ex ipso momento *introductionis causæ,* quando nempe Summus Pontifex, admissa supplicatione sibi exhibita per postulatores causæ, atque ea subscripta, impertiebatur S. Congregationi Rituum facultatem procedendi in causa beatificationis (1).

Mutationis motivum est: « non æquus prorsus modus loquendi ». Etenim, ut ipsum verbum indicat, *venerabilis* dicendus est, ille tantum qui *venerari potest.* Jamvero juxta Decretum Urbani VIII, hic allatum, ex facto introductionis causæ et ulterioris progressus in processu nullum potest argumentum, vel minimum, desumi *venerationis* et cultus. Ne igitur fideles modo loquendi decepti quemdam cultum debitum censeant, consultius est impropriis verbis abstinere.

2°/ Hoc eo vel magis requiri dicendum est quod in nonnullis locis prædicta « Signatio Commissionis » locum dabat quibusdam solemniis, notatim orationibus panegyricis, adeo sæpius immoderatis, ut facile in errorem inducerentur fideles « debitam putantes eis-

(1) Cf. De Brabandere-Van Coillie, 7ª ed., t. II, p. 12 ss.

dem Dei servis venerationem, quæ solis beatificatis et canonizatis debetur ». Sed ne, remoto nomine, tamen abusus remaneant, stricte etiam prohibet præsens documentum quævis *solemnia* agere, occasione decreti editi super causæ introductione.

3°/ Poterit quidem deinceps adhuc titulo *venerabilis* ornari servus Dei, quum jam processus *specialis* in finem currit et decretum a S. C. R. latum est super *heroicitate virtutum* vel *martyrio*. Tunc enim veneratione *dignum* esse servum Dei constat ex ultimo et quasi definitivo judicio S. Congregationis in juridica inquisitione de fundamento sanctitatis.

4°/ Attamen ut servum Dei, qui virtutum heroicitate eminuisse declaratur et recte dicitur venerabilis, *de facto* publica veratione prosequi liceat, adhuc deficit judicium quod dicitur de « merito principali » (seu examen miraculorum) necnon præcipue decretum quo Ipse Summus Pontifex indulget cultum publicum (seu ipsa Beatificatio). Ideoque per decretum super heroicitate virtutum vel super martyrio nullum adhuc quæsitum dici potest aut prætendi *jus ad cultum* et jure merito in præsenti decreto præcipitur ut etiam tunc abstineatur ab iis solemniis quæ plus minusve cultum publicum sapiunt vel saltem fideles decipere possunt. Permittit tamen et quasi hortatur Summus Pontifex ut ex tunc addatur in missis collecta pro gratiarum actione: his orationibus *liturgicis* Episcopi eorumque Sacerdotes necnon ordines religiosi gratos se exhibere poterunt Deo pro beneficio obtento, quin ansam præbeant falsis interpretationibus ex parte populi (1).

---

(1) Si autem quæratur utrum adhuc *venerabiles* dici possint servi Dei qui jam in hujus tituli possessione sunt, dicendum est: leges, *in quantum sunt novæ*, non respicere retro, nisi expresse dicatur. Cæteroquin ipsum Decretum agit tantum de servis Dei « quorum causæ *posthac* introducentur ». Hæc applicari possunt casui omnino recenti Bernadettæ Soubirous, cujus causa introducta et signata fuit 13ª Aug. 1913. Porro in ipsa *signatione commissionis* (quam refererunt *Acta Apost. Sedis*, anni

Secunda Pars « de historicis documentis ad ipsas causas recte adhibendis », præsertim illos spectat qui vel in processu informativo, vel in processibus ulterioribus partes habent ; ab illa interpretanda hic abstinere possumus. Hoc tamen notatu dignum est : hic rursus apparere quanta prudentia et industria Sancta Sedes procedat in causis Beatificationis et Canonizationis.

R. De Schepper.

1913, p. 434) facta paucis diebus ante præsens Decretum, Soror Maria Bernarda Soubirous dicitur *venerabilis serva Dei*. Hoc nomine etiam a fidelibus vocari poterit, sed abstinendum erit ab iis omnibus quæ in Decreto nostro ut abusus reprobantur, nempe a solemnibus gratiarum actionibus et orationibus panegyricis : hæc enim jam antea saltem implicite, reprobata existebant.

CONSULTATIO

Quæritur an et quousque circa complicis seminationem interroganda sit puella pubes, quæ confitetur copulam habitam cum fratre legalem pubertatem nondum adepto?

R. Quæstio spectat potissimum disciplinam *reservationis*, in nostra diœcesi Brugensi (1), in qua reservatur peccatum incestus inter fratrem et sororem admissi.

Ad hoc ut reservatio incurratur, requiritur copulam peractam fuisse cum seminatione viri, sive intra sive extra vas mulieris (2). Jamvero ex una parte, cum agatur, in dubio proposito, de masculo legaliter impubere, non præsumitur seminatio ex ipso facto copulæ, sicuti præsumitur in copula cum viro legalem pubertatem adepto; ex alia autem parte, fieri potest et fit ut seminatio non desit, non obstante impubertate legali masculi, pubertatem scil. legalem prævertente pubertate physiologica, seu, uti aiunt, malitia ætatem supplente.

In quantum igitur ex spontanea puellæ confessione de facto seminationis non constat, circa illud inquirendum foret a confessario, ut sciat utrum casus reservatus existat necne, utrum proinde ab illo, absque speciali facultate, absolvere valeat vel non. Hæc autem inquisitio caute et prudenter est instituenda, attenta ætate puellæ necnon confessionis peractæ indole; et si meritò timet confessarius periculum offendendi pœnitentem

---

(1) Pariter reservatur incestus inter fratrem et sororem in archidiœcesi Mechliniensi, necnon in diœcesi Gandavensi, Leodiensi et Namurcensi.

(2) Si, in diœcesi Brugensi, reservatur etiam incestus *onanisticus*, oportet tamen, juxta principia generalia, ut aliunde sit in sua specie consummatus: ut ergo copula, salvo retractu, sit perfecta et generationi apta. Cf. *Collat. Brug.*, t. VII, p. 109 s.

eamve scandalizandi, ab ulteriori investigatione providè abstinere poterit et a peccato absolvere, deficiente licet omni speciali facultate a reservatis absolvendi: illum nempe incestum potest, favente præsumptione de non secuta seminatione, habere uti dubiè consummatum, adeoque practice non obnoxium reservationi.

Cæterum notum est absolutionem, etiamsi a communi confessario esset indebitè impertita super peccato certe reservato, equidem valere, in diœcesi Brugensi, et reservationem auferre, jurisdictionis defectui benigne supplente Episcopo, modò pœnitens, quod facilè supponitur, fuerit bonæ fidei.

A. De Smet.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Mgr von Keppler. *Gedachten en raadgevingen voor den kansel.* Vertaald door Fr. Martinus Hack, O. Cist. Sint-Nicolaas, Van Haver, 1913. In-12, 122 bl. Fr. 1,50.

Schrijver geeft in deze bladzijden den inhoud weer van drie voordrachten over de hedendaagsche prediking gehouden te Ravensburg op de eerste leergang in de kanselwelsprekendheid. Onze predicatie moet, wil zij op onzen tijd en onze geloovigen aangepast zijn, rekening houden met de hedendaagsche toestanden en stroomingen, godsdienstige onverschilligheid of preekmoeheid, nieuwerwetsche wetenschap, sociale stroming, streven naar persoonlijkheid, zedelijken toestand. Dit aanpassen sluit natuurlijk eerst en vooral alle verminking uit van welk geloofspunt ook : het geheele katholieke *Credo* blijft noodzakelijk de onveranderbare kern van onze prediking. Doch in vorm en toon zullen wij vermijden wat ons volk meer dan vroeger afkeerig maakt van den kansel, den schoolschen toon, polemiek. Wat den inhoud betreft, wij zullen nevens de wet ook de reden ervan aangeven, opdat de onderwerping eraan uit overtuiging voortspruite en weze eene vrije en vrijmakende gehoorzaamheid : in Christus' leven en leer zullen wij de oplossing aantoonen van het sociaal vraagstuk, in de kristelijke zelfbeheersching en zelfverloochening, in het naleven van den Godmensch en in de vereeniging met Hem het ideaal der kristelijke persoonlijkheid aanwijzen, in het beoefenen van den katholieken godsdienst de bron toonen van dit geluk, die rust, dien troost waaraan ons volk door 't ongeloof bedrogen meer dan vroeger behoefte gevoelt. Hoe zal nu de predikant ertoe geraken weer het gemoed zijner toehoorders tot zijn woord te winnen, hunnen geest te overtuigen, hunnen wil te bewegen? Door eigen werk en persoonlijke heiliging. *Ora et labora.* Nevens deze hoofdgedachten zullen de lezers, en mochten er velen zijn onder de priesters, talrijke nuttige gedachten en wenken vinden die ze dan, elk volgens zijn midden, zullen kunnen toepassen.

S. Alphonse de Liguori. *La pratique de l'amour envers Jésus-Christ.* Bruges, Desclée. In-18, 356 p. Fr. 0,60.

On pourrait intituler cet opuscule de S. Alphonse : petit traité patrique de la perfection par l'imitation de Jésus-Christ. Puisse-t-il faire partie de la bibliothèque ascétique de tous les prêtres. Sans nul doute, la sainteté de l'auteur qui embaume son œuvre nous en est un gage, à le lire et à le méditer, ils se sentiront à la fois éclairés par ce modèle divin et enflammés de cette charité dont S. Paul écrit, I Cor. XIII, 4-7, et c'est ce texte qui fournit la trame de l'opuscule : « Charitas patiens est, benigna est : charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambi

tiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati : omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. » Or n'est-ce point là la sainteté et l'idéal sacerdotal?

J. B. Chautard. *L'âme de tout apostolat.* Paris, Téqui, 1912, in-18, 142 p.

Nous conseillons vivement la lecture de ces pages à tous nos confrères qu'un ministère de plus en plus absorbant expose au danger d'une vie de moins en moins spirituelle. Nous ne pouvons mieux les résumer qu'en disant qu'elles renferment le commentaire et la preuve de ces paroles de notre évêque .. « unio charitativa cum Deo fundamentum est atque radix omnis vitæ nostræ apostolicæ, cui sola efficaciam tribuere et fœcunditatem omnimodam effundere valet » (1).

Fr. Hier. Mar. Mileta, O. F. M. Conv. *Enchiridion pro directoribus Congregationum Tertii Ordinis S. Francisci Assisiensis.* Romæ, Typis polyglottis Vaticanis, 1913. In-18, 162 p. Fr. 0,50.

Perutile erit hoc opusculum directoribus Tertii Ordinis S. Francisci. In eo nimirum invenient tum encomia Leonis XIII et Pii X præcipua de hoc instituto, regulas brevi commentario illustratas juxta recentiora etiam decreta, indulgentias privilegia et indulta (2) debite explicata, tandem cæremoniale in variis Tertii Ordinis actionibus sacris usurpandum.

A. Legrand.

Petit Vespéral Romain pour les Dimanches et les Fêtes, extrait de l'Antiphonaire de l'Édition Vaticane avec traduction française des Rubriques et du Texte. Édition Schwann C², Dusseldorf, 1913, in-8, IX-510-[138] pp.

Ce vespéral romain, soigneusement et élégamment édité, est destiné aux églises, communautés, collèges où l'on ne célèbre pas chaque jour l'Office divin. Comme dans la grande édition de Schwann, des signes ajoutés au texte des psaumes assurent la distribution exacte des syllabes sur la formule finale. Vraiment ce système sémiographique a fort heureusement réduit à plus de simplicité les formules compliquées trouvées par d'autres.

Une traduction française, littérale et correcte, permet aux chantres de mieux saisir le sens de la mélodie qu'ils ont à exécuter.

Nous espérons qu'une prochaine réédition donnera après chaque Antienne la notation complète du premier verset des psaumes.

A. De Meester.

---

(1) Allocution prosynodale de 1913, *Collat Brug*, t. XVIII, p. 345.

(2) Nimirum tum ea quæ directe Tertio Ordini sunt concessa, p. 75 ss., tum ea quæ vi communicationis cum Primo et Secundo Ordine Tertiariis sæcularibus obtingunt, p. 95 ss. Ita ibi assignantur 34 absolutiones generales lucrandæ sub conditionibus ordinariis quæ sunt confessio, communio et preces.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Februarii.

—

I

Paucis expone an et quare aliquid circa antiquitatem *generis humani* deduci possit ex iis quæ in primis capitibus libri Geneseos referuntur.

II

An methodus immanentiæ (cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 619 ss.) potest esse methodus scientifica demonstrandi factum Revelationis divinæ.

III

Quid est *præscriptio*, et quisnam est generatim valor ejus in conscientia.

IV

Indicatis conditionibus legitimæ præscriptionis acquisitivæ in materia civili, expone in specie conditionem *bonæ fidei*.

V

Explica et proba sequens assertum: Beatitudo hominis objectiva consistit in solo bono increato quod est Deus; beatitudo ejus formalis nihil aliud est quam adeptio vel fruitio Dei I-II, q. II, a. 8, q. III.

VI

Quomodo se gerere debet parochus erga sacerdotes peregrinos in ecclesia parochiali celebrare cupientes?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio*. Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage*. — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii*. Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

De Brabandere-Van Coillie. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium*. Editio octava, curante A. De Meester. T. I, pars prior. Brugis, Desclée et Soc., 1913, in-8, 425 p.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

ANALECTA ASCETICA ET MYSTICA

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XIV, pag. 5).

—

DIONYSII CARTHUSIANI OPELLA INEDITA

DE TRIPLICI VIA

Hoc opusculum nuper deteximus fortuito, inter alia variorum Auctorum scripta, in codice quodam manuscripto bibliothecæ nostræ episcopalis [1]. Deest nomen Auctoris, necnon titulus ille generalis: *De triplici via,* subjectis tamen titulis particularibus paragraphorum seu articulorum, quales eos in textu exhibebimus. Nihilominus, sine ulla dubitatione opusculum et Dionysio Carthusiano auctori adscribimus, et titulo: *De triplici via* insignimus. Hinc enim bibliographi omnes Dionysii conveniunt eum scripsisse opusculum: De triplici via, illudque notant esse deperditum, vel nondum inventum, ipseque Dionysius illud recenset in elencho suorum operum a se conscripto [2]; inde vero, scripto quod invenimus optime congruit prædictus titulus, ut lectori constabit; ejusdem vero textus ita presse refert Dionysii doctrinam, sententias, modumque dicendi, haud raro ad verba usque, ut eidem non tribuendum auctori censere

---

[1] Voluminis descriptionem bibliographicam apud *Annales de l'émulation* brevi se curaturum promisit vir hujus rei peritus R. D. De Poorter, bibliothecæ civitatis Brugensis præpositus.

[2] Vid. in edit. recenti Operum Dionysii, Monstrolii, 1896, tomo I, p. LXVI, sub num. 145, ubi notatur: nondum inventum.

possit nemo, qui cætera ejus opera perlustraverit, et singulariter opusculum perlegerit *De fonte lucis ac semitis vitæ* (præcipue art. II et III, XX, XXIII, XXIV), necnon opus *De contemplatione* (præ cæteris l. I, art. XIX et sqq., art. XXVI, XLII, et l. III, a. XXIII); item inter Sermones, Serm. II et V in Dom. 23ª post Trinitatem; et Serm. *De præelectione portionis divinæ* (edit. Monstrol.-Tornaci, vol. 41, p. 601); in quibus locis plura hac illac dispersa reperiet, quæ heic sermone continuo concinne exponuntur.

Alia authenticitatis argumenta requiri non putamus. Attamen abs re non erit subjicere quod animadvertit ipse Dionysius [1]: « Opuscula ipsa mea pro maxima parte jam aliis sunt concessa, nec exordiorum ac terminorum ipsorum recordor, nisi quod omnia vel pene omnia finiuntur his verbis: « Qui est super omnia Deus sublimis et benedictus. Amen. » Per articulos quoque procedo. Ex stilo, item tenore et forma poterunt probabiliter saltem discerni. »

Hæc quidem omnia cum opella nostra perfecte quadrant. Etenim, quamvis finis opusculi non sit, qualis modo indicabatur, aliquot tamen ante finem lineis legitur: (gratia) « conjungit animas fonti vitæ, Deo sublimi et benedicto. » Per articulos quoque procedit, ut videbimus. Stilus autem, tenor et forma, ut jam diximus, nullum relinquunt dubium.

En jam textum opusculi:

Quomodo Christo competat ratio triplicis viæ. [2]

Beatissimo theologorum principe Dyonisio docente, Christus etiam secundum formam assumptam non solum ecclesiasticam sed et angelicam

---

[1] Loc. in nota præc. cit., p. XLIX-L.

[2] In nostro manuscripto scribitur constanter *racio, eciam* etc., loco *ratio, etiam;* item *e* pro *æ;* quæ quidem mutanda duximus. Punctuatio autem et divisio in alineis a nobis sunt, abbreviaturas quoque innumeras, in commodum lectoris, interpretati sumus. De cætero, quam accuratissime manuscriptum referimus.

hierarchiam summosque angelorum purgat, illuminat et perficit. Quoniam ergo militantem ecclesiam purgat, illustrat et perficit, etiam secundum quod homo habens humanitatem Verbo hypostatice copulatam, merito dici potest via purgatoria, illuminatoria et perfectoria.

Enimvero via purgatoria perhibetur in quantum suis moralibus documentis, strenuissimis increpationibus, metuendissimis comminationibus, meritò quoque suæ sanctissimæ conversationis ac passionis mundat et eripit nos a sordibus culpæ, a labe peccati. De quo profatur amicus paranymphusque sponsi: Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi; et *Paulus, Actuum 13°:* Per hunc peccatorum remissio annuntiatur. Dominus enim posuit in eo iniquitates omnium nostrum, ut dicitur *Ysaiæ 53°*. Ipse est utique qui dilexit et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, factus pro nobis maledictum, ut nos a maledicto eriperet [1].

Ambulando autem per Christum tamquam per viam purgatoriam vitamus errorem peccati, ipso de seipso testante: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris.

Præterea Christus asseritur via illuminatoria, quoniam evangelicæ legis sapientia instruit nos, lucemque salutaris scientiæ cordibus nostris infundit, quia de plenitudine ejus accepimus omnes,

---

[1] « Quod attinet ad canonem textumque Scripturarum, et alia quædam: semper advertendum est, Auctorem nostrum ante Tridentinum Concilium scripsisse. » Ita notant editores Operum Dionysii Carthusiani, Monstrolii, 1896, t. I, p. LXXX; quod quidem de manuscripto nostro omnino valet; in quo etiam quidam textus videnter memoriter recitari.

quapropter quidem aijt: Ego sum lux mundo, et ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati. De quo Ysaias prædixit: Docebit nos vias suas.

Ambulando autem per Christum tamquam per viam illuminatoriam declinamus caliginem ignorantiæ atque fallaciæ, unde *Johs 15o* profitetur: Si verba mea in vobis manserint, vere discipuli mei eritis; et alibi: Si quis per me intraverit, etc.

Insuper perfectoria via nuncupatur, quoniam æternam felicitatem nobis promeruit, ultimo fini immediate nos nectit. Idcirco ait *Johs 10o:* Ego sum pastor bonus, et vitam æternam do eis; et alibi: Vado parare vobis locum. Itemque: Pater, quos dedisti mihi volo ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut videant claritatem meam. Dicitur quoque Christus via perfectoria, quoniam legem totius perfectionis plenitudinem continentem edocuit, suosque electos ad divinæ caritatis apicem ducit.

Ambulando autem per Christum tamquam per viam perfectoriam [1], vitamus conversionem mentis ad bona caduca totoque cordis conatu ad bonum incommutabile suspiramus, dicendo cum Sancto: Deus cordis mei et pars mea Deus in æternum. Et rursus: Nomen tuum et memoriale tuum in desiderio animæ.

Christus ergo est via purgatoria inquantum Salvator; via illuminatoria, inquantum magister et doctor; via perfectoria, inquantum sacerdos et pontifex noster. Quo ad primum, loquitur de seipso: Venit filius hominis salvare quod perierat. Quo ad secundum: Nolite vocari rabbij, unus est

---

[1] Erronee hic scriptum est: purgatoriam.

enim magister vester Christus. Quo ad tertium, scriptum est de eo *prima Petri, 5º:* Conversi estis ad pastorem et episcopum animarum vestrarum. *Zachariæ* quoque 6º: Ipse ædificabit templum Domino et erit sacerdos super solio suo. Ordo autem episcopalis præsertim perfectivus est secundum Dyonisium. Rursus quantum ad primum convenit ei hoc nomen Jhesus, dicente angelo ad Joseph: Vocabis nomen ejus Jhesum, ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Quantum ad secundum, competit ei consiliarii nomen, *Ysaia* canente: Vocabitur nomen ejus consiliarius. Quantum ad tertium, dicitur princeps pacis.

Verum, cum Christus sit Deus et homo, secundum utramque naturam congruit ei purgare, illuminare, perficere, sed differenter. Nempe ut Deus purgat, illuminat, perficit auctoritative, principaliter et efficienter, gratiam, sapientiam, caritatem creaturæ infundendo, sic quod non dicitur via purgatoria, illuminatoria, perfectoria, sed finis totius purgationis, illuminationis et perfectionis. Secundum assumptam vero naturam facit hos actus [1] ac instrumentaliter. Sicque dictus est via modo prædicto.

De triplici via formali.

Quoniam teste Apostolo non prius quod spirituale sed quod animale, oportet spiritualem ascensum illic incipere ubi spiritalis descensus seu

[1] Hic relinquitur spatium seu deest verbum, puta *ministerialiter* vel *subordinate* aut simile.

peccati ruina sistebat. Homo autem in originali justitia conditus, Creatoris præceptum prævaricando, a tranquillissimo mentis statu usque ad carnis contra spiritum rebellionem, sensualitatisque contra rationem dilapsus est pugnam. Oportet itaque ad mentis reformationem proficiscentem in primis corpus spiritui sensualitatemque rationi subicere; quod est expoliare veterem hominem cum actibus suis, quod certum est ad viam purgatoriam pertinere. Unde via purgativa sive purgatoria aliud prorsus non est nisi conatus seu studium animæ ad subiciendum corpus spiritui, sensitivamque partem rationi: quod est vitia carnis expellere, passionum motus frænare, omnemque immunditiam extirpare. Ad quod hortatur nos divus Apostolus, *ad Rom. 12º:* Obsecro vos ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Et nolite conformari huic sæculo. Petrus quoque in prima sua canonica: Obsecro vos tamquam advenas et peregrinos abstinere a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam. Compellenda ergo est caro animæ in omnibus deservire in omni divino labore atque exercitio virtuoso, ne corporali quieti immoderanter indulgeat, sed velut ancilla ac instrumentum profectibus animæ famuletur ac pareat, quatenus impleatur quod *ad Rom. 6º* Paulus hortatur: Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Moderandæ proinde sunt animæ passiones, ne rationis censuram obtenebrent, ne lucem sapientiæ turbent, ne animam lædant. Quemadmodum *Eccli. 18º* jubetur: Post concupiscentias tuas non eas, et a vo-

luptate [1] tua avertere. Ad hujus viæ exercitium pertinent virtutes morales, quarum est in omni affectione seu motu passionum medium observare, excessum atque defectum vitando. Itaque per viam purgatoriam incipimus ad originalis justitiæ conformitatem redire. Quo facto ingredi debet anima viam secundam ac altiorem quæ illuminatoria nuncupatur.

Cum enim secundum Scripturas in malevolam animam non intret sapientia; vera, formata ac salutaris illa præsertim quæ est unum et primum septem donorum Spiritus sancti, susceptivum namque secundum Philosophum non est contingens, sed actus activorum fiunt in passivis dispositis; cum anima prædicto modo fuerit expurgata, facta est capax illustrationis divinæ ut sit sedes sapientiæ, thalamus sponsi, divinitatisque thronus. Via igitur illuminatoria est occupatio animæ in contemplatione divinorum et speculatione cœlestium, in consideratione spiritualium ac supernaturalium rerum, quatenus juxta doctrinam Apostoli contemplemur non quæ videntur sed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Sic enim portamus ymaginem cœlestis, sicut olim portamus ymaginem terreni. Ad hanc pertinet viam quod *2ª ad Cor. 4º* dicit Apostolus: Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem charitatis scientiæ Christi in faciem Jhesu Christi. Alibi quoque: Nos, inquit, revelata facie gloriam Domini speculantes. Ad hanc perfectionem nequeunt pervenire nisi ablactati a lacte,

---

[1] Vulgata habet *voluntate*, Eccli., XVIII, 30.

avulsi ab ubere, omnis enim qui lactis est particeps expers est sermonis justitiæ. Cum equidem Deus benedictus sit sol intelligentiæ omnia penetrans, a quo non distamus nisi dissimilitudine culpæ, quæ prohibet bonum a nobis, palam est quod mens studiosa, a vitiis emundata et juxta *Dyonisium* ad radium se convertens, cordiali vehementique zelo Deum in omnibus honorare contendens, affluenter illuminetur a liberalissimo atque piissimo Deo; item ut unctio doceat eum de omnibus et dicat: Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum. Ideo Jacobus admonet: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo et dabitur ei. Itemque Psaltes: Accedite ad eum et illuminamini.

Interea ad hanc viam pertinet quadripartitum genus contemplationis a sancto Bernardo inductum; quorum primum, admiratio majestatis; dum anima in contemplatione divinæ altitudinis, et in speculatione incomprehensibilis divinæ naturæ suspensa atque deficiens clamat: Mirabilis facta est scientia tua et non potero ad eam. Secundum est consideratio judiciorum Dei in quorum discussione deficiens anima profitetur: O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus; et denuo: Venite et videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum. Tertium est consideratio beneficiorum Dei. Quartum vero promissionum ipsius.

Verumptamen assignari potest quinquipartitum genus contemplationis hoc modo: ita ut primum dicatur supernaturalis contemplatio superbenedictæ Trinitatis, quum videlicet consideramus de Deo quæ omnem naturalem rationem transcendunt

et supersanctæ Trinitatis concernunt misterium. Secundum est naturalis speculatio simplicis Deitätis, quando pensamus ea de Deo quæ naturali possunt ratione scrutari. Tertium est consideratio humanitatis Christi et misteriorum ejus. Quartum est speculatio naturalium Dei donorum. Quintum vero contemplatio supernaturalium munerum gratiæ, testimonio Apostoli.

Porro cum fuerit anima taliter in appetitu sensitivo reformata atque in intellectu decorata, restat ut tertiam ac supremam apponat ingredi viam, quæ perfectoria seu unitiva vocatur, consistens in hoc ut mens ex contemplatione divinorum amore vehementer succensa, tota flammigera, æstuans et ignita, universa quoque creata supergrediens et oblita, imo seipsam cunctosque actus suos relinquens, totaliter fertur et absorbetur in Deum; cui pro tunc angusta et velut pro nichilo est omnis creatura. Hæc est mistica illa theologia seu visio, quæ in apice affectus consummatur, de qua in libro misticæ theologiæ tractat theologus. Estque viscerosa, affectuosa atque extatica contemplatio, seu contemplativa transformatio ac deglutitio mentis in Deum, qua ab omni creaturarum multitudine segregata illi uni quod solum necessarium est stat pure, ardenter ac irreflexe intenta, ejus dulcedine et amore velut liquefacta ac resoluta, cupiens jugiter sic manere, imo dissolvi et facialiter æternaliterque videre. Ad hanc excellentissimam viam pertinet illud Apostoli *ad Gal. 2º:* Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus. Istud etiam *Canticorum 5º:* Comedite amici et bibite, et inebriamini carissimi; hoc est in eamdem ymaginem transformari a claritate in claritatem;

vacare, gustare, videre quam suavis est Dominus; futuram beatitudinem prælibare. Verum de hac re tamquam inexpertus, rudis ac frigidus amplius loqui non audeo. Hæc nempe est excellentissima præsentis vitæ perfectio, ad quam nemo, ut arbitror, valet pertingere, nisi privatum amorem penitus extirpando, ne amat [amet] se in se sed in Deo duntaxat; quo facto in omni utique adversitate cordialiter exultabit sicque divinæ dilectionis ardore replebitur. Nichilominus aliud pertinet ad hanc viam unitivam ad quam quilibet religiosus potest et debet pertingere: debet enim, cum ad consilia obligetur, eminenti quadam Dei caritate flagrare et ex sequenti divinæ et increatæ beatitudini cordialiter congaudere, de immensa Dei sui perfectione potissime exultare et de ejus laudibus jugiter delectari, de ejus honoratione maxime gloriari.

Quomodo ad hanc triplicem viam multa dicta Sanctorum reducantur.

Præterea ad viam purgatoriam pertinet status animalis seu incipientium; ad viam illuminatoriam, status rationalis seu proficientium; ad viam perfectoriam, status spiritalis seu perfectorum. Rursus ad viam purgatoriam pertinent servi fideles; ad illuminatoriam, secreti amici; ad perfectoriam, occulti filii. Iterum ad viam primam pertinet ethica; ad secundam, theorica; ad tertiam vero, vita divina. Adhuc autem ad primam viam spectant virtutes polliticæ ac morales; ad secundam, virtutes purgatoriæ ac intellectuales; ad tertiam, virtutes quas theologi vocant divinas, platonici vero, purgati animi, peripatetici autem heroïcas,

harumque virtutum actus proprie dicuntur beatitudines.

Est proprie distinctio magna inter fideles servos, occultos amicos, filiosque secretos, ut quidam devotus mirabiliter illuminatus [1] testatur.

Sunt enim servi fideles, qui cum caritate et pura intentione præcepta custodiunt, mortalia sollicite declinantes, sed nondum interni et contemplativi effecti, nec evangelicorum jugo consiliorum colla sua subiciunt.

Secreti vero amici dicuntur, qui Deo amorosa atque interna adhæsione cohærent, ad spiritualem se gustum intimamque exercitationem extendentes. Verumtamen nondum effecti sunt nudi, quippe qui necdum omnem proprietatem abjecerunt, nec sibimetipsis totaliter moriuntur. Adhuc enim dona Dei, videlicet consolationem internam, mentalem dulcedinem pro magno aspiciunt, amant et expetunt. Hi ergo ad viam illuminatoriam pertinent, quoniam per sapientiam fiunt homines Dei amici, Christo testante *Joh^s 15°:* Jam non dicam vos servos sed amicos, quia omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis. Hinc *Sapientiæ 7°* legitur: Neminem diligit Deus, nisi qui cum sapientia inhabitat.

Occulti vero filii omni proprietati moriuntur, nec aliquo modo ad propria commoda reflectuntur, sed ardentissimo caritatis affectu feruntur in Deum, pure propter immensam ac insitam naturalemque bonitatem ipsius, Deum duntaxat non dona ipsius sincerissime intendentes; hoc est deiformiter simplificari, imo et deificari, atque in limpidissimum

[1] Nempe Rusbrochius.

deificæ dilectionis transformari affectum, propter quod *Johs 17o* ait Salvator: Non pro hiis, scilicet Apostolis, rogo tantum, sed pro hiis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te et ego in eis, ut sint consummati in unum. Denique cum liberalitas Dei unicui [que] influat dona Spiritus sancti, secundum quod dignus et capax est, et prout seipsum disponit et applicat, juxta illud *Job 34to:* Si direxerit homo ad Deum cor suum, spiritum illius et flatum ad se trahet: propterea, sicut occulti filii seipsos totaliter atque potissimum exhibent Deo, se toto corde transfundentes in ipsum, ymo infinitam reverentiam ei exhibere optantes: sic Deus, qui est omni creatura in infinitum liberalior, ditior ac melior, animas talium exuberantissima gratiarum inundatione adimplet, seipsum quoque eis offert, ingerit, atque cum tanta divitiarum plenitudine communicat, ut hoc sustinere non prævalens a se prorsus deficiat et in Deo super omnia prædilecto amore victus ac resolutus dulcissime feliciterque obdormiat. Proinde multifarie multisque modis ostendit se Deus gloriosus et sanctus animabus purissimis: nunc quidem ut summum infinitumque bonum, tunc anima in mistico caritatis fervore incenditur atque ingenti suavitate perfunditur; nunc vero tamquam immensam majestatem, tuncque anima protinus ad Dei reverentiam mirabiliter inclinatur et profundissime humiliatur; nunc vero tamquam inflexibilem æquitatem, et sic anima ad Dei timorem tremebundissime commovetur. Hii tales dicuntur veri heroyci, perfecti, divini, qui in omnibus a Spiritu sancto aguntur.

Denique prout refert Macrobius 5° super sompnium Scipionis, Plotinus, inter philosophiæ professores cum Platone princeps, quadriformem ponit distinctionem virtutum, quarum primæ dicuntur politicæ, secundæ purgatoriæ, tertiæ purgati animi, quartæ exemplares.

Cum enim homo sit naturaliter animal civile ac sociale, indiget virtutibus quibus bene se habeat in conversatione humana communi ac mutua, et istæ vocantur politicæ, de quibus Scriptura frequentissime loquitur, ut cum *ad Ephes.* 4° ait Apostolus: Cum omni humilitate, mansuetudine et patientia supportantes invicem caritate.

Sed quoniam homo conari debet assimilari angelicis mentibus, ut conversatio sua incipiat esse in cœlis, ymo et Deo, dicente Apostolo: Imitatores Dei estote sicut filii carissimi: idcirco virtutes purgatoriæ nuncupantur eorum qui jam divini capaces effecti sunt luminis, passionumque immoderantiam extinxerunt. Unde prudentiæ purgatoriæ est cuncta mundana contemplatione divinorum relinquere, omnemque cogitatum in superna defigere [1], quatenus omnia arbitretur ut stercora propter eminentem [2] scientiam Christi, dicatque cum Apostolo: Quæ quidem retro sunt oblitus, in anteriora extendens meipsum.

Virtutes vero purgati animi eorum dicuntur qui ab omni mundi hujus aspergine pure detersi sunt, qualis erat qui dixit [3]: Diem hominis non concupivi tu scis, et alter: Quid, inquiens, mihi est in

[1] Hoc verbum delevit copista, et posuit erronee *deficere*.
[2] Copista per errorem scripsit *imminentem*.
[3] Nempe Jeremias, XVII, 16.

cœlo, et a te quid volui super terram. Illius prudentiæ est sola divina nosse et ea quasi aliud nichil sit incessabiliter intueri.

Porro virtutes exemplares sunt ideales prædictarum virtutum rationes causales atque fontales in divinæ mentis lumine consistentes.

Hæc de proprietate et distinctionibus triplicis viæ inducta sunt, eo quod Christus ait: *Ego sum via.*

Consequenter videndum est quomodo ipse [Christus] sit veritas.

Christus præterea secundum divinam naturam est vere ac proprie veritas; Veritas itaque supersubstantialis, æterna omnisque veritatis creatæ origo fontana, exemplaris et increata, infallibilis regula, invariabilisque mensura. Verum quippe tripliciter sumitur: primo, ut est passio convertibilis cum ente, quemadmodum bonum, sicque omne ens dicitur verum in quantum habet naturam vel entitatem ad suam rationem seu speciem pertinentem. Nil enim reale superaddit hoc verum seu veritas enti, sed sicut bonum superaddit enti aliquid secundum rationem, videlicet ordinem ad appetitum, sic verum istud superaddit enti ordinem ad intellectum, ita ut ens dicatur verum in quantum sortitur sui ordinis naturam vel existentiam et natum est facere veram in intellectu conceptionem. Hoc itaque modo Christus est veritas quoniam ipsa perfecta ac summa deitas in ipso vere consistit, prout de ipso ait *Johannes* in fine primæ suæ canonicæ: Hic est verus Deus et vita æterna; unde et Christus: Ego, inquit, et pater unum sumus, et pater quod dedit mihi majus omnibus est, id est divina essentia.

Secundo, dicitur verum prout ultra veritatem naturæ dicit ordinem ad operationem vel finem, quemadmodum verum vinum vocatur quod potest vini operationes efficere, sic quoque Christus dicitur verus et veritas, quoniam operationes Deo propriæ sibi conveniunt, puta creare, omnia enim per ipsum facta sunt; justificare, quia in hoc omnis qui credit justificatur; futura pure contingentia cordiumque archana prænoscere, videre, et aliis illa revelare, secundum quod ait in *Apocalypsi:* Scient omnes ecclesiæ quia ego sum scrutans corda et renes; omnia gubernare, conservare et in seipsum finaliter ordinare, juxta illud: Ego sum primus et novissimus, alpha et O[mega], principium et finis. Idcirco de ipso veraciter dicitur: Non est similis tui in diis, Domine, et non est secundum opera tua. Peccata vero [1] et abusiones dicuntur quia non habent directe ordinem ad finem.

Tertio, dicitur verum secundum quod superaddit enti impermixtionem ad non esse, sic quod verum excludit admixtionem omnis falsi et vani, potentiam quoque ad non esse et quidquid plenitudini veritatis repugnat; sicque Christus ut Deus est maxime veritas, quoniam esse divinum est penitus uniforme et simplex, plenum, ratum ac infinitum, ita quod nil de suo opposito vel non esse seu alienæ naturæ potest ei inesse aut commisceri. Imo hoc modo soli Deo competit esse secundum quod ipse oraculo ait ad Moysen: Ego sum qui sum, hoc dices filiis Israël: Qui est misit me ad vos. Job quoque testatur: Quis potest facere mundum de immundo, nonne tu qui solus es [2].

[1] Hic forte omissum est verbum *mendacia*.

[2] *Job*, XIV, 4.

Item quod Deus solus est et cogitationes ejus avertere nemo potest [1]. Hoc Salvator, *Joh^s octa^o* insinuans: Antequam, ait, Abraham fieret, ego sum. Hinc juxta Damascenum, primo libro: Esse vel qui est, est primum et principalissimum nomen Dei, quoniam totum in seipso comprehendit velut pelagus quoddam substantiæ infinitum et indeterminatum. Et Hilarius in libro de Trinitate testatur: Esse non est accidens Deo sed subsistens veritas, manens causa et naturalis generis proprietas. Divinum etiam esse omnem nobilitatem essendi cum infinita plenitudine simplicissime comprehendit, ita ut, teste Anselmo, quidquid absolute loquendo melius est non esse quam esse sit Deus.

Veritas insuper prædictis modis accepta communis est toti superbeatissimæ Trinitati, singulis quoque divinis personis. Unde *Joh^s 17°* Filius ait ad Patrem: Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum verum Deum. Et *prima Joh^s, ultimo,* legitur: Scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum ut cognoscamus Deum verum. Cum ergo tanta sit plenitudo et excellentia veritatis ac subsistentiæ esse divini, propterea, comparatione divini esse æternæque veritatis omnis creatura dicitur quodammodo nihil, vana et mendax, dicente *Apostolo:* Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax, et *Ysaia:* Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo et quasi nichilum et inane reputatæ sunt ei. Hoc per experientiam et sui humiliationem didicerat Nabagudonisor cum dicebat: Omnes habitatores [terræ] apud ipsum in nichilum

[1] *Job,* XXIII, 13.

reputantur[1]. Est quoque omnis creatura secundum se considerata vanitati et mutabilitati subjecta, propter quod solus Deus secundum Apostolum habet immortalitatem seu omnimodam immutabilitatem, secundum quod *Malachiæ 3°* loquitur: Ego Dominus et non mutor. Verumptamen cum Filius Dei sit Verbum paterni intellectus per modum intellectualis emanationis procedens, ideo veritas et cætera quædam ad intellectum pertinentia sicut ars, sapientia, exemplar, Christo appropriantur, propter quod appropriate loquendo: Ego sum, inquit, *via et veritas*.

(Sequitur).

[1] *Daniël,* IV, 32.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Decembris propositas.

I

Liber Geneseos, proœmium ad Vetus Testamentum.

Q. *Delinea historiam generis humani prout per summa capita describitur in libro Geneseos, tamquam proœmium ad historiam populi Israël* (1).

R. Sacra Scriptura tota est in describendo historiam, doctrinam, mores et instituta populi Dei, tum Judaici in Vetere, tum Christiani in Novo Testamento. Liber autem Geneseos haberi potest qua *introductio ad reliquum Vetus Testamentum universum*. *Scopus* ipsius manifeste fuerit non tantum narrare historiam patriarcharum Abraham, Isaac et Jacob, populi Israël avorum, sed etiam determinare locum quem populus Israël in universa œconomia hujus mundi occuparet.

Duplex habetur *pars* totius libri:

Prior præbet conspectum generalem *totius mundi, totiusque generis humani*, inde ab ipsa origine sua, eumque perducit usque ad Abraham, quem Deus in patrem futuri sui populi eligit (cap. I-XI); altera delineat

---

(1) Cfr. Bacuez-Vigouroux, *Manuel Biblique*, t. I, nn. 231 ss.; — Driver, *An Introduction to the Literature of the old Testament*, 7a ed., pp. 5 ss.; — Mangenot, *Pentateuque* in *Dictionnaire de la Bible*, t. V, coll. 52 ss.; — Dessens, *De boeken van Moses* (in coll. *Biblia Sacra Veteris Testamenti*, t. I, pp. 7 ss.); — Gigot, *Special Introduction to the Study of the Old Testament*, 2a ed., t. I, pp. 142 ss., etc. Ill. ac Rev. Waffelaert, *Meditationes theologicæ*. (Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX. pp. 481: *de indole propria libri Geneseos*. — Ed. gallica t. II, pp. 197 ss.).

historiam *trium Patriarcharum* qui populo isti originem dederunt (cap. XII-L).

Integra autem narratio libri Geneseos, quod *formam litterariam* attinet, continetur structura schematica bene perspicua per formulam decies recurrentem: *Istæ sunt generationes* (1)....: II, 1; V, 1; VI, 9; X, 1; XI, 10; XI, 27; XXV, 12; XXV, 19; XXVI, 1; XXVII, 2. Hisce totus liber fit quasi magna tabula genealogica cui, data occasione, adjungitur et intermiscetur narratio variorum factorum ad personas enumeratas attinentium.

Porro in omnibus hisce sectionibus manet attentio lectoris provocata in *Israël*, et per varia stadia successiva procedit **linea genealogica recta** et historia mundi ab ipsa creatione cœli et terræ per Adam, Noë, Sem, Thare, Abraham, Isaac, Jacob, usque ad ipsum populum Dei in terra Ægypti constitutum. Dum autem progreditur hæc genealogica successio recta, gressu quoque continuo notantur et *eliminantur* tum nationes tum individui homines lineis collateralibus procreati, indeque fit *populum Israel gradatim magis magisque emergere* ex variis nationibus quibuscum primitus confusus exstiterat, eumque nitide apparere qua populum Dei, hæredem et custodem veri Dei cultus ejusque promissionum.

Hæc prænotata jam licet applicare libro Geneseos, ex eoque *schematice delineare* historiam generis humani qualis inibi tamquam præparatoria ad historiam populi Israel describitur. Hoc schema constat **decem sectionibus,** sub quibus successive veniunt:

---

(1) Formula qualis V, 1 occurrit sic habet: *Hic est liber generationum...*; quæ sane quoad sensum nihil differt a reliquis. — In c. XXXVI vv. 1 et 9 *bis* occurrit formula pro eodem Esau. — Quod *sensum* hujus formulæ attinet, vox quidem hebraica *Tholedoth* etymologice bene vertitur: *generatio*, sed inde transiit ad sensum: *genealogia, arbor genealogica*, indeque adhiberi potuit sensu quem habere videtur in locis libri Geneseos de quibus agimus: *evolutio historica* seu *historia subsequens;* et hic sensus proponitur in W. Gesenius' *Hebräisches u. aramäisches Handworterbuch* (ed. 15ª parata a F. Buhl, Leipzig, 1910).

1°/ **Generationes cœli et terræ** (I-IV) (1). Ad hanc sectionem referenda est creatio **cœli et terræ** et omnium rerum quæ in eis sunt, et in specie productio primi hominis *Adam*, simul et historia felicitatis suæ originalis necnon et lapsûs ipsius, cum promissione divina de futuro Redemptore.

Linea recta quæ ab Adamo progedietur versus populum Dei, per **Seth**, filium Adami transibit. Quare *eliminandi* sunt ex historia cæteri filii ipsius; et ideo antequam ad Seth deveniatur narratur nativitas *Cain* et *Abel*, hujusque cædes; Caini vero posteritas enumeratur. De solo Seth remanebit sermo habendus. Et inde in sectione sequente:

2°/ **Generationes Adam** (V-VI, 8), texitur genealogia *Adæ* ac posterorum ipsius per lineam filii sui *Seth* et perducitur usque ad **Noë** (c. V).

Præter istos omnes quos tabula genealogica in linea recta enumeravit inter Seth et Noë, multi alii fuerint collaterales; homines enim multiplicari cœperunt (VI, 1). Hi omnes iterum *eliminantur* per diluvium, remanebitque solus Noë cum filiis suis (VI, 1-8). Inde in sectione sequente:

3°/ **Generationes Noë** (VI, 9-IX), narratur historia Noë et filiorum suorum usque ad mortem Noë; in specie

---

(1) Titulus quidem: *Istæ sunt generationes cœli et terræ* occurrit tantum in c. II, v. 4; sed indubium est ipsum, saltem quoad sensum, referendum esse etiam ad narrationem creationis qualis in c. I-II, 3 descripta fuit. Etenim narratio quæ post istum titulum sequitur, c. II, v. 4 ss., de generatione seu productione *cœli* nil habet. sed agit de formatione hominis et de præparatione terræ ad ipsum recipiendum. Imo quidam autumant formulam primitus, in documento scilicet quo auctor Geneseos usus est, scriptam fuisse in initio primæ narrationis creationis qualis hodie in c. I-II, 3 describitur. Cfr. Driver, *An Introduction to the Litterature of the Old Testament* (Edinburgh. 1898, ed. 7ª), pp. 6 s.; Rongy, *Les doubles récits de la création et du déluge* (in *Revue eccl. de Liège*, 1910-11, t. VI, p. 382). — Auctores qui huic titulo servant locum suum, eumque referunt ad ea tantum quæ sequuntur (II. 4 ss.), narrationem creationis (I-II, 3) ponunt ut præambulam ad Genesim. Cfr. Bacuez-Vigouroux, *Manuel Biblique*, t. I, n. 230.

narratur diluvium, fœdus quoque a Deo initum cum ipsis, necnon maledictio quam Cham modo suo agendi a patre in seipsum provocat.

Linea recta quæ a Noë progredietur versus populum Dei transibit per filium ipsius **Sem.** Quare iterum *eliminandi* sunt duo reliqui cum sua posteritate, et ideo in sectione sequente:

4°/ **Generationes filiorum Noë** (X-XI, 9), prius enumerantur filii et nationes ortæ ex *Japheth* (X, 2-5) et *Cham* (X, 6-20) et deinde devenitur ad enumerationem nationum ortarum ex *Sem* (X, 21-32). Horum omnium populorum narratur dispersio super terram occasione turris Babel ædificatæ (XI, 1-9).

Jam *eliminatis* et omissis omnibus istis collateralibus ortis ex Japheth et Cham, sicut et omnibus posteris Sem qui non pertinent ad lineam rectam Sem-Israël, in sectione sequente:

5°/ **Generationes Sem** (XI, 10-26) textitur genealogia lineæ rectæ a *Sem* usque ad **Thare**, patrem Abraham, et in sectione sequente:

6°/ **Generationes Thare** (XI, 27-XXV, 11) enumerantur tres filii Thare: *Abram*, *Nachor* et *Aran*.

Linea recta quæ a Thare exibit versus populum Dei, transibit per **Abram,** et ideo narratur potissimum historia Abrahæ, qui a Deo vocatus ex Chaldea peregrinatur versus Chanaam ubi fiat in patrem futuri populi Dei; *Nachor* vero et *Aran* eorumque posteri eliminantur, eorumque historia narratur tantum in quantum requiritur ad intellectum historiæ Abrahæ.

Linea recta quæ ab Abraham progredietur versus populum Dei transibit per **Isaac,** et ideo antequam deveniatur ad historiam Isaac, *eliminantur* varii alii filii et nationes ortæ ex Abraham (XXV, 1-11), et in specie in sectione sequente:

7°/ **Generationes Ismaël** (XXV, 12-18), describitur et *eliminatur* posteritas orta ex hoc Ismaël, altero filio Abrahæ; et in sectione sequente:

8°/ **Generationes Isaac** (XXV, 19-XXXV), perget historia Isaac et filiorum suorum Esau et Jacob, usque ad mortem Isaac.

Linea recta ab Isaac versus populum Dei transibit per *Jacob,* et ideo antequam deveniatur ad historiam subsequentem Jacob, *eliminabuntur* Esau et posteri ejus, ideoque in sectione sequente:

9°/ **Generationes Esau** (XXXVI) texitur genealogia subsequens *Esau*, describitur ipsius historica evolutio in populum Idumæorum (vv. 1-19), et in digressione inserta (vv. 20-30) texitur origo genealogica *Horrhæorum* qui terram Idumeæ incolebant antequam posteri Esau eo devenirent.

Sic tandem linea recta deventum est ab ipsa origine mundi usque ad **Jacob** qui hæres promissionum quas fecerat Dominus, per filios suos dabit originem populo Dei quondam Abrahæ prædicto, et nomine suo Israël, a Deo accepto, nomen dabit toti genti. Et tandem in ultima sectione:

10°/ **Generationes Jacob** (XXXVII-L) describitur historia Jacob post mortem patris sui Isaac et historia filiorum ipsius in Chanaan et in Ægypto usque ad mortem Joseph.

Cum filiis Jacob et Joseph, in Ægypto commorantibus, incipiet nunc tandem **constitutio Israel in populum** ipsiusque evolutio.

Conclusio. Ex iis quæ exposuimus apparet, quod supra diximus, librum Geneseos esse proœmium ad totam Scripturam Veteris Testamenti, utpote qui non tantum exponit *originem hujus populi Dei Israël* cujus historia, doctrina, mores et instituta in reliquis libris describuntur, sed etiam nitide determinat *locum* quem populus iste Dei *in universa œconomia hujus mundi* occupaturus erat: ex hujus enim libri lectione noverit lector Judæus solum populum suum ex universo genere humano et in specie ex omnibus istis nationibus continuo enumeratis, fuisse a Deo *electum in populum* peculiarem

ipsi; noverit quam *magnus* esset *Deus* ille, omnium rerum omniumque populorum creator et gubernator, qui ipsum elegerat; noverit tandem *ad hoc sese electum fuisse* ut hujus Dei cultum servaret in mundo et per generationes et sæcula transferret exspectationem Redemptoris et Messiæ a Deo promissi ab origine mundi (1).

A. VANDER HEEREN.

II

De fundamentali principio immanentiæ vitalis.

Q. *Quid censendum de hoc universali principio immanentiæ vitalis:* « homini nihil ingreditur quod non correspondet alicui indigentiæ ejus ».

R. Hoc principium est falsum.

I. Etenim hominis indigentia est carentia alicujus perfectionis debitæ ipsi, v. gr. homo indiget aliqua cognitione intellectuali ut possit convenienter vivere et attingere finem suum. Nomine indigentiæ etiam designari potest necessitas ad res exteriores requisitas ut homo possit vivere; ita indiget homo cibo, potu, vestimentis.

Hic consideramus indigentiam *psychologicam:* hæc fundamentaliter consistit in ordinatione facultatum animæ ad perfectiones vitales cognoscitivas et appetitivas; quodsi homo tali perfectione caret, tunc habetur formaliter indigentia psychologica ad illam.

Jamvero si *natura humana* consideratur, hæc a semetipsa positive ordinatur ad omnem perfectionem ipsi debitam, et in ordine mere naturali non aliam perfectio-

(1) Indoles propria libri Geneseos « vere in eo constat ut sit liber originum, cum speciali respectu ad gentem Israëliticam, tamquam ad populum a Deo electum, ex quo Redemptor mundi erat nasciturus ». ILL. AC REV. WAFFELAERT, *o. c.* (*Collat. Brug.*, t. IX, p. 483; — ed. gall., p. 200).

nem sibi acquirere potest homo quam perfectionem quæ correspondet naturali evolutioni vel expansioni facultatum suarum, sub regimine divinæ Providentiæ et divina cooperatione. Quapropter in ordine mere naturali homini nihil ingreditur quod non correspondet alicui indigentiæ ejus.

Sed solo rationis lumine non potest negari possibilitas aut existentia ordinis supernaturalis et proinde nequit absolute affirmari homini nihil ingredi quod non correspondet alicui indigentiæ ejus.

Cognito autem supernaturali ordine, principium modo enuntiatum est falsum. Etenim ingrediuntur homini principia operandi supernaturaliter et vitaliter quæ non correspondent indigentiæ ejus, etiam homini ingrediuntur veritates quæ non correspondent indigentiæ ejus.

Et sane a/ in tractatu de gratia demonstratur existentia gratiæ tum habitualis, tum actualis ; porro hæc gratia est essentialiter donum internum homini et supernaturale, h. e. donum quod homini ingreditur et quod est ipsi *positive indebitum,* hoc significat: quod non respondet indigentiæ hominis, quà talis, seu indigentiæ naturali ejus. In infanti baptizato, v. gr. infunduntur habitus, entitates physicæ, quin in infanti detur ulla indigentia psychologica ad illos. Etiam adulto *prima* gratia ipsi conceditur quin sit in ipso ulla exigentia ad illam (1). Igitur si quis, secundum doctrinam catholicam, admittit existentiam gratiæ, admittere etiam debet dari entitates, nempe principia operandi supernaturaliter, quæ non correspondent indigentiæ ipsius humanæ naturæ. Notemus hìc idem esse naturæ *indigentiam* ac *exigentiam:* indigentia enim est carentia perfectionis *debitæ,* et natura exigit (h. e., positive tendit ad) omne quod ipsi debitum est (2).

b/ Supposita divina Revelatione, jam homini præbe-

---

(1) Cf. DE TONQUÉDEC, *L'immanence,* Paris, 1913, p. 155.

(2) Cf. VAN DER MEERSCH, *De divina gratia,* Brugis, 1910, n. 91.

tur modus cognoscendi quo naturaliter non indiget. Sed præterea si a Deo revelantur mysteria stricte dicta, nempe veritates quas nullus intellectus creatus detegere potest, et si homo illa credit fide divina, tunc etiam homini ingrediuntur intentionaliter veritates quæ non correspondent indigentiæ naturali ejus. V. gr. nulli naturali hominis indigentiæ correspondet cognitio SS. Trinitatis : hoc cognoscendum præbetur *ab extrinseco*, nempe a Deo revelante, et hoc non cognoscitur nisi *fide*.

Ex dictis constat assertum, de quo agimus, non posse componi cum doctrina catholica de essentia ac existentia tum gratiæ, tum Revelationis. Quapropter damnabat Pius X illos qui « in natura humana non capacitatem solum et convenientiam videantur admittere ad ordinem supernaturalem... sed germanam verique nominis exigentiam » (1).

II. 1. Ad assertum, de quo inquirimus, propugnandum afferebat D. Blondel (2) hæc sancti Thomæ verba : « Nihil potest ordinari in finem aliquem, nisi præexistat in ipso quædam proportio ad finem » (3). Hoc principium verum est : nihil potest positive ordinari in finem obtinendum, nisi præexistat in ipso quædam proportio ad finem, nempe principium operandi proportionaliter ad finem (4), et præcise ex hoc deducit sanctus Thomas necessitatem *fidei* et necessitatem *infusi luminis*, quia finis, de quo agitur, est omnino *supernaturalis*, nempe visio intuitiva Dei : quia finis, nempe visio Dei intuitiva, est omnino supernaturalis, ideo requiritur in homine aliquid superadditum, aliquid quod excedit vires humanas et quod proinde non correspondet indigentiæ humanæ naturæ : hoc autem est, inter alia, *fides infusa*.

---

(1) Encyclica « Pascendi ». V. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 668 s.; DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, 1911, n. 2103.

(2) Cf. DE TONQUÉDEC, *o. c.*, p. 10.

(3) *De veritate*, Q. XIV, a. 2.

(4) Sed non necessario prærequiritur ad ipsum principium operandi ut in subjecto sit positiva dispositio vel exigentia illius principii.

Sed minime docet sanctus Thomas ipsam fidem infusam homine correspondere indigentiæ naturali ejus (1).

2. Ad hoc ut homini possint a Deo infundi principia operandi supernaturaliter, requiritur et sufficit potentia *obedientialis:* hæc non realiter distinguitur ab ipsa natura vel ab ejus facultatibus, sed est ipsum naturale quatenus hoc a Deo recipere potest aliquam formam vel motionem *supernaturalem:* ad hoc autem supernaturale recipiendum debet in natura esse *capacitas* seu possibilitas, v. gr. ut aliquod ens possit supernaturaliter credere, vel intueri Deum, prærequiritur in illo facultas *intellectiva* (2). Et ideo supernaturale est *perfectio* quia naturalem facultatem *elevat* supra id ad quod naturaliter tendit (3): v. gr. homo qui naturaliter capax est intelligendi et, in specie, cognoscendi Deum, *elevatur* per gratiam ad intuitivam Dei cognitionem, ad quam in ipso naturali intellectu nec virtus, nec indigentia, nec exigentia datur. Idem dicendum est de fide supernaturali: ad hanc prærequiritur ut homo possit naturali intellectu credere. Idem valet de charitate supernaturali: prærequiritur naturalis capacitas amandi, et hæc naturalis amandi capacitas est id quod Deus in nobis elevat ad amandum supernaturaliter (4): actus charitatis supernaturalis est quædam actio voluntatis naturalis, *intrinsece modificata* seu elevata (vel per motionem transeuntem supernaturalem, vel per infusam virtutem) et *terminata* ad Deum supernaturaliter cognitum.

---

(1) Cf. *Revue thomiste,* 1913, p. 368.

(2) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, in *Collat. Brug.,* t. XV, p. 628-631.

(3) Cf. Illmus ac Revmus Waffelaert, in *Collat. Brug.,* t. VI, p. 437; *Méditations théologiques.* Bruges, 1910, t. I, p. 508.

(4) S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu,* L. I, ch. XVIII, *Œuvres complètes,* Annecy, 1892, t. IV, p. 83 ss., exponit hoc: « Que l'inclination naturelle que nous avons d'aymer Dieu n'est pas inutile ». Et in secunda hujus capitis parte dicit: « L'inclination donques d'aymer Dieu sur toutes choses, que nous avons par nature, ne demeure pas pour néant dans nos cœurs; car, quant à Dieu, il s'en sert comme d'une anse pour nous pouvoir plus suavement prendre et attirer à soi ».

Inde, si secundum exposita habetur recta ratio seu notio de potentia obedientiali poterit aliquis, metaphorice loquendo, dicere similia : « le surnaturel a son point d'attache, son point d'insertion dans la nature, et c'est par là qu'il pénètre la vie de l'homme, qu'il informe sa pensée » (1).

J. Van der Meersch.

III-IV

De modis acquirendi dominium in res externas.

Q. a/ *Qua ratione in* primævos *et* derivatos *distinguuntur modi acquirendi dominium in res externas?*

R. Etsi lex naturalis, attenta necessitate proprietatis privatæ in præsenti hominum statu, exercitium juris proprietatis omnino postulet, non ipsa tamen singulam partem bonorum determinavit quæ singulis competat, excepto utique extremæ necessitatis casu, ubi omnia positive fecit communia.

Quæstio proinde exurgit de modis quibus homines determinati determinatam proprietatem jure acquirant : jure dico, nam recta sane ratio, non purus uniuscujusque lubitus hos modos definiendos habet ; qua in re et finis quem in appropriatione intendit natura, et ordo quem non minus exigit salvi sint oportet.

Jamvero, duæ requiruntur conditiones ad proprieta-

---

(1) Sed non potest dici : « le surnaturel répond à un besoin d'expansion de la nature, à un appel de la nature, à une exigence ou à une tendance naturelles ». Inde iterum apparet obscura esse verba quæ sub nota 4 citavimus in *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 621. Recte scribit P. de Tonquédec, *op. cit.*, p. 169 : « Sans doute, au delà des désirs fondés, au dela des besoins réels, l'homme peut entrevoir la problématique possibilité d'une communication plus intime avec l'Infini. Le surnaturel lui apparaît non plus à titre de postulat nécessaire, mais comme l'objet souverainement séduisant du rêve de déification que poursuit la créature. Ce rêve, ce désir inefficace et conditionnel. . est le vrai point d'insertion du surnaturel dans l'âme humaine, la traduction psychologique de cette *puissance obédientielle* dont parle l'École ».

tem legitime acquirendam. Scilicet primo *lex* aliqua justa, seu principium quoddam juris naturalis aut positivi, qua titulus juris acquirendi: v. g. qui rem nullius debite occupat, dominus fit illius; vel qui rem alicujus debite emit, proprietarius ejusdem evadit. Secundo autem requiritur *factum* aliquod applicans legem, quasi per modum minoris cujusdam in syllogismo: atqui Titius hanc illamve rem nullius debite occupavit, vel talem aut talem rem rite emit. Sequitur tunc juridica conclusio: ergo Titius dominus est illius rei.

Modi ergo acquirendi dominium in res externas dicuntur facta quædam, auctoritate legis naturalis aut positivæ munita; ipse vero titulus juris proprie loquendo lex est: quamquam in usuali loquendi modo communiter qua titulus ipsum factum invocatur applicans legem, subaudiendo nempe relationem ejus cum lege naturali aut positiva (1).

Jam age, sequentes plerumque enumerantur modi dominium comparandi: effectio; occupatio, sub qua comprehenditur et inventio; accessio, ad quam reducuntur plures modi quos ulterius distinguere juvat, ut alluvio, confusio, specificatio etc.; deinde præscriptio, successio et tandem contractus, cui accedit testamentum. De hisce modis in certas classes distribuendis plures plura proponunt, sed non semper ad diversas distributionis rationes sufficienter attendere videntur.

Sic non apparet admittenda illa S. Alphonsi et aliorum quorumdam distinctio inter modos alios qui proveniunt ex jure naturæ seu gentium, alios ex jure positivo, et alios ex voluntate privata hominis. Nam tertium istius distinctionis membrum a duobus prioribus non

(1) Cf. Cathrein, *Moralphilosophie*, 3a ed., I, p. 490; H. Pesch, *La Question Sociale*, 2e série, 1913, I, p. 219 s — Nota factum applicans legem esse sæpius, non tamen semper, actum aliquem positivum hominis qui acquirit jus, ut in contractibus etc.; quandoque tamen sufficere merum factum, ut frequenter in accessione; quandoque vero actum a priore tantum domino positum, ut in Casu articuli 305 Cod. Civ.

apte contradistinguitur: etenim modi provenientes a privata hominum voluntate valorem suum præcise ex jure naturali vel positivo hauriunt. Unde ex parte ipsius tituli juris duas tantum classes ponere oportet: modos scilicet *naturales* et modos *positivos*.

Divisio autem de qua procedit proposita quæstio, nimirum in modos *primævos* seu primigenios et in *derivatos*, ex alia quadam sumitur parte, nimirum ex parte ipsius rei cujus dominium acquiritur. Et plerique quidem auctores primævos modos illos dicunt quibus comparatur res quæ antea nullius erat, derivatos autem illos quibus res acquiritur quæ tempore acquisitionis dominum habebat. Et sic in prima classe ponuntur effectio, accupatio et accessio (1); in altera vero præscriptio, successio et contractus.

Verum, magis placet alia distinctionis ratio ab Illmo Waffelaert proposita (2); ea nempe qua primævi dicuntur modi quibus res *absolute* acquiritur, seu independenter a jure quod alter in hac re jam habebat vel non habebat; et derivati vocantur illi quibus transmittitur seu *derivatur* de uno ad alterum ipsum jus quod prior possidebat, adeo ut novum illud jus proprietatis iisdem limitibus ac prius maneat circumscriptum. Et secundum hanc normam, duo tantum sunt modi derivati, successio videlicet et contractus; dum ceteri omnes primigenii dicendi sunt, non excepta ipsa præscriptione « qua jus prioris proprietarii extinguitur, non transmittitur; ita ut natura et extensio juris acquisiti sit independens a natura et extensione prioris » (3).

Non tamen sextuplici enumeratione superius data comprehendi videntur omnes omnino modi quibus dominium proprietatis jure acquiri possit. Dantur etenim

---

(1) Quamvis de nonnullis modis sub nomine accessionis comprehensis dubium facile moveri possit.

(2) Cf. Ill^mum^ Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 169.

(3) Cf. Ill^mum^ Waffelaert, l. c.

alia quædam facta quæ ad species enumeratas non apte reducuntur, et quibus tamen per applicationem legis positivæ jus strictum comparatur. Ita, secundum art. 305 Cod. Civ., in casu divortii quod dicitur « par consentement mutuel » ipso facto liberi proprietatem acquirunt dimidiæ partis bonorum parentum. Qui modus acquirendi secundum dicta derivatus vocari oporteret; verum hi et similes casus particulares, qui ad nominatum quemdam et consuetum acquirendi modum non pertinent, considerantur generatim ab auctoribus ex parte tituli tantum juris, et dicitur tunc communiter *solam legem* positivam esse modum acquirendi hoc dominium.

Q. b/ *Indicatis conditionibus legitimæ* occupationis *rei nullius, explica utrum peccet qui venationem exercet sine licentia legali, cum armis prohibitis vel tempore clauso.*

R. « Occupatio intelligitur: rei capacis dominii et tamen nullius voluntaria et externa apprehensio cum animo eam sibi appropriandi. Unde, præter duas conditiones ex parte objecti (sit res capax dominii, et tamen nullius), requiruntur et duæ ex parte subjecti. Prima est ut facto voluntario et externo res apprehendatur. Quod pro diversis rebus et adjunctis diversimode fieri potest: ita occupantur fructus decerpendo aut colligendo, animalia irretiendo aut includendo, prædia colendo, sepiendo et sic porro. Nunquam autem sufficit occupatio idealis seu per actum internum: talis quippe actus inter homines effectum juridicum nequit habere. Altera conditio est ut apud occupantem sit intentio rem apprehensam faciendi suam: quæ intentio externe manifestatur per modo descriptam rei apprehensionem » (1).

Verificatis itaque quatuor conditionibus statim enumeratis, legitima erit occupatio; qua facta, ipsum jus

(1) *Collat. Brug.*, II, p. 22.

naturæ hanc determinatam sanciet proprietatem; nisi tamen ad legitimam occupationem obstaculum posuerit lex aliqua positiva, rem addicens alterius dominio. Jamvero obstat lex positiva (Cod. Civ., a. 539 et 713) quoad quædam bona nullius: cum Statui tribuat jus occupandi bona immobilia nullius vel a proprietario vivente derelicta, si nondum ab alio homine rite præscripta fuerint; necnon jus acquirendi omnia bona illius qui sine heredibus moritur vel cujus hereditas derelicta est (1).

De venatione vero, quæ est species quædam occupationis, sint hæc pauca:

De jure naturæ, animalia fera libere vagantia, de quibus hic agitur, sunt vere res nullius: nec enim sunt proprietas Status, cum nullum jus hanc ipsi tribuerit proprietatem, quam ceterum nullatenus sibi vindicat; nec sunt res domini in cujus fundo libere vivunt, cum merum illud factum conditiones legitimæ occupationis minime verificet, nec sane feræ dici possint accessorium quoddam fundi et quasi fructus ejus. Proinde hæc animalia per venationem, aucupium vel piscationem occupari possunt; aliis verbis jus seu facultas venandi per se omnibus competit. Et quidem jam sufficit ad appropriationem, non tantum si venator prædam suam reapse apprehenderit, sed etiam si illam ita vulneraverit et prosequatur ut moraliter evadere nequeat; aut si eam perfecte irretiverit (2); vel si animalia in angusto circuitu aut stagno fundi sui ita incluserit ut aufugere non valeant, et simul omnes ab ipso facile capi possint.

---

(1) Cf. Illmum Waffelaert, *De l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 220 s.

(2) Si quis tamen in fundo meo non clauso, me invito, rete posuerit et prædam irretitam nondum apprehenderit, ipsi jure accessum ad feram prohibere possum necnon rete abjicere sicque prædam laxare; consequenter etiam ipsam sic solutam et abire conantem mihi occupare. Vel secundum alios auctores, prædam omni casu retinere possum in compensationem damni quod mihi per hanc læsionem juris mei venandi illatum fuit.

Leges autem civiles (1) circa venationem continent dispositiones duplicis generis quas distinguere oportet: illas scilicet quæ venantibus petendam licentiam venandi legalem, quasi per modum tributi cujusdam imponunt, simulque tempus et arma licita determinant; et præterea eas quæ venationem prohibent in fundo alterius, nisi de consensu domini.

Priores dispositiones sunt probabilius pure pœnales, ita ut ratione ipsarum nullatenus peccet qui venationem exercet sine licentia legali, cum armis prohibitis vel tempore clauso; modo utique paratus sit ad subeundam pœnam si in venatione hujusmodi deprehendatur. Etenim nec in lege ipsa apparet intentio legislatoris conscientiam directe obligandi; nec immediata obligatio ad obtinendum finem intentum necessaria videtur, cum gravissimæ pœnæ contra delinquentes statutæ ipsis frenum apponant adeo asperum ut pro hominibus communiter non minus efficax sit ac ipsa conscientiæ obligatio; nec tandem communis interpretatio sive auctorum sive ipsorum venantium sententiæ severiori calculum adjicit, sed contra in mitiorem partem omnino inclinat.

Aliunde tamen seu per accidens, facile peccant delinquentes, pluribusque modis: tum scilicet contra caritatem, ob ipsum periculum gravis damni cui sese suosque frequenter exponunt; tum contra justitiam, invadendo fundum alterius contra domini voluntatem (2), segetes ipsius aliosve fructus conculcando, necnon ratione violentæ resistentiæ quam custodibus imponunt vel imponere actualiter parati sunt. Quæ cum ita sint, difficulter a peccato gravi immunes erunt, objective loquendo, multi saltem ex illis qui venationem legaliter prohibitam assidue exercent (3).

---

(1) Cf. Legem 28 Febr. 1882; et 4 Aprilis 1900.

(2) Plures tamen auctores plus minusve asseveranter tenent dominum non posse prohibere transitum per agros silvasque apertos. Cf. BALLERINI-PALMIERI, *Opus Morale*, III, p. 94.

(3) ILLmum WAFFELAERT, l. c., p. 234.

Sed dubium moveri potest de ulterioribus legis dispositionibus quæ prohibent ne quis in fundo alterius sine ipsius consensu venetur.

Plerique auctores præsertim moderni tenent legem civilem in hoc puncto directe et ex justitia stricta obligare, cum tribuat domino facultatem exclusivam occupandi feras sui fundi; quam facultatem dicunt jus esse strictum et reale et pretio dignum, et proinde materiam justitiæ commutativæ. Unde ante omnem sententiam obligant delinquentem ad restituendum: non quidem pro una tantum aliave fera capta, nec ad mensuram pretii ferarum, cum illæ omni casu proprietas fiant primi occupantis; sed quoties ob multam prædam ablatam verum damnum illatum fuit juri stricto venationis, et pro rata diminuti valoris illius seu pro rata spei quam dominus habebat faciendi majorem capturam, nisi injuria intercessisset (1).

Nonnulli tamen auctores (2) dissentiunt, quorum sententia sic habet: leges civiles quæ facultatem venandi exclusivam domino fundi (vel locatario venationis) tribuunt ipsi non præbere jus quoddam positivum strictum ab ipsa natura non concessum, sed jus legale tantum seu legale monopolium, necnon facultatem legaliter prosequendi delinquentes; nec magis justitiam commutativam violare illum qui hoc privilegium transgreditur quam illum qui vendit certas merces quarum commercium per legem civilem alicui privato exclusive reservatur; imo hasce dispositiones pro pure pœnalibus probabiliter haberi posse, ita ut ratione legis positivæ nullatenus peccet delinquens paratus ad pœnam subeunnam, etiam si multam prædam ex agro alieno sibi occupet.

Quæ sententia cum probabilis videatur, practice pro

---

(1) Cf. exempli gratia MARRES, *De Justitia*, I, n. 227.

(2) Sic Vasquez, cujus sententiam probabilem dicit LUGO, *De Justitia et Jure*, disp. 6, n. 69; GENICOT, *Theol. Mor.*, 7ª ed., I, n. 484; etc.

damno de quo hic agitur restitutio imponenda non est (1).

E. HOSTEN.

V

De appetitione ultimi finis.

Q. *Resolve hanc difficultatem:* Homo peccando avertit sese ab incommutabili bono quod est ultimus ejus finis. Ergo falsum est hominem, in omnibus quæ deliberate vult, intendere ultimum finem.

R. Respondetur breviter verbis S. Thomæ, I-II, q. I, art. 7, ad 1. « Illi qui peccant, avertuntur ab eo in quo vere invenitur ratio ultimi finis [seu a fine ultimo materialiter]: non autem ab ipsa ultimi finis intentione [seu a fine ultimo formaliter], quam quærunt falso in aliis rebus.

Distinctionem hanc qua resolvimus præsentem difficultatem, supra explicavimus (2), ibique probavimus hominem in omnibus suis actibus deliberatis implicite intendere finem ultimum formaliter, quatenus felicitatem naturaliter, non libere, libertate electionis, in omnibus quærat. In præsenti vero in specie ostendimus hominem

---

(1) Verum, si ratione ipsius legis civilis non est probabiliter pro fraudulenta venatione restituendum, an saltem jure naturæ restitutio pro rata damni imponenda non est, eo quod dominus fundi jus strictum habet prohibendi ne quis contra voluntatem suam fundum suum damnose ingrediatur? Ad hanc etiam quæstionem responsio negativa nobis videtur probabilis: quia, etsi tunc stricte injuriosus sit ille ingressus, non ipse tamen damnosus est. Illud quod damnum affert venatio est seu captio animalium; hæc autem in se non est injuriosa, quia facultas domini et spes quam ex jure naturæ habet capiendi feras in proprio fundo non videntur constituere jus strictum ex ipso fundo oriundum et proinde exclusive domino competens; aliis verbis, damnum quod subit dominus vel locatarius venationis non est in se contra justitiam strictam. Nec dici posset illud damnum injuriosum in causa seu ratione injusti ingressus; quia ingressus in fundum non est causa captionis prædæ sed tantum occasio seu conditio.

(2) Hoc tomo, p. 46 ss.

hunc finem ultimum appetere etiam in iis actibus deliberatis qui veræ felicitati assequendæ adversantur, seu in peccatis (1), alio tamen atque alio modo in peccato mortali et in peccato veniali, quatenus naturali desiderio felicitatis motus, libere tendit ad bona finita tamquam participantia aliquam hujus felicitatis particulam atque inchoationem, contra aut præter ordinem rectæ tendentiæ in verum suum finem ultimum (2).

Omne peccatum est indebita conversio voluntatis liberæ ad aliquod commutabile bonum et recessus a summo bono in quo vere felicitas ejus consistit, seu ab ultimo fine materialiter (3). Finis ultimus autem formaliter quomodo in utroque peccato personali appetitur?

---

(1) Cfr. Ill. ac Rev. Waffelaert, *De dubio solvendo*, pp. 7, 13. Ergo hic consideratur tantum peccatum personale, non vero peccatum originale, in quo nulla habetur positiva aversio a Deo, fine ultimo, per conversionem ad finem contrarium, sed privativa aversio tantum seu privatio originalis et gratuitæ justitiæ dependens a voluntario actu protoparentis. Cfr. Card. Billot, *De natura et ratione peccati personalis*. Romæ, 1900, p. 65 ss.

(2) Naturaliter appetit homo ipsam felicitatem, non libere libertate electionis, sed, hoc sensu, necessario, saltem necessitate specificationis. Eodem modo appeteret aliquod objectum quod erronee ut summum bonum apprehenderet sine admixta ratione mali, ut aliquando accidit ex vehementi passionum impetu. Tandem non libere libertate electionis, sed, hoc sensu, necessario et quidem necessitate exercitii, in statu termini adhærebit summo bono concreta intuitione apprehenso. In statu autem viæ homo deliberate agens omne bonum particulare percipit ut particulam tantum habens in se de bonitate universim, seu ut habens rationem boni, et appetibilis, cum ratione mali, et fugibilis, permixtam: intellectus igitur illud proponit voluntati ut appetibile contingenter, et voluntas contingenter seu cum activa indifferentia seu libere libertate electionis illud appetit. Cfr. E. De Jaegher, *Prælectiones philosophicæ*, p. 396 ss. Imo et ipse Deus in hac vita, quia mediate et imperfecte tantum cognocitur, apprehenditur ut bonum aliquod particulare, et qua tale libere quoque appetitur. Cfr. Ill. ac Rev. Waffelaert, *o. c.*, p. 14.

(3) Posset fieri sequens difficultas ex S Thoma, v. g., I, q. 44, a. 4, ad 3: homo dum peccat appetit bonum quod est participatio bonitatis divinæ. Ergo intendit Deum et propter Illum operatur. Respondet Billuart, *De ultimo fine*, a. 5, obj. 3: appetit illud bonum particulare secundum se præcise, nego; ut vestitum malitia morali, concedo; ut sic autem non est ordinatum nec referibile ad Deum. Cfr. Frins, *De actibus humanis*, Friburgi-Brisgoviæ, Herder, 1ª ed., 1897, p. 76, 78; Card. Billot, *o. c.*, p. 14 ss.

Peccatum mortale est aversio a Deo fine ultimo per conversionem ad aliquod bonum creatum cui peccator, postposito Deo, adhæret ut summo diligibili, seu in quo suum ultimum finem reponit, sive signate, expresse et formaliter, summum bonum constituendo in creatura, sive exercite et æquivalenter, hoc bonum præferendo Deo, seu voluntati divinæ illud intentione primaria prohibenti (1). Ergo qui mortaliter peccat sic finem ultimum formaliter seu felicitatem intendit ut eum libere constituat, sensu explicato, in determinato bono creato. In hoc autem habetur essentiale discrimen cum peccato veniali.

Peccatum nimirum veniale, sive ex imperfectione actus, sive ex objecto, est retardatio in prosecutione finis ultimi, Dei, per conversionem ad aliquod commutabile bonum quod non apprehenditur ut excludens Deum, sed tantum ut irreferible ad Deum. Hoc autem modo ad finem ultimum formaliter seu felicitatem dirigitur, ut tamen actu ad nullum bonum determinatum tamquam finem ultimum materialiter referatur: non scil.

---

(1) Cfr. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 338 ss.; FRINS, *o. c.*, p. 84, sq. Psychologice sic describi potest peccatum in subjecto peccante: hinc exsurgit dictamen conscientiæ moralis imperativo modo exhibens voluntati actionis moralitatem seu relationem ad verum ultimum finem; inde oritur aliud judicium proponens voluntati actionis contrariæ utilitatem, delectabilitatem etc., inter quæ voluntas eligit seseque libere determinat ad alterum judicium sequendum, neglecto priori. — Merito, ut videtur, insistit FRINS, *l. c.*, in hac animadversione locutionem « homo qui peccat mortaliter finem suum ultimum constituit in creatura », non verificari *sensu prorsus proprio* in omni actu peccati gravis. An enim serio affirmari potest omnem hominem qui v. g. delectationem veneream pleno consensu intendit, continuo jam hanc delectationem appetere formaliter et proprie ut summum bonum cui omnem vitam suam subordinat tamquam ultimo fini? At interpretative et æquivalenter hæc expressio frequenter intelligenda est: peccator enim, quatenus vult aliquid quod apprehendit ut contrarium divinæ voluntati et ut excludens finem suum ultimum, censetur hoc bonum creatum diligere plus quam Deum finem suum verum. Ita CAJETANUS: « vult... explicite vel interpretative quilibet peccans quantum in se est Deum non esse finem ultimum. Comment. in I, q. 48, art. 3.

ad Deum, siquidem apprehenditur ut irreferibile ad Eum, neque ad bonum creatum, uti peccatum mortale, siquidem apprehenditur ut non excludens Deum, sed « ex solo desiderio boni in genere... volumus aliquid, non ut summum appetibile, parati interim illud relinquere potius quam aliud principalius amatum amittere (1). »

Inde, cum BILLUART (2), concludimus: « iste communissimus finis beatitudinis ut sic, utpote necessario amatus et de se indifferens ut applicetur objecto honesto aut turpi, nullam tribuit actui honestatem vel malitiam. » Non ille igitur ultimus finis formaliter dicitur ultimum ac supremum moralitatis principium, sed ipse Deus libere electus ut ultimus terminus totius activitatis humanæ.

A. LEGRAND.

VI

De missa votiva privata.

Q. *Quid est missa votiva* privata *et quibus diebus prohibetur?*

R. I. **Notio** (3). Est missa quæ de causa rationabili, licet nec auctoritate S. Sedis probata, nec gravi et publica, celebratur extra ordinem officii, non ex indictione vel speciali licentia Ordinarii sed ex voto privato celebrantis vel sacrificium petentis.

Explicatur. Est missa cujus partes mutabiles non

---

(1) *Collat. Brug.*, t. VII, p. 438, nota 1; CARD. BILLOT, *o. c.*, p. 110 ss; PÈGUES, *Commentaire* etc, VI, p. 44. Ita apparet quomodo CARD. BILLOT recte vocet peccatum veniale « *illogicitatem practicam* qua quis uni summo bono ac supremo fini affectu conjungitur, et tamen multa facit quæ sub ordine hujus finis non stant », o. c., p. 115. Item BAINVEL, *Nature et Surnaturel*, p. 123... » Le péché véniel qui suppose l'ignorance, l'illogisme enfantin, des passions non soumises ».

(2) *L. c.*, art. 5.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 267.

conveniunt cum partibus propriis officii diei et ideo dicitur *extra ordinem officii* seu votiva. Quum autem ex institutione Ecclesiæ officium et missa singulis diebus ordinentur ad idem mysterium vel eumdem Sanctum colendum, regula generali missa debet esse conformis officio diei et ut celebretur extra ordinem officii requiritur *causa rationabilis* tantoque gravior quanto majus est mysterium aut festum quod liturgia illa die recolit. Si causa est *gravis et publica*, seu bonum communitatis respiciens, et accedit singula vice auctoritas *Ordinarii loci indicentis vel saltem permittentis speciali modo* missam officio non conformem, hæc missa est votiva intrinsece **solemnis**, cui maximi conceduntur favores. Si vero causa sat gravis appareat ut suprema *auctoritas S. Sedis* per rubricas vel per generale aut speciale indultum semel pro semper missam officio non conformem permittat, hæc missa solet dici votiva **privilegiata** et gaudet iis privilegiis quæ pro singulis speciebus conceduntur. Si tandem causa nulla auctoritate publica Ordinarii loci aut S. Sedis sit probata, nec sit forte gravis, sed tamen rationabilis, qualis est v. g. devotio major celebrantis vel voluntas stipendium elargientis, poterit interdum ex *privato voto* seu desiderio *celebrantis aut sacrificium petentis* celebrari missa non conformis officio : hæc vocatur votiva **privata**, sed, ut sponte intelligitur, non tantis ac præfatæ missæ ditatur favoribus, et notatim multo rarius permittitur.

Ex quibus elucet missam aliquam votivam vocari *privatam* in oppositione ad *solemnem* aut *privilegiatam,* non ex ritu externo celebrationis, quia celebratur sine assistentia aut sine cantu, sed quia cantatur vel legitur *auctoritate privata*, quin *potestas publica* interveniat ad permittendam separationem missæ ab officio. Adhibetur tamen vox « privata » etiam alia significatione qua designat missam *lectam* in oppositione ad missam cantatam cum vel sine assistentia diaconi et subdiaconi. Unde in singulis casibus diligenter inquirendum quonam sensu vox sit intelligenda.

II. **Dies prohibiti.** Quum ad votivam privatam deesse soleat gravis et publica Ecclesiæ causa, et semper deest auctoritatis publicæ interventus, omnino rationabile est ut quam plurimi sint dies in quibus non permittitur supprimere convenientiam missæ cum officio, ne exceptio in regulam transeat.

A. *Quævis missa votiva privata,* etiamsi cantetur aut cum assistentia diaconi et subdiaconi celebretur, prohibetur (1):

1/ in omnibus dominicis;

2/ in omnibus festis saltem duplicibus;

3/ infra integras octavas Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes et Corporis Domini.

Ante recentissimum Decretum Generale super Motu proprio « Abhinc duos annos », diei 28 oct. 1913, illæ quinque octavæ erant, de facto licet diverso gradu, privilegiatæ. Nunc autem eis adjungitur octava Ascensionis et hæ sex octavæ specifice vocantur et sunt *privilegiatæ* (2) et constituunt inter octavas primum ordinem (3), complectentem tres gradus, quorum tertius comprehendit octavas Nativitatis et Ascensionis Domini (4).

Quæri ergo potest utrum octava Ascensionis, nunc privilegiata ad instar octavæ Nativitatis, etiam non excludat missas votivas privatas. Censemus prohibitionem votivæ privatæ non extendi ipso facto, quia in terminis decreti generalis de missis votivis (n. 3922, III, 2) prohibitio non cadit in omnes octavas « privilegiatas » sed singulariter in quinque præfatas quæ nominatim recensentur. Sed recens evectio octavæ Ascensionis ad dignitatem octavæ « privilegiatæ » erit forte ratio ut, ad majorem uniformitatem, ad eam quoque extendatur prohibitio aliis octavis privilegiatis communis.

---

(1) Cf. Missalis Rubr. gen. IV, 3; Decret. generale de missis votivis, 30 jun. 1896, n. 3922, III, 2.

(2) Decr. 28 oct. 1913, tit. II, n. 1.

(3) *Ibid.*, tit. IV, n. 2.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 705, nota 3.

4/ in vigiliis Nativitatis, Epiphaniæ et Pentecostes;

5/ in feria IV Cinerum et a Dominica Palmarum usque post octavam Paschæ;

6/ in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum (n. 3855, 2);

7/ in diebus Rogationum, si fiat Processio, in ecclesiis ubi una tantum habetur missa (n. 2682, 35).

B. Insuper *missa votiva privata lecta* prohibetur, ex Rubricis novis ad normam Constitutionis *Divino afflatu* (tit. X, n. 2), « in feriis Quadragesimæ, Quatuor Temporum, II Rogationum, et in vigiliis » communibus, necnon « in feria in qua anticipanda (1) vel reponenda (2) est missa Dominicæ ».

Ratio est quia omnes illi dies gaudent missis propriis iisque diversis et antiquis, quas Ecclesia jam non vult negligi propter consuetas missas votivas privatas.

Prohibitio hæc non extenditur ad votivas privatas *cantatas*.

Textus enim citatæ rubricæ (tit. X, n. 2) dicit: « prohibentur missæ *privatæ* aut *privatæ* pro defunctis ». Jamvero vox « privatæ » restringi debet ad solas missas *lectas*, in oppositione ad cantatas. Nam:

a/ In eodem numèro statuitur quod (præfatis diebus) « missæ *privatæ* dici poterunt ad libitum vel de festo... vel de

(1) *Anticipanda*. Quum annus constet 52 hebdomadibus et una (vel duabus) die, possunt occurrere 53 Dominicæ: et ideo ordo officiorum de tempore in Breviario et Missali providit 53 officiis dominicalibus (si computetur Dominica prima Januarii quæ semper vacat). De facto tamen non solent occurrere nisi 52 Dominicæ, ita ut fere singulis annis supersit unum officium dominicale, quod in die dominica celebrari non valet. Non vult tamen Ecclesia ut quodvis officium dominicale penitus omittatur: et ideo in præfato casu officium et missa Dominicæ ultimæ ante Septuagesimam (vel raro Dominicæ 23ª post Pentecosten) debet *anticipari* infra hebdomadam præcedentem

(2) *Reponenda*. Quotiescumque missa Dominicæ in propria die impeditur, debet ipsa resumi seu *reponi* in prima infra eamdem hebdomadam die, in qua officium sit de feria et quæ non habeat missam sibi propriam: Rubr. Gener. Miss. IV, 3; decr. S. R. Cong. 6 dec. 1912, ad I; *Collat. Brug.*, t. XVII, p. 179.

feria aut vigilia... », et hæc concessio ab omnibus merito explicata fuit de solis missis lectis.

b/ In citatis verbis « votivæ *privatæ* » sane intelligi debent eodem sensu quo « *privatæ* pro defunctis » ; jamvero de missis pro defunctis statuitur infra eodem tit. X, n. 5 : « leges pro *missis defunctorum in cantu* immutatæ manent. Missæ vero *lectæ*... » Ergo, suprà tit. X, n. 2, mutatio disciplinæ non poterat cadere nisi in missas privatas, lectas.

c/ S. R. C. die 8 febr. 1913 dedit Decretum seu Declarationem circa missas votivas et pro defunctis de quibus in præfati tituli X, n. 2 et « *firmis manentibus legibus et privilegiis missas solemnes seu in cantu* respicientibus, quoad missas *privatas lectas* » nonnulla decernuntur et declarantur. Ex quo patet textum tituli X intelligendum esse de solis privatis *lectis*. Ceterum hoc idem decretum in textum tituli X, n. 2, inseruit, declarationis sane causa, verbum « lectæ » ita citans : « prohibentur missæ votivæ privatæ *seu lectæ* pro defunctis » (1).

C. Diebus quibus permittitur votiva privata, non licet tamen celebrare *more votivo* missam illius Sancti vel mysterii cujus celebratur vigilia, festum vel octava, sed ipsa missa vigiliæ, festi vel octavæ est celebranda more festivo, etiamsi officium esset alterius Sancti (2).

Notandum tandem est quod diebus quibus prohibetur votiva privata non licet in missa de die addere orationem de Sancto vel mysterio in cujus honorem missa votiva postulata fuerit (n. 2981, 3) nisi pro oratione « ad libitum » quæ forte esset præscripta.

C. Callewaert.

---

(1) Vide decretum ejusque explicationem apud *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 256 ss. ubi textus exhibetur ut supra juxta *Acta Apostolicæ Sedis*, 1912, p. 43. Sed nonne mendo typographico fuerunt omissa verba... « votivæ privatæ *et privatæ* seu... ». Nam verbum « privatæ » certe bis ponitur et in rubricarum textu qui explicatur et in textu hujusce decreti prout exhibetur apud *Ephemerides liturgicas*, 1913, p. 130.

(2) Cf. Decr. 3922, V, 1 ; decr. 17 maii 1912 ; *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 34 ss. ; t. XVIII, p. 593.

E Congr. S. Officii (1)

Vicarius Apost. Kiangsi Septentrionalis ad pedes Sanctitatis Vestræ provolutus, solutionem dubiorum, quæ sequuntur, quærit:

Sacra Congregatio S. Officii ad episcopum Quebecen., die 16 septembris 1824, declaravit quod Ecclesia, dispensando cum parte catholica, super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab eis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis.

Rogatur: 1° Utrum illa dispensatio impedimentorum ecclesiasticorum locum habeat non solum quando dispensatio a disparitate cultus impertitur a S. Sede, sed etiam quando datur a delegato.

2° Utrum dicta dispensatio locum habeat quando datur a missionario, qui habet dispensandi facultatem super disparitate cultus, sed non habet facultatem « cumulandi » vel non habet facultatem dispensandi ab impedimento, quo ligatur pars catholica, v. g. secundus gradus collateralis.

Feria IV, die 23 aprilis 1913.

S. R. et U. Inquisitionis propositis suprascriptis dubiis, attentis expositis, præhabitoque R. R. D. D. Consultorum voto, Emi ac Revmi D. D. Cardinales in rebus fidei et morum Generales Inquisitores decreverunt:

« *Ad utrumque affirmative* ».

---

(1) Hoc decretum exhibetur apud *L'Ami du Clergé*, 1913, p. 1019, juxta communicationem laudatæ ephemeridi factam ab ipso Vicario Apostolico oratore, Illustrissimo scil. Fatiguet. Confirmat autem solutio data principium inductum anno 1824, ejusque latam interpretationem urget, quatenus applicetur non tantum dispensationi super disparitate cultus impertitæ *ab ipsa S. Sede*, sed etiam dispensationi concessæ *a S. Sedis delegato*, etiamsi non habeat facultatem dispensandi super impedimentis quibus ligatur pars catholica.

Insequenti vero feria V ejusdem mensis et anni SS^mus D. N. Pius divina providentia Papa X, per facultates E^mo ac R^mo D. Cardinali S. Officii Adsessori impertitas, resolutionem Emorum Patrum adprobavit.

ALOISIUS CASTELLANO,
S. R. et U. I. Notarius.

E S. Congr. de Religiosis (1)

DECRETUM 5 AUG. 1913.

De Absolutione sacramentali religiosis Sodalibus impertienda.

In audientia habita ab infrascripto Cardinali Pro-Præfecto S. Congregationis de Religiosis, die 5 augusti 1913, sanctissimus Dominus noster Pius Papa decimus, ob peculiares conscientiæ rationes, facultatem, quam mense februarii hujus anni omnibus confessariis ab Ordinario Urbis approbatis concesserat quoad absolutionem religiosis impertiendam, extendere dignatus est ad omnes totius Orbis confessarios a locorum Ordinariis approbatos. Hi proinde confessarii, auctoritate SS^mi Domini nostri Pii Papæ decimi, omnium sodalium cujuscumque Ordinis, Congregationis aut Instituti sacramentales confessiones excipere, quin de licentia a Superiore obtenta inquirere vel petere teneantur, atque valide et licite absolutionem a peccatis in Ordine vel Instituto etiam sub censura reservatis, impertire queant.

Omnibus igitur cujusque Ordinis, Congregationis aut Instituti superioribus et præsidibus, hujus decreti præscripta fideliter Sanctitas Sua in virtute sanctæ obedientiæ observare mandavit, constitutionibus, ordinationibus apostolicis, privilegiis qualibet efficaciori forma concessis, aliisque contrariis

(1) *Acta Ap. Sedis*, V, p. 431.

quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, minime obstantibus

Datum Romæ, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die, mense et anno quibus supra.

O. Card. Gagiano De Azevedo, *Pro-Præfectus.*
Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius.*

ADNOTATIONES.

Relatum decretum ad universum orbem extendit concessionem mense Februario, ejusdem anni 1913, jam factam in gratiam confessariorum Urbis, ad tramites communicationis ad dictos Urbis confessarios transmissæ, sequentis tenoris:

Vicariat de Rome (deuxième bureau).

En vertu d'une disposition du Saint Père, communiquée à ce Vicariat par lettre de la S. Congrégation des Religieux en date du 8 Février 1913, tous les prêtres approuvés pour les confessions à Rome, ont dorénavant le pouvoir d'entendre en confession et d'absoudre les religieux appartenant à n'importe quel Ordre, qui s'adresseront à eux, sans besoin d'aucune permission de la part des Supérieurs réguliers respectifs (1).

Porro hisce funditus mutatur disciplina vigens *circa confessiones excipiendas religiosorum.* Cujus mutationis momentum sponte innotescet ex collatione facienda disciplinæ novæ cum antiqua.

I. Disciplina Antiqua.

Huc summatim redibat: *De regula generali* regulares et religiosi exempti obnoxii erant, quoad forum sacramentale, jurisdictioni Prælati Ordinis ad quem pertinebant, et pro sacramentali confessione adire debebant confessarium ad hoc a proprio Prælato deputatum ac

(1) Textus desumptus ex *Can. Contemp.*, 1913, p. 698. juxta traductionem factam e textu italico.

jurisdictione munitum, ab eoque solo validè absolvi poterant. Confessarii autem passim constituebantur soli sacerdotes proprii Ordinis (1), adeo ut religiosi exempti regulariter, et salvis derogationibus mox indicandis, non possent confiteri nisi coram confessario confratre (2).

Exceptiones in jure admissæ erant, relicta derogatione inducta tempore Jubilæi, hæ duæ sequentes: *prima*, quatenus *extra conventum legitimè degentes*, et itineris socium in proprio Ordine approbatum non habentes (3), possent validè et licite absolvi a quocumque confessario « qui vel sæcularis a suo Ordinario, vel regularis a suo Superiore ad confessiones audiendas sit approbatus » (4); *altera*, quatenus, ad tramites responsi S. Pœnitentiariæ, 14 Maii 1912, ad 1m, confessionem apud confessarium extraneum ritè approbatum instituere possent, etiam extra itineris legitimi hypothesim, quotiescumque « Superior domus aliique confessarii tamdiu

---

(1) Hæc disciplina de confessariis in Ordine exclusive deputandis, non tantum erat disciplina facti, sed in pluribus Ordinibus erat jure, saltem particulari, inducta, ita ut Benedictus XIV, in Brevi, mox citando, scripserit: « Quod communi auctoritatis juri innixum in religiosis familiis, etiam per peculiares generalium comitiorum sanctiones, in aliquibus Ordinibus, præceptum statutumque est, ut nimirum alumni cujuslibet Instituti peccata sua nonnisi ejusdem dumtaxat Religionis confessariis, quibus, utpotè omnium rerum in ipsa Religione servandarum cavendarumque notitia intructis, facilius est pro culpis salutare adhibere remedium, confiteri teneantur ». Cf. etiam apud *Acta S. Sedis*, I, p. 675 s., decr. S. C. Ep. et Reg., 3 Junii 1864 (1861).

(2) Dicta spectant solos religiosos *exemptos*: reliqui subsunt jurisdictioni episcopali, adeoque a quocumque confessario approbato absolvi possunt validè, non secus ac sæculares; in pluribus tamen institutis et congregationibus non exemptis, restringebatur confessionis libertas, quatenus deputarentur confessarii quos solos licitè adire possent sodales.

(3) Fratribus Min. Capucinis indulsit Pius IX, 28 Sept. 1852, ut hac licentia, extra propriam Religionem confitendi, uterentur etiam quando in itinere nonnisi unum sui Ordinis confessarium in comitem haberent. Cf. *N. R. th.*, XXIX, p. 317.

(4) Cf. Breve Bened. XIV, 30 Martii 1742 (P. Bullarium, I, p. 375), coll. Oesterlé, apud *Th. Pr. Quartalschr.*, 1912, p. 61 ss.

absint, saltem per unum diem, ut grave sit religioso pœnitenti toto illo tempore carere absolutione sacramentali » (1).

Aliàs non poterant validè confiteri nisi coram confessario confratre ad hoc deputato, vel speciali Superioris permissione indigebant extraneum confessarium adeundi, cui confessario sic indirecte censebatur facultas concedi ad confessionem excipiendam ac validè et licitè absolvendum (2).

Quod in specie spectat *casus reservatos :* non poterant iidem religiosi exempti a reservatis absolvi, salvo speciali indulto (3), per *communem* confessarium, sive proprium sive extraneum, nisi in periculo mortis vel in casu urgentiori, infrà limites in jure cautos et servatis cautelis servandis: hoc attento quod religiosi exempti non subsunt reservationi episcopali, adeoque a casibus

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 125 ss., ubi textus refertur cum subnexo commentario.

(2) Hanc licentiam, indirectæ delegationi æquivalentem, dare poterat Prælatus regularis, salvo statuto contrario, etiam in gratiam religiosi itmerantis, cui copia esset socii (vel duorum sociorum) confessarii, uti fusè vindicat Oesterlé, l. c., p. 59 ss. et 537 ss.

Nomine autem Prælati hic veniunt etiam Superiores locales, quales sunt Priores, Guardiani, nisi, peculiari statutorum ordinatione, reservetur hæc facultas Generali et Provinciali, quemadmodum apud Franciscanos. Cf. decr. S. C. Ep. et Reg , 3 Junii 1864, l. c., p. 672 ss., coll. Oesterlé, l. c., p. 56 ss.

(3) Ita, die 5 Aprilis 1897, S. Sedes precibus annuit a Procuratore Generali Capucinorum oblatis, quatenus quisque Fratrum, « qui de suorum Superiorum licentia, quacumque ex causa, extra conventum inveniatur, atque copiam confessariorum (saltem duos) non habeat, liberè peccata sua confiteri possit cuicumque confessario rite adprobato, ab eoque absolvi etiam a reservatis in Ordine et ab incursis proinde censuris, atque religiosus ita absolutus *ultra non teneatur regulari suo Superiori se præsentare* ad novam obtinendam super reservatis et censuris absolutionem »; propterea « facultatem tribuit P. Ministro Generali indulgendi ut religiosi sui Ordinis liberè peccata sua confiteri possint cuicumque confessario rite adprobato in omnibus juxta preces, dummodò de suorum Superiorum licentia extra claustra degant, vel iter peragant, non autem pro iis qui ex industria vel in fraudem legis itinera arripiant ». *N. R. th.*, XXIX, p. 317 s.

episcopalibus, sive ratione sui sive ratione censuræ reservatis, absolvi poterant (1).

Confessarius autem *privilegiatus,* sive proprius sive extraneus, si erat *a S. Sede* munitus facultate absolvendi a reservatis pontificiis, vel etiam a casibus in Ordine reservatis (quæ altera facultas inseritur in *Pagella*, sub art. VIII), a respectivis reservatis absolvere poterat pœnitentem religiosum, infra facultatis suæ limites (2).

*
* *

II. Disciplina nova.

Auctoritate D. N. Pii Papæ X, confessarii quilibet ab Ordinario loci approbati, validè et licitè confessiones excipere possunt quorumvis religiosorum, cujuscumque Instituti vel Ordinis, quantumvis exempti, eosque absolvere etiam a peccatis in Ordine reservatis.

Quam novam dispositionem paucis enucleando, statui posse videntur sequentia circa naturam et originem facultatis concessæ, ejusque extenslonem ac amplitudinem. Nimirum

A. Facultas confessionem excipiendi et absolvendi sodales religiosos, conceditur omnibus universi orbis confessariis, hac sola posita conditione, ut fuerint *ap-*

---

(1) Adde provisum esse in jure, favente decreto Clementis VIII, ab Urbano VIII confirmato, quod, si « regularibus confessariis, casus alicujus (in Ordine) reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere ». *N. R. th.*, VI, p. 642 ss.

(2) Cf. responsum S. Pœnitentiariæ, 14 Maii 1902, ad 2m, 3m, 4m et 5m. Dicitur: facultate munitus *a S. Sede.* Idem autem valet pro confessario facultatem a reservatis consecuto *per medium Prælatum* proprium pœnitentis. Quodsi confessarius legitimè electus facultatem a reservatis pontificiis absolvendi acceperit per medium *Ordinarium loci,* non poterat illa uti erga pœnitentem religiosum exemptum, cum usus facultatis ab Episcopo concessæ restringatur exercenda erga solos subditos Episcopi, nec adeo usurpari valeat erga religiosos ab ejusdem jurisdictione exemptos.

probati ab Ordinario loci. Hac scil. verificata conditione, confessarius ipso facto accipit *a S. Sede* vel *jurisdictionem* et facultatem necessariam in religiosum ad se accedentem, si pertinet ad Ordinem exemptum (1), vel, si agatur de pœnitente jurisdictioni sacramentali Episcopi obnoxio, *licentiam* confessionem excipiendi.

Non est igitur, quemadmodum expresse monet tenor decreti, cur exinceps inquirat confessarius, antequam religiosi confessionem excipiat, de venia seu permissione a Superiori obtenta; nec adeo — quod logice eruendum videtur (2) — indiget ipse religiosus, sive ad confessionis valorem sive ad ejusdem liceitatem, permissu Superioris, ut confessionem instituat coram extraneo confessario, sive in ipso conventu (3) sive extra conventum, quacumque de causa extra illum degat, quod socium habeat vel non (4).

Dicitur: supposita approbatione *Ordinarii loci*, i. e. *Episcopi diœcesani* (ejusve Vicarii Generalis), seu Episcopi loci in quo confessiones excipiuntur. Non afficit proinde præsens dispositio confessarium *a Prælato regulari* deputatum.

---

(1) Nimirùm nova disciplina non mutat conditionem religiosi exempti, eum jam subjiciendo jurisdictioni Episcopi, in foro interno; manet jurisdictioni episcopali subductus, nec adeo potest vi jurisdictionis ab Episcopo derivatæ absolvi, sed absolvi debet, in defectu jurisdictionis a Prælato regulari acceptæ, vi jurisdictionis a S. Sede concessæ.

(2) Ita Besson, *N. R. th.*, 1914, p. 23; Salsmans, *De Religiosis-Periodica*, 1913, p. 174; Boudinhon, *Can. Cont.*, 1913, p. 707. Item Ferreres, *Razon y Fe*, 1913, II, p. 373 s., n. 10 Favet etiam tenor communicationis a Cardinali Vicario factæ confessariis Urbis. Contradicere videtur Linneborn, apud *Theologie und Glaube*, 1913, p. 806.

(3) Immeritò, ut videtur, docet Linneborn, l. c., decretum nostrum unice spectare confestiones peragendas *extra conventum*, intacta relicta disciplina anteriori circa confessiones in ipso conventu. Locus est applicationi adagii: ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Cf. in nostrum sensum, Gennari, *Il Monitore*, 1913, p. 357; Boudinhon, l. c., p. 709; Ferreres, l. c., n. 7.

(4) Indiget utique venia Superioris ad exeundum e conventu, sed illa venia non indiget intuitu confessionis, sed unice ratione disciplinæ interioris domus. Cf. Ferreres, l. c., n. 28.

B. Restringi censetur usus facultatis concessæ *ad limites approbationis* ab Episcopo acceptæ. Unde non potest confessarius ab Episcopo approbatus pœnitentem religiosum absolvere extra territorium approbationis, hoc attento quod, si agatur de pœnitente sacerdote, approbatio cujuscumque confessarii extenditur, in diœcesi Brugensi, ad universam diœcesim.

C. Quod spectat *casus reservatos*:

1° *Communis* confessarius potest

a/ absolvere, juxta expressum decreti tenorem, a peccatis *in Ordine vel Instituto* quomodocumque reservatis, sive ratione sui, sive ratione censuræ, sive cum censura. Intenduntur nempe, non casus ratione censuræ reservati, jure communi, Ordinario, adeoque, respectu regularium, Prælato, sed illi casus qui, ad tramites decreti Clementis VIII, 26 Maii 1593, reservantur speciali statuto in ipso Ordine, et ab Ordinis Superiore.

b/ Potest etiam pœnitentem a jurisdictione Episcopi exemptum absolvere *a casibus episcopalibus,* i. e. ab Episcopo Sibi reservatis.

Ratio est quia dicti pœnitentes reservatione episcopali non attinguntur, sive reservatio consideretur in quantum afficit pœnitentem, sive in quantum afficit confessarium.

Nimirum reservatio, in intentione Reservantis, directe dirigitur in pœnitentem, eum adigendo ad sese præsentandum coram Superiore ejusve delegato, in hunc finem subtracta et limitata jurisdictione communis confessarii, et qua talis non attingit nisi pœnitentem subditum. Si consideretur in reservatione id quod primum est in executione, subtractio nempe seu limitatio jurisdictionis in sacerdote confessario, etiam hæc jurisdictio, sicut non conceditur sacerdoti nisi respectu pœnitentis subditi exercenda, pariter nonnisi respectu subditi restringi censetur.

Quomodocumque igitur consideretur reservatio, non

attingit nisi subditum, adeoque non attingit religiosum a jurisdictione episcopali exemptum: quam exemptionem sub præsenti disciplina servari suprà notavimus. Frustra proinde provocatur ad illud assertum: « La réserve affecte directement non le pécheur, mais la juridiction du confesseur » (1).

Sola ratio quæ posset invocari est hæc, quod nempe S. Sedes, in sua jurisdictionis concessione erga religiosos, censetur rationem habere restrictionis et reservationis ab Episcopo loci inductæ in respectivis diœcesibus: ad modum quo Episcopus proprius peregrini, in alia diœcesi confitentis, rationem habere censetur, juxta sententiam originem jurisdictionis in peregrinos ab Episcopo proprio derivantem, restrictionis et reservationis existentis in loco confessionis, disciplinæ in eo loco vigenti sese implicite conformando (2).

Jamvero non probatur hujusmodi mens restrictiva S. Sedis, ac imo aliena potius videtur ab inductæ disciplinæ œconomia, quæ extensiva et ampliativa esse apparet manifestè. Nec invocari potest in casu consuetudo, sicuti pro Episcopo peregrini invocatur, juxta notata l. c.

Ad minus igitur probabilis est sententia proposita probabilitate juris, adeo ut communi confessario præsto sit titulus coloratus cum errore probabili, et Ecclesiæ suppletio, in quantum esset opus.

Respectu cæterorum casuum vel censurarum reservatorum, nihil posset communis confessarius, in casu, salvis concessionibus factis a jure, ad tramites dictorum suprà, et servatis servandis.

2° Confessarius *privilegiatus*, munitus nempe facultate absolvendi a reservatis, sive S. Sedi reservatis, sive Ordinario Regulari a jure reservatis: si dictam facultatem acceperit *a S. Sede*, potest ea plenissime uti.

---

(1) *Can. contemp.*, l. c., p. 710; cf. *N. R. th.*, l. c., p. 25.
(2) Cf. nostrum tractatum *De Casibus reservatis...*, n. 7.

Quodsi eam acceperit subdelegatam *ab Episcopo*, de se non posset ea uti erga pœnitentem religiosum exemptum; quod enim spectat reservata S. Sedi, facultatem ab illis absolvendi — quod jam notavimus suprà — subdelegare nequit Episcopus exercendam erga non subditos; quod autem attinet censuras a jure reservatas Ordinario, non valet Episcopus super illis facultatem concedere, in quantum reservantur Prælato Regulari, uti obtinet respectu pœnitentis religiosi, Prælati jurisdictioni obnoxii.

Ut igitur dicto confessario, facultatem ab Episcopo habenti super censuris S. Sedi et Ordinario a jure reservatis, facultas agnoscatur ab illis censuris absolvendi, dicendum est S. Sedem, sub hac nova disciplina, illi confessario jurisdictionem concedere in præfatos religiosos juxta amplitudinem jurisdictionis, quam ab Episcopo acceperit erga pœnitentes episcopali jurisdictioni subjectos: quod quidem conforme esset menti et indoli novæ disciplinæ inductæ, ex tenore tamen decreti stricte probari posse hucusque non videtur.

Conclusio. Ex dictis sequitur, pro praxi confessarii sæcularis, ipsum posse, seclusa omni speciali facultate et quin opus habeat quavis licentia, confessionem excipere cujuscumque religiosi, tam novitii quam professi, sive in ipso conventu, sive extra conventum, eumque absolvere etiam a reservatis in Ordine (1), necnon, si

---

(1) Insistit Besson, l. c., p. 26 s., in anomalia quadam per descriptam dispositionem inducta. Dum scil. communis confessarius extraneus, ab Episcopo approbatus, potest, vi decreti, absolvere religiosos a reservatis in Ordine, id non valet confessarius confrater, in supposito quod non sit approbatus nisi a solo Prælato Regulari, uti facile fit in Ordinibus contemplativis, quorum religiosi non exercent ministerium inter sæculares. Vidimus enim ad applicationem præsentis decreti præsupponi approbationem Ordinarii loci, i. e. Episcopi.

Hæc tamen inducta distinctio non adeo mira videtur: facultas scil. a reservatis in Ordine non conceditur confessario extraneo ut præ confessario proprio Ordinis privilegietur, sed ex quadam necessitate practica,

pœnitens est religiosus exemptus, a reservatis episcopalibus.

Ex sua parte fas est exinceps cuilibet religioso libere confiteri, non tantum coram confessario Ordinis, a Prælato pro regularium confessionibus deputato, sed etiam coram quocumque confessario, sive regulari, ejusdem vel alieni Ordinis, sive sæculari, approbatione Episcopi munito; idque citra licentiam Superioris, qua jam non indiget, hac sola attenta restrictione, suprà facta, quod, pro adeundo confessario extra conventum, indiget venia Superioris, non intuitu confessionis instituendæ, sed ratione disciplinæ domus servandæ.

Monent tamen BESSON, l. c., p. 28, et SALSMANS, l. c., p. 174, optandum esse ut religiosi hac libertate non abutantur, sed ea moderatè utantur in quantum animæ quies et spirituale bonum id postulare videntur, de cætero servantes confessarium ordinarium in Ordine deputatum (1).

A. DE SMET.

---

quia nempe ab extraneo confessario exigi non possit quod cognoscat et attendat disciplinam reservationis in variis Ordinibus vigentem.

Nescio proinde utrum tantopere contra mentem hucusque expressam S. Sedis ageret Superior, uti innuit laudatus Auctor (cui consentit FERRERES, l. c. n. 12), si confessariis in Ordine a se deputatis non concederet deinceps facultatem absolvendi a reservatis in Ordine; cæteroquin illam facultatem omnibus illis concedendo, æquivalenter abrogaret omnem reservationem in Ordine.

(1) Manet verum, sic arguit *Besson*, « que l'ancienne discipline avait été dictée par le souci d'assurer l'intérêt spirituel des religieux et qu'à certains points de vue elle atteignait ce but. A s'inspirer spontanément de ces traditions, l'âme qui est venue demander à la vie régulière plus de secours et plus de perfection, y gagnera, aujourd'hui comme autrefois, en sécurité et en progrès. Elle sera aussi mieux dirigée selon l'esprit propre de sa vocation; ce qui, surtout dans la période de la formation religieuse, est de la plus haute importance ». Cf. etiam suprà citata verba Benedicti XIV.

Ex Audientia Sanctissimi

Beatissime Pater,

Cardinalis Archiepiscopus Mechlinien., ceterique Episcopi Belgii exponunt: in suis diœcesibus ab immemorabili tempore usum vigere, vi cujus Episcopi confessarios ordinarios monialium et sororum cujuslibet Ordinis vel Congregationis in munere confirmare solent pro tempore sibi beneviso, non expetitis religiosarum suffragiis, cauta tamen decretorum S. Sedis observantia de conscientiæ libertate. Quum ex hac consuetudine, attentis cautelis adhibitis, nullum in via Dei progredientibus obstaculum oriri experientia constet, et quum præterea religiosæ ipsæ talem usum magnopere approbent, ita ut ipsis generatim grave esset, si relinqueretur, Oratores pro omnibus Belgii diœcesibus eam facultatem humiliter expostulant quam Episcopus Namurcensis obtinuit, nempe ut, non obstante dispositione N. 2 et 9 Decreti « Cum de Sacramentalibus », possint confessarios ordinarios religiosarum pro tempore sibi beneviso in munere confirmare, quin ad suffragia sororum expostulanda obligentur, ac servatis de cetero omnibus dispositionibus ad conscientiarum libertatem salvandam.

Et Deus etc.

Ex Audientia SSmi, habita a Cardinali Sacræ Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium præpositæ, Pro-Præfecto, die 2 Sept. 1913, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia ad quinquennium.

Datum Romæ, die, mense et anno, uti supra.

L. ✠ S.

(Sign.) F. Cherubini, *Subsecretarius.*
(Sign.) A. Laghi.

S. Congregatio Concilii

BURGI S. SEPULCHRI ET ALIARUM (1).

Missæ pro populo et servitii choralis.

De translatione festorum dierum statuta Motu proprio « Supremi Disciplinæ » d. d. 2 julii 1911, a sacra Congregatione Concilii quæsitum fuit:

1/ An quando festum aliquod suppressum incidat in diem Dominicam, aut impeditam festo majoris ritus, curam animarum gerentes teneantur applicare missam pro populo, die in quam idem festum transfertur?

2/ An quando festum aliquod transfertur, quoad officium et missam tamquam in sedem propriam, in aliam diem, in ecclesiis in quibus servitium chorale alternis hebdomadis præstatur, obligatio chori *communis*, et distributiones, si quæ pro eo festo sint, pariter transferantur in eamdem diem?

Et in plenariis comitiis, diei 12, loco diei 13, decembris 1913, E^mi^ Pater respondendum censuerunt:

Ad I Negative.

Ad II Negative, nisi, quoad distributiones, obstet expressa fundatorum voluntas, statutum particulare, aut legitima consuetudo.

Hisce autem relatis SS^mo^ Domino nostro Pio PP. X, in audientia habita ab infrascripto S. C. Secretario, die 15 ejusdem mensis et anni, Sanctitas Sua sententiam E^morum^ Patrum in omnibus approbavit.

L. ✠ S.

C. Card. Gennari, *Præfectus*.
O. Giorgi, *Secretarius*.

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1914, t. VI, p. 9.

BULLETIN SCRIPTURAIRE

(Suite. Voir *Collat. Brugen.*, t. XVIII, p. 720).

II. Nouveau Testament. — Les Évangiles.

1. **Vigouroux-Bacuez-Brassac.** *Manuel biblique ou cours d'Écriture sainte à l'usage des Séminaristes.* T. III (XIVe éd.) et T. IV (XIIIe éd.). *Nouveau Testament.* Paris, Roger et Chernoviz, 1913. In-12, XVIII-814 et 800 pp.

2. **A. Brassac.** *Nova Evangeliorum synopsis.* Paris, Roger et Chernoviz, 1913. In-8, XXX-204 pp.

3. **E. Jacquier.** *Le Nouveau Testament dans l'Église chrétienne. T. I. Préparation, formation et définition du canon du N. T.* Paris, Gabalda, 1911. In-12, 450 pp. Pr. 3,50 fr.

4. **Id.** T. II. *Le Texte du Nouveau Testament.* Paris, Gabalda, 1913. In-12, VI-536 pp. Pr. 3,50 fr.

5. **S. Thomas Aquinas.** *In Evangelia S. Matthæi et S. Joannis commentaria.* Edit. II Taurinensis. Taurini, Marietti, 1912. In-8, XXIV-404 et 518 pp. Pr. 4 fr.

6. **Cornelius a Lapide, S. J.** *Commentaria in omnes Sancti Pauli epistolas...; recognovit...* **A. Padovani.** Augustæ Taurinorum, Marietti, 1909. 2 vol. In-8, XVI-566 et 606 pp. Pr. 12 fr.

7. **M. Lepin.** *Jésus-Christ, sa vie et son œuvre. Esquisse des origines chrétiennes, précédée d'une Introduction sur la valeur historique des Évangiles.* Paris, Beauchesne, 1912. 2e éd. In-12, 270 pp.

8. **D. Buzy.** *Introduction aux paraboles évangéliques.* Paris, Gabalda, 1912. In-12, XXIV-476 pp.

9. **L. Cl. Fillion.** *Les miracles de N. S. Jésus-Christ.*

2 vol. Paris, Lethielleux, 1909 et 1910. In-12, XII-192 et II-416 pp.

10. **H. Van Laak.** *Harnack et le miracle. Traduction de l'Italien par* **Ch. Senoutzen.** Paris, Bloud, 1911. In-12, 126 pp. Pr. 2 fr.

11. **L. Cl. Fillion.** *Les étapes du rationalisme dans ses attaques contre les Évangiles et la vie de N. S. Jésus-Christ.* Paris, Lethielleux, 1911. In-8, VIII-364 pp.

12. **L. Cl. Fillion.** *L'existence historique de Jésus et le rationalisme contemporain.* (Coll. *Science et Religion*). Paris, Bloud, 1909. In-12, 64 pp. Pr. 0,60 fr.

13. **A. Durand**, S. J. *L'enfance de Jésus-Christ d'après les évangiles synoptiques, suivie d'une étude sur les frères du Seigneur.* Paris, Beauchesne, 1908. In-12, LII-288 pp. Pr. 2,50 fr.

14. **J. Bach.** *Monatstag und Jahr des Todes Christi.* Freiburg i/B., Herder; 1912. In-8, 52 pp.

15. **P. Ladeuze.** *La Résurrection du Christ devant la critique contemporaine* (Coll. *Science et foi*). 4e éd. Bruxelles, 1912. In-12, 60 pp.

16. **I.-B. Paquet**, S. J. *Les récits évangéliques de la résurrection du Christ. Conciliation des textes.* (Coll. *Science et foi*). Bruxelles, 1909. In-12, 48 pp.

17. **Jacquier** et **Bourchany.** *La Résurrection de Jésus-Christ. Les miracles évangéliques. Conférences apologétiques.* Paris, Lecoffre, 1911. In-12, XXII-312 pp. Pr. 3,50 fr.

18. **E. Mangenot.** *La résurrection de Jésus, suivie de deux appendices sur la crucifixion et l'ascension.* Paris, Beauchesne, 1912. In-12, 404 pp.

19. **A. Weber.** *Pourquoi et comment lire, méditer, enseigner le Saint Évangile.* Verdun, 1911. In-12, 224 pp. Pr. 1 fr.

1. Le *Manuel biblique* commencé jadis par M. **Vigouroux**, et continué par M. **Bacuez**, et, du moins pour le Nouveau Testament, par M. **Brassac**, en est aujourd'hui, pour l'Ancien Testament à sa douzième (vol. I) et treizième

(vol. II) édition ; pour le Nouveau Testament à sa quatorzième (vol. III : *Les Saints Évangiles*), et à sa treizième édition (vol. IV : *Les Actes des Apôtres, Épîtres, Apocalypse*). C'est dire l'excellence de l'ouvrage, tant au point de vue du fond et de la méthode, qu'au point de vue de l'esprit qui l'anime, esprit d'ailleurs caractérisé par l'auteur lui-même dans la préface à la 12e édition. « Le professeur d'Écriture Sainte considérera comme un devoir sacré de ne jamais s'écarter en rien de la doctrine commune et de la tradition de l'Église » — Cette 12e édition, dûe à M. Brassac était en réalité un ouvrage nouveau, au point que du travail précédent de M. Bacuez il ne restait guère qu'une cinquantaine de pages ; l'ouvrage était en effet entièrement renouvelé et rajeuni. — La 14e édition des Évangiles que nous venons de recevoir, a reçu encore des modifications importantes, surtout dans la deuxième partie, où, en dehors des récits de la passion et de la résurrection, les Synoptiques et S. Jean sont exposés à part ; de même, nous ne trouvons plus l'étude synthétique sur les miracles et sur la doctrine, et notamment sur les paraboles et les discours du Christ, que nous avions dans les études précédentes : en effet ces miracles et ces paraboles sont exposées au fur et à mesure qu'elles se rencontrent dans le texte des Évangiles : cette disposition se prête mieux à une étude suivie du texte des Évangiles.

2. M. **Brassac** vient d'éditer également une *synopse latine des Évangiles,* destinée principalement à servir de texte et de supplément au tome III du Manuel biblique. Il publie l'édition Clémentine, c'est-à-dire l'édition officielle, telle qu'elle a été collationnée récemment par le P. Hetzenauer et publiée par Wagner ; il a relevé en même temps, dans les notes, les divergences notables entre la Vulgate et les éditions grecques critiques, spécialement le *Novum Testamentum græce* de Nestle ; il a comparé la Vulgate Clémentine avec le *Novum Testamentum latine secundum editionem S. Hieronymi,* collationné sur les manuscrits par J. Wordsworth et H.-J. White. — Dans l'*Introduction* nous trouvons les principaux documents se rapportant à l'origine des Évangiles, ainsi qu'un parallèle entre les Synoptiques et Saint Jean. — Quant à l'*ordre* de la Synopse, l'auteur — et pour cause — n'a pas eu pour but de dresser une Synopse chronologique, mais il a pris comme

base l'Évangile de Saint Marc, en insérant dans cette trame les passages spéciaux à Saint Matthieu et à Saint Luc. Suit le texte de S. Jean. Les récits de la passion et de la résurrection sont donnés en quatre colonnes, pour les quatre Évangiles, harmonisés entre eux.

3. M. **Jacquier**, l'auteur des ouvrages si hautement appréciés sur l'origine des livres du Nouveau Testament, leur authenticité et leur contenu, a voulu, dans un nouvel ouvrage, exposer l'histoire de ces mêmes livres *dans l'Église chrétienne postérieure*. Il divise cette histoire en trois périodes : la période de préparation qu'il finit en 170 ; la période de formation, qu'il commence avec S. Irenée et pousse jusque vers 350 ; la définition du canon du Nouveau Testament. — Nous regrettons que l'auteur n'ait pas mis mieux en relief la distinction entre les *deux* décrets du Concile de Trente, l'un *dogmatique*, portant sur le canon des SS. Écritures, c'est-à-dire sur les livres qui doivent être regardés comme inspirés, l'autre *disciplinaire*, déclarant la Vulgate authentique. — Quant à ce dernier décret, nous ne pouvons admettre que le concile ait voulu attester la conformité de la Vulgate avec les textes originaux. Nous croyons au contraire que la portée immédiate du décret est que la Vulgate, parmi toutes les versions de la Bible, soit désormais regardée comme texte officiel et faisant autorité dans toute l'Église occidentale ; nous convenons cependant que cette mesure disciplinaire *suppose* une conformité substantielle avec les textes originaux, et en particulier l'absence de toute erreur dans les textes dogmatiques (1). — Nous doutons également (p. 391) que les Pères du Concile aient déclaré inspirées et canoniques, les parties deutérocanoniques du Nouveau Testament : il semble en effet ressortir des actes du Concile que, dans la rédaction définitive du décret, les Pères ont évité à dessein de faire mention de ces parties ; par conséquent ces parties tombent, elles aussi, sous la règle générale posée par le décret : il faut les admettre comme inspirées, pour autant que se vérifie à leur sujet, les conditions : « *prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata latina editione habentur* ». — En tout cas, le fameux texte I Jo. V, 7 s.,

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, apud *Collat. Brug.*, t. VIII, pp. 230 ss.

des trois témoins célestes, que l'auteur range, par inattention sans doute, parmi les parties deutérocanoniques du Nouveau Testament, ne fut pas l'objet de discussions dans les congrégations du Concile.

omnia videre in Verbo, quoniam Verbo appropriantur vel propria sunt quæ respiciunt intellectum, cujus actus est visio. Tertio, sic in lumine tuo, Deus Trinitas, id est in divina essentia, quæ est superclarissimum lumen, tamquam per intelligibilem speciem, videbimus lumen luminum, Deum gloriosum et sanctum, trinum ac simplicem. Non enim videtur lumen divinum nisi per seipsum, ita quod ipsum est quod et quo, objectum et forma, res et similitudo, finis ac species; sic videt namque Deus seipsum per seipsum. Propterea cum ita Deum videre ceperimus, similes ei erimus, videntes eum sicuti est, cognoscentes sicut et cogniti sumus, conspicientes superdulcissimum Deum facie ad faciem, in cujus visione fruitiva consistit pax omnem sensum exuperans, excogitabilis prorsus suavitas et gaudium consummatum plene contentans. Hæc pro eo sint dicta quod Christus ait: Ego sum vita.

Supra p. 87 in fine, in textu 2 *ad Cor.* 4°, loco *charitatis* lege *claritatis*.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Januarii propositas.

—

I

De antiquitate mundi juxta S. Scripturam.

Q. *Paucis expone an et quare aliquid circa antiquitatem mundi deduci possit ex doctrina Scripturæ sacræ, et signanter ex narratione creationis qualis in Genesi occurrit.*

R. In hoc articulo necnon in responso ad I^am^ quæstionem fasciculi proximi de antiqua chronologia biblica acturi, duo distinguimus:

a/ Antiquitatem **generis humani**, seu de tempore quo homo primò in hac terra apparuit: de quo in fasciculo proximo dicendum; — et

b/ Antiquitatem **mundi**, seu de tempore quo ipse mundus materialis cœpit existere. Porro circa hanc quæstionem asserimus **ex doctrina S. Scripturæ nihil posse desumi.**

Revera hæc epocha nullibi *directe* indicatur: nullibi enim S. Scriptura dicit mundum tali vel tali tempore determinato, puta tali anno ante Christum, fuisse creatum. Quare si quid ex sacris litteris desumi posset, illud *indirecte* et *per deductionem* fieri deberet; et hæc ut videtur sola via excogitari posset (1):

Primo. Quum in Genesi I-II, 4 creatio hominis exhibeatur ut quæ, coronidis instar, ultimo loco successerit in rerum omnium effectione a Deo, primo loco inquirendum esset de antiquitate hominis;

---

(1) Cfr. BACUEZ-VIGOUROUX, *Manuel biblique*, t. I, n. 278 ss.

Secundo. Ulterius ipsa omnium rerum creatio et dispositio quæ describitur inde a v. 3 capitis I, sic exhibetur quasi infra spatium sex dierum fuerit absoluta; indeque inquirendum esset quid per hosce dies sit intelligendum, et quam alte igitur ascendendum sit supra creationem hominis sextæ diei assignatam;

Tertio. Tandem quum juxta nonnullos, et meritò ut videtur, textus Geneseos ita intelligatur ut ponatur distinctio inter ipsam *creationem* seu productionem ex nihilo rerum (I, 1) et earumdem *ordinationem* (I, 3 ss.), quæri posset utrum et quantum intervallum inter utramque sit ponendum, et quam alte iterum ascendendum sit supra creationem lucis primæ diei assignatam.

Porro ad singulas quæstiones respondendum est nos nihil certi edoceri.

Ad primum quod spectat, ad **antiquitatem generis humani**, remittimus ad fasciculum *Collat. Brug.* proximum (1).

Ad secundum quod spectat, ad modum quo, quantum ad chronologicam durationem, intelligenda sint ea quæ referuntur Gen. I, 3-II, 4, et signanter quid sibi velint **dies isti sex**, notum est quam variis modis hæc omnia fuerint ab interpretibus catholicis intellecta (2); notum est quoque *Commissionem Pontificiam de Re biblica,* decreto 30 Junii 1909 (3), rejectis istis interpretationibus quæ sensum historicum primorum capitum Geneseos pessumdarent, de cætero catholicis magnam statuisse interpretandi libertatem, et in specie licitum declarasse « in illa sex dierum denominatione... sumi

---

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *Meditationes theologicæ* (*Collat. Brug.*, t. IX, p. 360), ed. gallica, t. II, p. 188.

(2) Cfr. Guibert, *Les croyances religieuses et les sciences de la nature* (Paris, 1908), 2me éd., pp. 260 ss., *Les Origines,* (Paris, 1910), 6me éd., pp. 29 ss., Bacuez-Vigouroux, *Manuel biblique,* t. I, n. 272 ss.; Laminne, *Que nous enseigne le Ier Chapitre de la Genèse,* apud *Revue Apologétique,* t. V. a. 1903-04, pp. 321 ss.

(3) Cfr. textum decreti apud *Collat. Brug.*, t. XIV, pp. 499 ss.

vocem *Yôm* (dies), sive *sensu proprio* pro die naturali, sive *sensu improprio,* pro quodam temporis spatio », quantumvis longissimo. Hinc jam apparet, saltem quod attinet interpretationem magisterii ecclesiastici, catholico liberum esse quantumlibet alte supra creationem hominis ascendere (1).

Si vero quæritur quonam ex utroque sensu indicato vox dies intelligenda sit, indubium nobis videtur sensum proprium et naturalem esse eligendum (2). Ratio autem præcipua hujus nostri asserti sita est in ea regula elementari sanæ exegeseos, a sensu obvio et proprio verborum non esse recedendum, nisi adsint rationes ad id cogentes. Jamvero vox *dies* sensu proprio et obvio significat id quod nos dicimus et omnes dicunt: *dies.* Porro nulla est ratio hunc sensum proprium relinquendi, pro sensu valde improprio et insolito quo significaret *epocham* quantumvis longissimam; e contrario contextus litterarius et historicus in quo hæc verba fuerunt scripta omni alii sensui adversatur. Etenim: erant Hebræi, sive scriptor, Moyses, sive lectores textus nostri, per suam vitam quotidianam, assueti successioni dierum; solebant dies singulas duplici parte, die ac nocte, distinguere, diemque singulam incipere, priorem partem a vespere et alteram partem a mane; assueti erant hebdomadæ suæ per septem dies currenti, quorum sex operari, septimum vero, quem diem Sabbati vocabant, requie et cultu Dei sanctificare solebant. Et ecce in capite sui libri scribunt aut legunt varias dies sibi succedentes, simplici modo *dies* vocatas; variæ istæ dies utraque sua parte, vespere et mane, indicantur;

---

(1) Systema concordismi quo *dies* intelliguntur quasi longissimæ periodi, vide expositum et propugnatum apud Bacuez-Vigouroux, *o. c.*, nn. 267 ss.; Brucker, *Questions actuelles d'Ecriture Sainte,* (Paris, 1895), pp. 165 ss.

(2) Cfr. Ill. Waffelaert, *o. c.*, apud *Collat. Brug.*, t. VIII, pp. 467 s.; ed. gallica, t. II, pp. 53 ss.; *Gewijde Geschiedenis,* in *Canisiusblad,* t. V (1906), pp. 65 ss.

dies istæ septem sunt, Deusque exhibetur per sex priores dies operans, die autem septima quiescens, hebraice '*sabbat*', ab universo suo opere eamque diem sanctificans.

Quonam sensu putandum est scriptorem, in istis suis adjunctis, hujusmodi narrationem intellexisse nisi de hebdomada, de diebus, de mane et vespere, de die septima sabbati, de sex diebus operationis, quibus Hebræi assueti erant, sensu ergo proprio et obvio?

Hoc admisso in Gen. I-II, 4 *diem* significatione sua propria et naturali esse sumendam qua usu loquendi ordinario illam sumimus, adhuc tamen, et hæc est quæstio nostra, nihil inde concludere licet quoad *temporis spatium* per quod rerum omnium dispositio absoluta fuit.

Iterum enim non desunt varia systemata quibus Auctores, hunc sensum proprium admittentes, nihilominus fatentur durationem istam non posse determinari (1). Inter hæc autem systemata si quæratur quid eligendum videatur, præplacet sic dici:

Omnino affirmamus pericopam Gen. I-II, 4 esse in sensu suo litterali ut historicam habendam, eamque « continere rerum vere gestarum narrationes, quæ scilicet objectivæ realitati et historicæ veritati respondent » (2). Auctor sacer retulit et referre intendit facta historica ut historica: referre intendit Deum initio temporis omnia creasse, ita ut nihil non sit ab ipso;

---

(1) Cfr. GUIBERT, *o. c.*, LAMINNE, *a. c.*; THOENE, *Der biblische Schöpfungstag*, apud *Theologisch-praktische Quartal-Schrift*, t. LX, (1907), pp. 58 ss.; KOBYLANSKYJ, *Eine Ansicht hinsichtlich des Hexaemeron*, per. cit., t. LIX, (1906), pp. 786 ss.; LANIER, *La Bible et les origines du monde*, apud *Revue du Clergé français*, t. LXII (1910), pp. 538 ss.; HUMMELAUER, *Commentarius in Genesim* (1895), pp. 68 ss.; BRÜCKER, *Dict. Apol. de la foi cathol.* (D'ALÈS), v° *Génèse*, c. 283 ss.; ZAPLETAL, *Le récit de la Création*, (Paris, 1904), pp. 99 ss.; MINJON, *Die dogmatischen und literarischen Grundlagen zur Erklärung des biblischen Schöpfungsberichtes*, in *Der Katholik*, 1910; ID., *Die biblischen Schöpfungstage*, *ibid.*, 1911, II, pp. 458 ss.

(2) Decretum Comm. Bibl. cit., ad II.

Deum quoque omnia distinxisse et ordinasse, ita ut totus mundus eo modo quo dispositus cernitur ad Deum sit referendus; Deum quoque esse auctorem et ordinatorem magnorum istorum phænomenorum naturalium quæ Hebræis quotidie coram oculis obversabantur; Deum tandem peculiari modo intervenisse pro creatione hominis, et hujus intuitu omnia reliqua ordinasse (1).

Hæc autem omnia facta historica describere voluit intuitu coævorum suorum, rebus scientificis minime doctorum, ideoque nec debuit nec imo bene potuisset ista describere modo placitis scientiæ objectivæ, qualia aliis locis et temporibus detegerentur, conformi; sed obvie elegit talem modum narrandi popularem quo ab omnibus facile intelligeretur; imo nihil impedit quominus assumpserit modum quo veritates docendæ, populari modo, in ipsa plebe referri solebant (2).

Nimirum, per anthropomorphismum, figuram Hebræis valde familiarem, exhibuit Deum primo quodam instanti creantem seu ex nihilo producentem cœlum et terram, in est universitatem quamdam omnium entium, non tamen ordinatam et dispositam sicut ipsam hodie aspicimus, sed potius materiam confusam et inordinatam, informem et elementarem: deinde, sic quasi præparata materia in quam divinus Operator operabitur, repræsentatur Deus, ad modum operarii Hebræi, per sex dies operans ut totam istam massam disponat et ornet; singula die opus a se perfectum aspicit, illud bonum esse invenit de eoque gaudet, et tandem septima die quiescit.

---

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *o. c.*, *Collat. Brug.*, t. VIII, pp. 464 ss.; Laminne, *a. c.*, pp. 324 ss.; Lempl, *Zur Erklärung des Hexaëmeron*, in *Theol.-Prakt. Quartal-Schrift*, t. LI, (1896). pp. 26 s.

(2) Cfr. Decretum Comm. Bibl., ad VII: Non fuit « sacri auctoris mens intimam adspectabilium rerum constitutionem ordinemque creationis completum scientifico more docere; sed potius suæ genti tradere *notitiam popularem*, prout communis sermo per ea ferebat tempora, sensibus et captui hominum accommodatam... ».

Porro hæc temporis duratio, sicut et ipse ordo quo res omnes effectæ sunt, pertinent *ad formam* seu *ad modum narrandi*, *nec fuit intentio* sive Dei inspirantis sive auctoris sacri docere universas res revera *isto ordine* et *ista duratione fuisse effectas* (1). — Revera :

a/ Ex ipsa indole generali librorum sacrorum et ex doctrina Ecclesiæ novimus scopum Dei inspirantis sicut et auctoris inspirati fuisse docere veritates religiosas, non autem, saltem *directe,* docere nos res scientificas, qua tales ; in casu autem nostro minime apparet ratio dicendi Deum vel hagiographum intendisse modum, quo describunt universi origines, scientifico modo proponere ut objectivum et realem : omnia enim apte intelligimus et veritates religiosæ omnes optime docentur, etsi ordinem et tempus assignatum interpretemur ut quæ ad modum narrandi pertinent (2).

b/ Et bene intelligimus quare iste modus narrandi fuerit electus. Habebant enim Hebræi suam hebdomadam, sex diebus operandi et una requiei distinctam ; quid magis obvium quam quod ipse Deus exhiberetur quasi qui ab initio præivisset praxi quam postea populo suo imponeret ? Et revera sat facile agnoscitur indoles ista artificiosa qua opus Dei in *sex* dies distribuitur : si enim numeras opera distincta a Deo perfecta, non sex, sed *octo* (3) reperies ; ea tamen ad sex reducuntur, ita ut tum tertiæ tum sextæ diei duo opera diversa tribuantur.

c/ Tandem *ordinem* variorum operum et consequenter ipsam distributionem et *durationem per sex dies*, ad solum *modum* litterarium pertinere, egregie confirmatur

---

(1) Cfr. Ill. Waffelaert, *o. c.*, p. 467 s.

(2) Cfr. Hurter, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, tract. VI, *De Deo Creatore*, n. 198.

(3) Imo *novem*, computando ipsam quoque creationem materiæ quæ operi sex dierum præmittitur. Cfr. de Frankenthal, *Le premier chapitre de la Genèse* in *Le Muséon*, 1886, pp. 518 s.; Lesêtre, *La Création*, in *Revue pratique d'apologétique*, t. I (1905-06), p. 400 ss.

si vere, ut multi tenent et revera valde probabile videtur (1), duplex refertur narratio creationis, prior I-II, 4, altera II, 5-24, ubi *ordo* creationis diversus est : eo ipso enim quod idem auctor nonnullarum saltem creaturarum productionem refert duplici ordine diverso, satis aperte manifestavit suam intentionem non esse ordinem istum ut objectivum et chronologicum referre.

Ad tertium quod spectat, pauca tantum manent dicenda, et solutio jam fuit supra prælibata. Inter varios modos quibus Gen. I, 1-2 intelligitur (2), ut indubium habemus versu primo exhiberi primam creationem, quasi materiæ elementaris et informis, cujus in sequentibus describitur ordinatio et ornatus.

Si ita, nova exsurgit ratio incertitudinis nostræ circa antiquitatem mundi. Dici enim poterit nos ad minus nescire quantum spatium temporis intercesserit inter istam creationem (v. 1) et ordinationem (vv. 3 ss.), seu quanto tempore iste status chaoticus perduraverit (3).

Imo iterum putamus mentem auctoris sacri ab ista quæstione successionis et durationis chronologicæ plane fuisse alienam. Optimo enim jure dici potest ad *modum* narrandi; ad *formam litterariam* ista spectare. Sicut enim auctor repræsentavit nobis Deum, quasi operarium sex diebus successivis allaborantem ordinationi et ornatui totius universi, sic etiam repræsentavit nobis Deum, ad modum operarii, antequam ordinationem et ornatum istum incipiat, præ manibus habentem materias quibus postea labore incumbet. Ingens autem est illud discrimen ab operario, Deum non supponere materiam sibi præexistentem, sed ipsum omnia, « cœlum et terram », i. e. rerum omnium universitatem de nihilo creasse.

Sit ergo **conclusio**. Quum ex una parte nihil determi-

---

(1) Cfr. quæ de hac re scripsimus apud *Collat. Brug.*, t. XVIII (1913), pp. 716 s., et auctores citatos in *nota* (2). — Impugnatur a Brucker, in *Dict. Apol. de la Foi cath.* (D'Alès), v° *Genèse*, c. 286 s.

(2) Cfr. Ill. Waffelaert, *o. c.*, *Collat. Brug.*, t. VIII, pp. 462 ss.

(3) Cfr. Bacuez-Vigouroux, *o. c.*, n. 278.

nati ex sacris litteris desumi possit circa antiquitatem generis humani (**ad I**), et ex altera parte auctori sacro nulla certa attribui possit intentio chronologica circa tempus quo duraverit vel omnium rerum ordinatio (**ad II**) vel prima creatio ipsa (**ad III**), manet nos circa momentum quo hæc prima creatio locum habuit ex divinis litteris nihil doceri, proindeque momentum quod indicatur Gen. I, 1: *In principio*, potest cogitari: ante 6000 annos, ast æque bene: ante centena millia annorum; unum non potest significare: *ab æterno* (1).

A. VANDER HEEREN.

II

De connexione objectiva inter doctrinam catholicam de morali necessitate Revelationis et assertum quorumdam de indigentia psychologica fidei.

Q. *An ex catholica doctrina de morali necessitate Revelationis inferri potest dari in homine indigentiam psychologicam fidei?*

R. Distinguo: si per indigentiam psychologicam nihil aliud intelligis quam *moralem impotentiam* quatenus hæc fundamentaliter inest facultatibus *psychologicis*, nempe cognoscitivis et appetitivis, *affirmative;*

Si vero per indigentiam psychologicam intelligis indigentiam quæ formaliter facultatibus psycholigicis *qua talibus* inhæret, vel quæ potest *conscientia psychologica* percipi, *negative.*

Quoad primum, non est difficultas: nam, uti infrà explicabimus, necessitas moralis Revelationis correspondet impotentiæ morali qua laborant nunc homines ad congruam sibi acquirendam de Deo deque divinis rebus cognitionem; hæc porro impotentia moralis sub-

(1) Cfr. DEPPE, *Eine neuere Erklärung des Sechstagewerks*, in *Pastor Bonus*, a. 1899, p. 302.

jectatur in facultatibus psychologicis: inde potest vocari impotentia moralis psychologica, quia, ex parte hominis, origo illius impotentiæ est psychologica (1).

Sed secundum responsionis punctum exigit ut per partes exponatur.

I. **Prænotandum.** 1. Doctrina catholica de *necessitate morali Revelationis* continetur in definitione Concilii Vaticani his verbis: « Huic divinæ revelationi tribuendum quidem est ut ea quæ in rebus divinis humanæ rationi per se impervia non sunt, in præsenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint » (2). Revelatio igitur divina est medium quod de facto hominibus datum est ut possint modo debito habere cognitionem de rebus divinis, de iis nempe quæ tamen non sunt supra captum humani intellectus; licet homines physice capaces sint acquirendi naturalem cognitionem de rebus divinis, tamen homines communiter sumpti in præsenti generis humani conditione non acquirunt debitam de Deo cognitionem nisi per Revelationem, et consequenter per *fidem:* nam Revelatio in tantum est medium quo homines communiter sumpti cognitionem de rebus divinis habent, in quantum *credunt* id quod est a Deo revelatum.

2. Prædictæ necessitatis moralis *ratio* inquisita est a theologis et jam exposita fuerat a sancto Thoma (3), quem, hac in re, sequuntur theologi. Ratio autem prædictæ necessitatis est complexus obstaculorum quæ impediunt homines a studio et proinde ab acquirenda

---

(1) Idem dici potest de necessitate morali gratiæ ad observationem totius legis naturalis; cf. VAN DER MEERSCH, *De divina gratia,* Brugis, 1910, n. 75.

(2) DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion,* 1911, n. 1785. Quoad ulteriorem explicationem de mensura cognitionis congruæ ad quam moraliter necessaria est Revelatio et de conditione præsenti generis humani circa prædictam cognitionem, cf. VAN NOORT, *De vera religione,* Amstelodami, 1907, n. 23 ss.

(3) *Summa contra Gentiles,* L. I, c. 4; *Sum. theol.*, 2-2, Q. II, a. 4.

scientia de rebus divinis. Impediuntur scilicet homines a labore intellectuali: alii propter complexionis indispositionem, alii propter diversos motus passionum quibus anima fluctuat, alii propter necessitatem rei familiaris, alii propter pigritiam: quo fit ut si homines propriis conatibus relinquerentur, in præsenti statu generis humani, ad summum *pauci* tantum, per modum exceptionis, et *post longum tempus*, pervenirent ad convenientem religionis cognitionem. Maxima proinde hominum pars vel in ignorantia, vel in errore vel in dubitatione remaneret circa res quas cognoscere debent singuli homines ut valeant attingere perfectionem et servare ordinem in societatibus humanis.

II. Exposita notione de morali Revelationis necessitate, qualis in doctrina catholica continetur, dicimus:

1/ illa moralis necessitas *non potest transferri in ordinem psychologicum* et considerari ac si realiter esset quædam naturalis hominis indigentia. Etenim moralis necessitas, de qua agimus, correspondet *morali* impotentiæ hominum: hæc porro moralis impotentia consistit in complexu impedimentorum laboris intellectualis et illa impedimenta sunt alia interna hominibus, alia externa (1). Sed hæc moralis impotentia non concipi potest ac si hominis facultates cognoscitivæ, *qua tales,* indigerent Revelatione et fide correspondente ut possent congruam acquirere cognitionem naturalem de rebus divinis (2): homines enim sunt physice et proinde, in hoc sensu, psychologice capaces acquirendi, per debitum intellectus laborem, congruam cognitionem *naturalem* de rebus divinis: de existentia Dei, de Ejus

---

(1) Notemus a sancto Thoma argumentum quo demonstrat moralem necessitatem revelationis non desumi ex conscientia psychologica ac si ipse experiretur illa impedimenta ad acquirendam cognitionem naturalem de rebus divinis, sed argumentum est inductio ex cognito modo quo de facto operantur cómmuniter homines.

(2) Necessitatem moralem Revelationis cogitare ut indigentiam psychologicam Revelationis est sophisma, quod, ni fallor, est *ignoratio elenchi*.

attributis, de præceptis legis naturalis (1); quapropter homines, etiam in præsenti generis humani conditione, non physice indigent fide divina, ac si fides divina esset nunc medium ita proportionatum naturalibus facultatibus cognoscitivis ut sine illa hæ facultates non valerent agere et proportionatam sibi acquirere cognitionem naturalem de Deo et de rebus divinis (2).

2/ Ex morali necessitate Revelationis non potest inferri homines communiter sumptos *experiri* vel *conscientia psychologica* percipere necessitatem fidei aut desiderium serium et efficax *fidei divinæ*. Homines quidem naturaliter scire desiderant, sed cognitionem per naturale facultatum exercitium acquirere appetunt. Quodsi magnam experiuntur difficultatem in acquirenda cognitione, plerique cessant inquisitionem et jam non solliciti sunt de cognitione acquirenda. Hoc verificatur, ut experientia constat, de cognitione circa Deum (3). — Præterea homines singillatim sumpti non possunt, ex propria difficultate cognoscendi res divinas, conscientia psychologica percipere quod extra se existit quædam divina Revelatio vel aliud medium quo possent facilius cognoscere Deum: objectum conscientiæ, in casu, est ipsa difficultas cognitionis acquirendæ. — Quoad ratiocinium, requiruntur multa alia elementa, et homines moraliter omnes, etiamsi per inductionem quamdam cognoscerent lamentabilem conditionem, in qua, quoad divinorum cognitionem, versantur homines infideles, nondum essent capaces concludendi per ratiocinium quod necessarium est ut Deus instituerit aliquod me-

---

(1) Cf. Van der Meersch, *o. c.*, n. 34-35

(2) Semper loquimur de cognitione naturali quoad *objectum*, quia quando agitur de *morali* necessitate Revelationis, sermo est de veritatibus revelatis, quæ naturali hominum intellectui imperviæ non sunt.

(3) Multo magis solliciti sunt homines de bonis temporalibus acquirendis: hoc etiam est elementum quo explicatur moralis impotentia qua laborant homines ad sufficientem adipiscendam cognitionem de rebus divinis.

dium quo prædictæ miseriæ subvenerit: nam ratiocinium illud prærequirit satis altam cognitionem de Deo, de Ejus perfectionibus et nominatim providentia: quam notitiam docti forsitan pauci sibi acquirerent, sed non omnes communiter homines possent hoc cito, absque errore et dubitatione cognoscere. Tandem quum nequeant homines ex sua cognita miseria inferre existentiam Revelationis, nec etiam valent concipere desiderium serium *credendi* Deo.

J. Van der Meersch.

III-IV

De rerum amissarum inventione.

Q. *Breviter expone principia quæ materiam regunt* inventionis rerum amissarum.

R. Res *amissæ* dicuntur: « quas involuntarie quis amittit seu deperdit, quæque adeo merito præsumuntur adhuc habere dominum » (1). Hæc definitio, quæ tamen rebus jamdudum deperditis stricte applicanda non est, ut dicemus, apte distinguit rem amissam in genere tum a thesauro, qui est res de industria abscondita cujus nemo se dominum probare valet (2); tum a rebus proprie nullius, v. g. conchis quæ inveniuntur in littore maris; tum a rebus proprie derelictis, quæ nempe a suo proprietario voluntarie abjiciuntur et relinquuntur primo occupanti; tum a spoliis seu rebus captis in bello, quæ nec vere amissæ fuerunt nec voluntarie abjectæ, sed tamen in bello justo ob auctoritatem principis bellum indicentis licite accipiuntur (3).

Jamvero, patet ex una parte proprietatem rei amissæ,

---

(1) Cf. Ill^mum Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 193.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, VII, p. 51; ubi dato exemplo differentia exponitur inter thesaurum et rem inventam.

(3) Cf. Ill^mum Waffelaert, l. c., n. 199.

eo ipso quod res involuntarie fuerit deperdita, a domino non posse *statim* abjudicari: jus enim proprietatis seu facultas moralis utendi et fruendi non requirit materialem præsentiam rei apud proprietarium suum; sed etiam absente re remanet de se vinculum illud morale rem inter et dominum, quamdiu proprietario moralis possibilitas usus perdurat, seu ut aiunt aliqua saltem potestas physica fruendi. Ex alia tamen parte, cum ob lapsum præsertim temporis quandoque contingat ut moraliter impossibile fiat dominum inveniendi, adeo ut, deficiente physica potestate utendi, jus proprietarii chimericum evadat, quæstio tunc ponitur de juribus inventoris. Insuper in tempore intermedio obligationes et jura tum inventoris tum domini definienda sunt; et tandem applicandæ veniunt, in variis regionibus, leges civiles quæ de his punctis plura decernunt.

a/ Itaque primo: qui rem amissam invenit, nunquam *ex justitia* eam de terra levare tenetur, deficiente nimirum omni contractu aut quasi-contractu necnon facto injusto proprio unde hujusmodi obligatio positiva oriri posset (1). Verum *virtus caritatis* eum ad rem accipiendam adstringit, quoties inventor prævidet illam secus domino perituram, ipsamque sine proportionato incommodo accipere potest. Similiter ex caritate teneri quis potest (ut testis qui rem amissam ab alio arripi videt) ad dominum monendum de re sua perdita, loco et inventore.

Ubi vero inventor rem amissam apprehenderit, jam *ex justitia*, et quidem sub gravi in materia gravi, ad curam ejus gerendam tenetur: nam ob ipsum factum acceptionis intervenit verus quasi-contractus *gestionis rerum* ex justitia obligans. Nimirum quasi-contractus in proprio sensu oritur ubi ponitur ab una parte liberum

---

(1) Excipitur ut patet casus illius qui *ex officio munevis sui* ad hoc obligaretur; tunc enim interveniret præceptum positivum justitiæ ratione ipsius contractus officii sui.

quoddam et licitum factum (v. g. acceptio rei inventæ, quæ ut sit licita includit et manifestat implicitum consensum accipientis ad habendam curam rei), et ubi consensus alterius partis, qui reapse non existit, legitime adesse fingitur a lege positiva (Cod. Civ. a. 1371-1381) cum effectu quidem juridico seu strictæ justitiæ, id postulante ipsa rei natura bonoque communi necnon communi hominum sensu. Ex quo fluunt plures tum inventoris tum ipsius domini obligationes strictæ. Inventor enim ex justitia tenetur, tanquam negotiorum gestor, ad rem acceptam utiliter *pro domino* gerendam: seu ad habendam curam ipsius, pari modo ac de propriis rebus curat (1); et insuper ad eam non occultandam et ad dominum inquirendum saltem æquivalenter, suam nempe inventionem publicando. Cæterum, cum præceptum negativum justitiæ omnibus prohibeat ne dominum a recuperanda re sua impediant, jam inde eædem inventoris obligationes strictæ deducuntur quin recurramus ad quasi-contractum: dominum enim impedit inventor qui, postquam rem acceperit, eam negligenter perire aut deteriorari sinit, vel eam domi occultat, vel imo dominum non inquirit, siquidem rei notitiam non pandere nihil aliud in casu est quam rem de facto occultare (2).

Modus autem inquirendi determinatus, v. g. per

---

(1) Prima ejus obligatio est proinde ut rem intactam servet, nisi tamen sit res consumptibilis quæ natura sua mox adhiberi postulat; quo casu inventor pretium ejus domino servare tenetur.

(2) Nequit ideo respui hypothesis quasi-contractus quia caritas tantum inventorem ad rem accipiendam obligabat. Pari enim modo potest medicus quis ex caritate teneri ad curam pauperis ægrotantis gratis suscipiendam; re autem suscepta, ipso facto oritur implicitus contractus, medicum ex justitia obligans ad pauperem bene curandum.

Unde inventor, qui *culpabiliter* inquisitionem omittendo in causa fuit cur dominus rem suam recuperare non potuerit, necnon inventor qui rem de industria abscondit, nunquam rem aut illius pretium poterit retinere, etsi dominus post 30 annos adhuc non compareret; sed restitutio pauperibus saltem esset facienda. — MARRES, *De Justitia*, 1, n. 238. Cf. Cod. Pœn., a. 508.

diaria publica aut depositionem inter manus publicorum officialium, si a lege positiva non imponatur, nec ex lege naturæ obligatorius est; modo pro momento rei et circumstantiis aliqua media adhibeantur quæ bona fide idonea reputantur.

Comparente autem sive sponte sive ex inquisitione domino, qui utique rem suam esse demonstret (1), inventor ipsam restituere debet. Dominus autem ex justitia tenetur illi expensas solvere, si quæ in conservatione rei et inquisitione factæ fuerint; insuper ex fidelitate saltem (2) præmium quod ipse forsan inventori promisit.

b/ Verum, fieri potest ut, non obstante inquisitione debita, dominus non compareat, tempusque longum jam effluxerit: quo in casu, ad determinandum cuinam rei inventæ proprietas cedat, consulendum est tum jus naturæ, tum jus positivum variarum regionum. Igitur *de solo jure naturæ:*

Res servari debet manetque priori domino quamdiu secundum communiter contingentia spes rationabilis adhuc remanet seu moralis possibilitas ipsum detegendi. Sed hac spe dimissa, non jam potest res « manere in patrimonio illius qui omni spe dejicitur illam recuperandi. Nequit enim concipi dominium proprietatis, ubi nulla est nec in spe quidem facultas utendi vel disponendi » (3). Itaque res illa non jam merito præsumitur adhuc habere dominum, nec jam stricte verificat notionem rei amissæ; sed contra merito jam præsumitur

---

(1) In dubio utrum quis rei dominus sit, non tenetur inventor ad restitutionem nisi post sententiam judicis.

(2) Dicitur *saltem* ex fidelitate quia contractus promissionis non obligat ex justitia nisi talis fuerit intentio promittentis, vel nisi agatur de onerosa promissione. Onerosam vero heic agi promissionem probabile quidem est, certum autem non videtur. Sed quidquid sit: « potest inventor exigere præmium promissum, et si de re certa et definita agatur, etiam illud deducere simul cum expensis a se factis, si fieri potest ». Illmum Waffelaert, *l. c.*, n. 195.

(3) Cf. Vermeersch, *Quæstiones de Justitia*, n. 167.

nullum habere dominum seu æquiparatur *rebus derelictis*, et proinde fit res inventoris per occupationem (1). Unde, cum ipse inventor jam dominus fiat rei, potest illam, quantum ad jus naturale, sibi absolute retinere, vel absumere vel alienare sive gratuito sive aliter.

Non ergo severiori sententiæ (2) adstipulamur, inventorem obliganti ad rem pauperibus erogandam, propter præsumptam nimirum domini voluntatem: nam dato non concesso hanc esse ejus intentionem, cum desinat ipse esse proprietarius, non est attendenda illius voluntas. Nec imo, si elapso toto hoc tempore prior dominus inopinato compareat, quidquam ex jure naturæ ipsi reddere oportet.

Spatium autem temporis quod ad hoc requiritur moraliter pensandum est, attentis circumstantiis omnibus; nec semper idem esse debebit. In genere, pluribus arridet auctoribus id quod de hac re animadvertit Ballerini: « normam aliquam suppeditari a quibusdam codicibus civilibus, qui decernunt generatim ut, quoties adhibita sit præscripta diligentia ad quærendum rei dominum, hoc post biennium non apparente, res inventori cedat. Etsi enim lex ista alicubi non vigeat, cum tamen valere ut prudentiæ dictamen possit, merito quis inferret, biennio post diligentias idoneas adhibitas elapso, posse inventorem de re tanquam sua ita disponere, ut sive eam absumpserit, sive possidendo ut suam præscripserit, ad nihil, etiam comparente dein forte domino, teneatur » (3).

---

(1) Nec res, ad normam art. 539 et 713 Cod. Civ., dicenda esset adjudicari fisco; nam hi articuli intelligendi sunt, vivente domino, de solis bonis *immobilibus* ab ipso derelictis. — Cf. *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 111.

(2) Cf. S. Alphonsum, lib. IV, n. 603; Carrière, *De Justitia et Jure*, I, n. 353 etc.

(3) Ad Gury, n. 579 Equidem non diffitemur post biennium aut triennium adhuc possibile manere quod dominus compareat; at « regulæ humanarum actionum non sunt desumendæ ab eo quod fortuito, quod raro, quod præter consuetudinem possibile sit evenire, sed ex commu-

Quandoque tamen spatium temporis multo minus sufficiet ut res quasi derelicta jure merito censeatur: ut si parvi omnino sit valoris; quo etiam casu parva sufficiet cura in patefacienda inventione, vel imo nonnunquam res simpliciter retineri poterit nisi sponte occurrat dominus. Item de nummis ordinariis ceterisque rebus minutis quas dominus pro suis non amplius agnoscere potest, concedit S. Alphonsus (1) eas fieri inventoris, postquam moralis pro rei pretio diligentia ad dominum detegendum adhibita fuerit (2).

c/ Verumtamen, si de his minimis non curat prætor seu *legislator civilis*, de aliis tamen rebus amissis plura decernit; imo proprietatem illarum ipse determinat vi alti dominii quo pollet, casu quo non compareat dominus. De quibus legibus principium generale est: ipsis in conscientia et ante sententiam judicis standum esse ex ipsa virtute justitiæ, cum sint determinativæ proprietatis; nisi tamen demonstrentur certo injustæ.

Jamvero apud nos, præter paucas dispositiones speciales tribuentes fisco vel Montibus pietatis, post tempus determinatum, certas res in posta amissas, vel in viis ferreis, vel ad Montes pietatis post inventionem delatas (3): habetur dispositio generalis a. 2279 et 2280 Cod. Civ. Quibus articulis, ad nostram materiam quod attinet, statuitur *tertium* (aut ulteriorem) detentorem rei

---

niter contingentibus ... Ipse autem dominus contentus esse debet nec nisi irrationabiliter invitus esse potest, quominus re ex cursu rerum ordinario dijudicata, si post diligentias adhibitas dominus non compareat, res pro derelicta habeatur.. ». BALLERINI-PALMIERI, *Opus Morale*, III, n. 157-158. — Apud nos, triennium ex lege requiritur; sed ipsi inventori Codex Civilis non favet, ut dicemus.

(1) L. IV, n. 603; apud MARRES, *l. c.*, n. 242.

(2) Advertas tamen nummos etc. haud raro in praxi recognosci posse ex qualitate, quantitate, tempore ac loco amissionis, ex involucro quo claudebantur etc. Deinde notandum est, casu quo inventor ante tempus dimissæ spei rem *bona fide* alienaverit aut consumpserit, ipsum ex solo jure naturæ ad restitutionem non teneri nisi in quantum inde ditior factus fuerit.

(3) Cf. Leges 30 Maii 1879; 28 Februarii 1860; 30 Aprilis 1848.

amissæ, seu illum qui ab ipso inventore eam *bona fide* acceperit aut emerit, post 3 annos inde a die amissionis absolute liberari; antea autem rem restituere debere domino comparenti, qui ipsi pretium forsan pro emptione solutum compensare non tenetur, nisi detentor rem in nundinis aut in foro publico emerit, vel etiam in auctione publica aut apud mercatorem rerum similium (1). De ipso autem inventore nihil speciale disponi videtur; unde concludunt jurisperiti communiter et ut probabilius illi non proficere triennalem expectationem, sed tantum præscriptionem 30 annorum: adeo ut per 30 annos habeat prior proprietarius actionem contra ipsum. Quod temporis spatium absque dubio longius æquo est; sed tamen, donec lex immutetur, non potest ipsa in hoc demonstrari certo injusta.

Verum hoc casu, salvo meliori judicio, probabile nobis videtur inventorem qui debitas fecit investigationes, posse post 3 annos, salva justitia, expectare sententiam judicis antequam reddat rem ejusve pretium: tum quia ipsa lex non adeo clara apparet (2) nec in ejus interpretatione omnino concordant jurisperiti; tum quia eadem interpretatio communis illos etiam inventores per 30 a. ad restitutionem adstringit qui bona fide post 3 annos rem gratuito dederunt vel sibi consumpserunt

(1) Recursus tunc ex lege conceditur adversus inventorem, sive domino sive detentori in restitutionem pretii.

(2) Non enim adeo certum est generale principium a. 2279 C. C. « en fait de meubles possession vaut titre » nullo casu posse ipsi inventori (heic inventori bonæ fidei post 3 annos) applicari; dum simul verba immediate sequentia: « Néanmoins celui qui a perdu ou auquel il a été volé une chose peut la revendiquer pendant 3 ans, à compter du jour de la perte ou du vol, contre celui dans les mains duquel il la trouve; sauf à celui-ci son recours contre celui duquel il la tient » primo aspectu comprehendere possunt tam inventorem quam tertium detentorem, et proinde utrumque post 3 annos liberare.

Utique sententia multo communior jurisperitorum tenet a. 2269 de ipso inventore rei amissæ nihil omnino dicere. Non tamen unanimis est illa sententia. Deinde addi posset: Si silet lex de ipso inventore, nonne rem juri naturæ relinquit, saltem ante sententiam judicis?

quin facti sint ditiores; tum etiam quia non desunt tribunalia, saltem in Gallia ubi iidem vigent articuli, quæ post 3 annos jam ipsum inventorem bonæ fidei absolute liberant (1).

Coronidis instar, notetur monitum Illustrissimi Waffelaert: « in quæstione de rebus inventis, thesauris, similibusque materiis, confessarius pœnitentem in bona fide relinquat, ubi spes fructus non est in monitione; frequens autem est bona fides in similibus rebus » (2).

Q. *Resolve casum: Titius ambulando invenit titulum loteriæ, pretio 1 f., perditum a publico venditore harum sortium. Illum autem servat, rem tamen inter amicos et notos publicando; et ecce post mensem, nemine interim reclamante, lucratur 50000 f. Quæritur an ipsi Titio lucrum hoc cedat in conscientia, an vero venditori sortium, an potius societati quæ loteriam instituerat.*

R. Quum in præsenti casu. quem ab auctore Lehmkuhl (3) ad verbum fere retulimus, duo sint consideranda: tum quæstio de inventione rei amissæ, tum quæstio de quodam contractu implicito emptionis-venditionis heic forsan interveniente; separatim duplex illud punctum considerabimus, ea simul notando in quibus a claro auctore dissentiendum nobis videtur.

Ad primum. Quod ad ipsam *inventionem* attinet, indubium est Titium proprietatem tituli et proinde lucri inde emergentis, ratione ipsius inventionis suæ nondum acquisivisse. Equidem obligationes inventoris bona fide hucusque implevit; nec in defectu legis positivæ, ad determinatum modum inquisitionis tenebatur, v. g. ad sortem inter manus publicorum officialium (agents de

(1) Cf. PLANIOL, *Traité élémentaire de droit Civil*, I, n. 2586. Pro Belgio, nullus hujusmodi casus abhinc 20 annis refertur in: *Répertoire Décennal de la Jurisprudence Belge*.

(2) ILLmum WAFFELAERT, l. c., n. 198.

(3) Cf. LEHMKUHL, *Casus Conscientiæ*, 4a editio, 1913, t. I, casu 181.

police) deponendam ; illa enim quam fecit inter amicos et notos publicatio, pro momento rei hucusque sufficiebat. Nec ipse, si rem spectamus ut in praxi contingit, publicum venditorem (v. g. un facteur des postes) amisisse sortem putaverit ; sed potius, ut pronum est, privatum quemdam hominem illam prius emptam perdidisse.

Verum, ut ex præcedenti responso satis colligitur, spatium temporis unius mensis minime sufficit ut titulus ille jure merito qua res derelicta habeatur. Non sufficit jure naturæ : sors enim unde tantum potest accedere lucrum, nequit dici res infimi valoris quæ ante proximam loteriam ut a domino abjecta considerari possit ; nec talis est quæ a proprietario suo nequeat recognosci. Insuper obstat jus positivum, per 30 annos in Belgio actionem concedens priori domino ; quæ lex infra primum saltem triennium inventorem ex justitia adstringit, ante omnem judicis sententiam, ad rem proprietario comparenti restituendam.

Facta ergo loteria, lucrum non est Titii ; sed priori domino manet quamdiu spes rationabilis perdurat ipsum detegendi. Imo, aucto momento rei, jam majores inquisitiones publicationesque faciendæ sunt.

Porro, ad quæstionem quisnam sit prior ille dominus, respondetur illum generatim fore ipsum publicum venditorem, quippe qui, regula generali, pretium amissi tituli societati loteriæ solvere debuit. Apposite Lehmkuhl : « venditor sortium singulas sortes antea quidem non facit suas, sed solum nomine fisci (aut societatis) eas curat vendendas, et quas vendere non possit, eas non soluturus est ipse, sed redditurus fisco ; verum sortem illam, quæ omnino ex possessione venditoris disparuit et cujus pretium *debuit* solvere, ipsa solutione sane conditionate suam facere in animo habuit potius quam et sortem et omnem spem lucri abjicere, atque re ipsa suam fecit ». Et idem valet si pretium forsan nondum solverit, modo sit societati debitum et simul venditor

animum solvendi vere habuerit. Quodsi vero pretium nec debebat solvere nec solvit, aut si solvere debens non fecit nec habuerit animum solvendi, manet titulus et proinde lucrum ejus societati loteriæ.

Et hæc quidem cum solutione a cl. Lehmkuhl proposita reapse concordant; sed incipit discrimen ubi ad secundum venitur punctum: utrum nempe Titius *emptor* accepti tituli dici non possit, et qua emptor dominus ejus necnon lucri inde provenientis.

Ad secundum. Nimirum, cum venditor voluntatem habuerit potius vendendi omnes sortes quam servandi, concludit cl. auctor Titium, modo intentionem habuerit emendi inventam et solvendi pretium, perfecisse implicitum contractum emptionis-venditionis; unde statim factus est dominus tituli, et proinde nunc dominus evadit lucri. Solummodo pretium 1 f. etiamnunc venditori solvendum habet.

Verum, advertamus inprimis hypothesim hanc practice vix verificari; cum enim in casu Titius sponte cogitaverit non de publico venditore, sed de privato homine qui titulum suum amiserit, ipsum sane vendere non cupiens, sequitur inventorem emendi intentionem de facto non habuisse.

Sed insuper data hypothesi, seu casu quo Titius titulum arripiendo sincere cogitaverit: si venditor amiserit, emo ego; nec tunc quidem validus apparet contractus emptionis. Quæstio scilicet reducitur ad contractum bilateralem inter absentes initum; seu ad momentum quo talis contractus perficiatur. Jamvero ubi auctores exemplum hujusmodi proponunt, v. g. de emptione-venditione per epistolas, in 4 abeunt sententias, dicentes perfici contractum vel momento quo responsum ab acceptante conscribitur, vel ab ipso postæ traditur, vel ab altero contrahente recipitur, vel tandem ab illo legitur. Prima autem sententia a cl. Lehmkuhl eligitur, sicque casui nostro applicanda venit: venditor, publice circumferendo titulos, omnibus

occurrentibus externe manifestavit suam propositionem venditionis seu pollicitationem; Titius vero animo emendi arripiens sortem, ipsa sua arreptione acceptationem suam seu consensum suum externe (1) significavit; quod sufficit ut jam perfectus evadat contractus, etsi venditor de Titio nihil sciverit.

At hæc sententia non videtur *intrinsece* probabilis (2). Agitur enim de contractu bilaterali in quo utraque pars est offerens simul et acceptans; sicut v. g. in venditione per epistolas Petrus offert equum et Joannes rescribens et acceptans offert pretium. Jamvero *qua offerens*, utraque pars jus quoddam proprium cedere intendit modo bene determinato, ponendo scilicet illud in eo præcise statu in quo ab altera parte possit acquiri qua oblatum ab offerente (3). Atqui absque communicatione voluntatis ab altera parte recepta, nequit jus quod ceditur in tali statu poni; quia si nescit vendens ementem consentire in contractum et proinde offerre suum pretium, nequit illud pretium acquirere qua oblatum ab emente. Unde sicut notitia pollicitationis ad Joannem, ita et notitia acceptationis ad Petrum perveniat oportet ut fiat illa cessio juris quæ intenditur in contractu bilaterali; secus non fit illa cessio nec inde valet contractus. Aliis verbis: sicut in quovis contractu, etiam unilaterali, omnes requirunt intimationem pollicitantis alteri parti manifestam, sic in contractu bilaterali requiritur reci-

---

(1) Quod ex utraque parte *externum* oporteat esse signum pollicitationis et acceptationis omnes conveniunt; sed signum illud de jure naturæ consistere potest tum verbis aut scriptis, tum etiam facto aliquo externo aut imo nonnunquam silentio manifestativo.

(2) Utique si venditor, perseverante adhuc voluntate vendendi, tempestive cognovisset hanc Titii arreptionem titulo emptionis, contractus tunc perfectus fuisset; sed hoc est extra hypothesim. Nunc vero post loteriam, accedente circumstantia lucri substantialiter mutante valorem tituli, sane venditor non jam habet intentionem vendendi. Nisi ob ignorantiam sui lucri forsan perseveret in sua intentione; sed tunc ignorantia substantialis obstaret validitati contractus subsequentis.

(3) Cf. VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia*, n. 317.

proca intimatio et manifestatio, quia datur revera reciproca pollicitatio seu oblatio.

In casu vero Titii, cum ex cirumstantiis appareat venditorem de intentione emptionis nihil admodum cognovisse, sequitur non dari contractum.

Non quidem negamus fieri posse ut talis sit contrahentium intentio qua vendens aut emens velit hypothetice jam obligari ante alterum: sic potest Petrus sic esse dispositus ut, si Joannes emat, velit jam obligari a primo momento quo ille v. g. scripserit epistolam suæ acceptationis, dum ipse Joannes ut diximus non erit obligatus nisi momento quo Petrus responsum legerit; et similiter de Joanne fieri potest. Verum, hoc non est præsumendum nisi ex circumstantiis appareat; sed potius neuter præsumendus est ante alterum obligari velle. Lehmkuhl tamen præsumit talem hypotheticam intentionem apud vendentem esse per se probabilem; sed heic sensus communis nobis obstare videtur. Et magis adhuc de emptore omnes dicent ipsum epistolam suam jam conscriptam per se lacerare posse, quin frangat contractum.

Quæ cum ita sint, sententiam cl. auctoris ut *extrinsece* tantum probabilem habemus (1); et rursus concludimus Titium qua emptorem haberi non posse.

Si tamen inventor, sententia benigniore nixus, lucrum retinere vellet, certe venditori fas esset judicem appellare; cujus sententiam in favorem fore appellantis indubium apparet (2); unde rursum Titius ad restitutionem ex justitia obligaretur.

E. Hosten.

---

(1) Lege Lehmkuhl, *Theologia Moralis*, I, n. 1061; et ejusdem sententiæ Carrière, *De Contractibus*, n. 34; cum auctoribus quos affert.

(2) Lex quidem civilis non determinat modum signi externi nisi pro contractu solemni. Disputatur vero inter jurisperitos de momento quo perficiatur contractus inter absentes; sed qui tenent ipsum per acceptationem externam perfici antequam notitiam hujus recipiat prior pollicitans, talem intelligunt acceptationem quæ jam secundum ipsos non valeat retractari; v. g. quando responsum epistolare jam fuerit postæ

V

De Fine ultimo.

Q. *Impossibile est beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato.* S. th. I-II, q. II, a. 8.

R. Absoluta consideratione de naturali hominis tendentia in omni actu humano ad beatitudinem in genere, quæ consideratio fundamentalis est in scientia quæ activitatem humanam dirigendam atque regulandam suscipit (1), jam oritur quæstio an sit aliquod objectum, et quodnam illud sit quod illi tendentiæ satisfacit illamque sistit, reddendo hominem plene beatum. Varias huic problemati solutiones dederunt varii philosophi, diversas quoque responsiones in vita sua practica quotidie faciunt individui, ex quo præcise discrimine distinguuntur plurima systemata moralia et diversificantur hominum viæ. Nos, negative prius seu per viam exclusionis procedentes, respondemus cum S. Thoma, l. c.: « Impossibile est beatitudinem hominis esse in aliquo bono creato. »

Probatur. Nomine beatitudinis nunc intelligimus bonum perfectum quod totaliter complet et satiat appetitum rationalem et ordinatum, ita ut ultra illud nihil restet appetendum.

Jam autem, objectum voluntatis, appetitus humani, est bonum universale, sicut objectum intellectus humani est universale verum.

---

traditum, et inde factum fuerit proprietas ejus ad quem mittitur. Quæ cum ita sint, et accedente insuper circumstantia amissionis tituli, indubium apparet sententiam judicis in casu fore venditori favorabilem. — Cf. AUBRY et RAU, *Cours de Droit Civil français*, IV, par. 343.

(1) Nonne hic fuit error fundamentalis Kant in hac materia quod neglexerit istam naturalem hominis tendentiam ipsamque notionem boni, physici aut metaphysici, excluserit a conceptione finis ultimi, proponendo tamquam « ideale » seu tamquam finem supremum nudam obligationem: la morale du devoir? Cfr. PÈGUES, t. VI, p. 53.

Ergo solum bonum universale potest complere et quietare appetitum hominis.

Atqui hoc bonum universale in nulla creatura invenitur, quum omnis creatura sit bonum aliquod participatum, adeoque particulare seu particulam tantum habens de bono.

Ergo nulla creatura potest quietare voluntatem hominis seu constituere ejus beatitudinem.

Explicatur. In septem prioribus articulis hujus quæstionis percurrit S. Thomas omnia bona quæ homines appetere possunt, bona nimirum externa seu bona fortunæ, quæ sunt divitiæ, honor, fama et potestas, bona deinde interna, sive corporis, sive animæ, eaque singula imparia ostendit quæ bonum perfectum hominis constituant. Omnia tandem uno conspectu complectens rationem fundamentalem reddit imparitatis eorum complendi appetitum hominis. Ratio hæc est in ambitu aliquo sensu infinito voluntatis nostræ, quatenus est appetitus non boni particularis, sicut est appetitus brutorum in quibus est sola sensitiva cognitio alicujus boni particularis ut convenientis sibi (1), sed boni universalis, quod probatur tum experientia seu a posteriori, tum ratione a priori. *Experimur* enim appetitum nostrum rationalem nec necessitari nec satiari ullo bono limitato. *Ratio* vero *a priori* est in « illimitatione intellectus in cognitione boni quod proponatur appetendum voluntati: quantum enim extenditur intellectiva cognitio, tantum coextenditur rationalis appetitus (2). »

Audiamus jam doctrinam Ipsius Veritatis, Christi, ubi ascendens in montem, id est, elevatus supra omnes cupiditates humanas, prædicationem regni Dei exordi-

---

(1) Cfr. S. th., l. c., art. 6.

(2) Cfr. E. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, 1ª ed., p. 356. Ita Billuart, *Dissertatio II. De beatitudine:* « Sicut objectum adæquatum intellectus non est hoc vel illud verum sed omne omnino verum, ita objectum adæquatum voluntatis non est hoc vel illud bonum, sed omne omnino bonum. »

tur per suas beatitudines, beatos eos vocando qui privantur omnibus illis bonis creatis in quibus homines felicitatem suam constituere solent. Mt. V, 3-9.

A. LEGRAND.

VI

Votiva SS. Sacramenti in Oratione XL Horarum et Adoratione Perpetua.

Notre fin surnaturelle ou la perfection chrétienne consiste dans notre union avec Dieu par l'esprit, par la volonté et par toutes nos facultés pour autant qu'elles sont sous l'empire de la volonté. Cette union est réalisée par l'exercice des vertus théologales, principalement de la charité affective et effective. Les vertus morales ont un double rôle, celui de nous disposer à l'union de charité, en écartant les obstacles qui s'y opposent en nous, et celui d'en faciliter l'achèvement pratique en assouplissant sous l'empire de la charité toutes nos puissances d'agir. Cette union comporte plusieurs degrés qu'on ramène ordinairement aux trois étapes bien connues, vie purgative, vie illuminative, vie unitive. C'est à exposer la nature de cette union à Dieu et la pratique de la triple voie que le P. D. a consacré ses deux volumes. Avant de nous permettre certaines critiques, disons tout de suite que sa doctrine est solide et que son ouvrage rendra de précieux services à tous ceux qui le consulteront, par exemple, pour leurs conférences ou instructions sur la vie chrétienne et parfaite. Ce livre, c'est l'auteur qui nous en avertit dans son avant-propos, n'a pas été écrit « dans le calme d'une heureuse solitude, c'est l'œuvre d'un missionnaire » p. 10. C'est bien cela. L'auteur a dû dans sa vie de missionnaire traiter tous les détails de la vie intérieure et il l'a fait dans des conférences bien étudiées, se complétant l'une l'autre. Puis il les a toutes groupées d'après le plan indiqué ci-dessus. C'est là du moins l'idée que nous nous sommes formée sur la composition de l'ouvrage en le lisant : il manque un plan nettement conçu d'avance, clairement tracé dès l'abord et exécuté point par point avec une rigoureuse logique. Parfois aussi on voudrait plus de précision dans telle définition ou une explication ultérieure (1), des citations plus exactes ou plus complètes, une disposition matérielle des parties mieux soignée. Mais encore une fois ces critiques dépasseraient notre intention si elles discréditaient aux yeux du lecteur cet ouvrage dont nous reconnaissons une fois encore la réelle valeur.

P. Humilis, O. F. M. *Wezen en doel der Derde-Orde van den H. Franciscus*. Leuven, Wouters-Ickx, 1913. F. 0,35.

De Derde-Orde is geen gewone Broederschap noch Congregatie maar eene ware Orde : ziedaar haar wezen. Hare leden tot de christelijke volmaaktheid op te leiden : ziedaar haar doel. Mocht Schrijver van dit werkje door het uitbreiden en bewijzen dezer twee grondgedachten er iets toe bijdragen om in ons volk de Derde-Orde te doen herbloeien en

(1) Signalons le chapitre sur la nature de la vocation, sur les dons du S. Esprit, leur rôle, leur nature, sur la contemplation : pourquoi donner à la contemplation passive le titre de surnaturelle, comme si la contemplation active ne l'était pas elle aussi. Enfin l'union même à Dieu, en quoi consiste-t-elle, comment faut-il exactement la concevoir ? L'auteur aurait dû le dire plus clairement.

de vruchten voortbrengen die talrijke Pauzen en vooral Leo XIII en Pius X er van verwachten! Mochten daarom al onze priesters die tertiaris zijn, en zij zijn talrijk, doch vooral zij die bestuurders zijn van Derde-Ordevereenigingen dit boekje lezen en de leering ervan aan onze geloovigen inprenten!

Th. Pègues, O. P. *Commentaire français littéral de la Somme théologique de Saint Thomas d'Aquin.* T. VII. Les passions et les habitus. Paris, Téqui, 1912. F. 8.

Le tome précédent nous avait introduit dans la morale fondamentale du Docteur Angélique et retracé sa doctrine sur la béatitude et les actes humains, I^a-$II^{æ}$ questions 1 à 21 inclusivement (1). Maintenant nous étudions le rôle des passions (questions 22 à 48) et des habitus (questions 49 à 54) dans notre activité humaine, objet immédiat de la morale. A lire ces deux traités on ne sait ce qu'il faut admirer davantage en Saint Thomas, ou le théologien ou le philosophe: moralistes et psychologues retourneront toujours avec grand avantage à cet enseignement et, disons-le une fois de plus, ce sera un grand mérite pour le P. Pègues d'avoir consacré sa vie et son talent à mettre cette doctrine à la portée de tous.

Le traité des passions comprend une partie générale, exposant le sujet des passions, leur différence, la comparaison des passions entre elles et leur bonté ou leur malice, (qu. 22 à 25), et une partie spéciale où sont étudiées successivement les onze passions, d'abord celles du concupiscible, (qu. 26 à 39), puis celles de l'irascible, (qu. 40 à 48).

Après les éléments constitutifs de l'acte humain, élément rationnel et élément passionnel, il faut en étudier les principes intrinsèques et extrinsèques. Les premiers sont la faculté et l' « habitus ». La Première partie de la Somme, qu. 77 à 83, a traité des puissances ou facultés de l'homme; il ne reste donc plus ici qu'à étudier les « habitus », en général d'abord, (qu. 49 à 54), leur essence, leur sujet, leur production, augmentation ou corruption, leur distinction. Les diverses espèces d'habitus, vertus, vices etc. seront traitées dans le volume suivant. Nous nous bornons à cet aperçu sommaire: il suffit à recommander l'ouvrage.

P. Leonardus Lehu, O. P. *Philosophia moralis et socialis.* T. I. Ethica generalis. Paris, Gabalda, 1914. F. 6.

Doctus auctor, professor in universitate angelica, in Urbe, prælectiones suas philosophiæ moralis in gratiam studentium suorum hocce volumine edit. Neque immerito sperat se etiam theologis utilem operam expendisse scientifice exponendo, duce Sancto Thoma, principia fundamentalia scientiæ moralis in quæ omnes solutiones moralis practicæ resolvi debent. Triplici constat tractatu, quamvis hæc divisio clarius indicari potuisset, scilicet de fine, de actibus in finem et de regulis in finem.

Bonum opus et laude dignum. Attamen pro scopo auctoris est schema

---

(1) Voir *Collat. Brug.*, t. XVIII, 1913, p. 332 ss.

tantum seu compendium quod magistri doctrinam completivam expetit: unde lector plura quandoque scripta vellet v. g. in tractatu de fine quomodo pertineant bona temporalia ad beatitudinem, quomodo solvenda objectio egoismi quæ fit contra nostram conceptionem finis; in tractatu de actibus in finem, qui magis polemice exponitur defendendo sententiam Thomistarum adversus. Frins præprimis et Cathrein, ampliora voluissemus circa voluntarium in se et voluntarium in causa; tandem et præcipue non possumus non dolere minorem quam par est expositionem et crisim systematum moralium in tractatu de conscientia. Auctor tenet probabiliorismum. Utiliter hoc opus consulet qui voluerit veris fundamentis moralitatis et obligationis studere, cui quæstioni auctor specialem adhibuit curam.

Aug. Gemelli. O. M. *De Scrupulis.* Psychopathologiæ specimen in usum confessariorum. (Quæstiones theologiæ medico-pastoralis, vol. II). Versio ex italico latina Caes. Badii. Florentiæ, Libreria editrice Fiorentina, 1913. F. 5.

Auctor, qui, ut notum est, medicinæ ac chirurgiæ doctor est, hunc scopum sibi præstituit, in unum colligere multiplices psychiatricæ et psychologicæ scientiæ de scrupulis conclusiones in commodum sacerdotum qui animarum ministerio funguntur, intendens simul medicorum attentionem provocare ad psychologicum respectum hujus morbi psychici. Opus depromptum est partim ex auctoris experientia, præsertim ex scriptis tum theologorum tum modernorum cultorum psychiatriæ. Hæc est series expositorum per duodecim capita: de ideis obsidentibus, ad quas pertinent scrupuli, de evolutione idearum obsidentium, de agitationibus coactis seu impulsionibus quæ has ideas comitantur, de stigmatibus status scrupulosi, de theoriis pathogeneticis scrupuli, de interpretatione symptomatum scrupulosi, de causis et conditionibus scrupulorum, de diagnosi et prognosi, de methodo adhibenda in directione spirituali scrupulosorum, de cura morali scrupulosorum diminuendo difficultatem quoad vitam eorum et extollendo tensionem psychicam eorum. Haud dubium quin medicus sive animæ sive corporis, hoc opere edoctus, majori miseratione erga hos ægrotos commoveatur, efficaciori quoque remedio ad eos curandos instruatur (1).

P. Cajetanus. Pass. *Practische handleiding bij het opstellen van preeken.* « Woord vooraf » van Kan. Caeymax. De Wit, Brussel, 1913. Klein in-8°, 291 bl. F. 2,50. Te verkrijgen bij den schrijver te Wesembeek Ophem.

Onze priesters zullen met genoegen en met vrucht dit boek lezen waarin

(1) Hæc versio latina plurimis scatet mendis, locisque obscurioribus. Æstimamus multos confessarios libentius et utilius lecturos opus ipsius Eymieu, I, *Le gouvernement de soi-même*, II; *L'obsession et le scrupule.*

éenvoudig en zonder groot vertoon van eruditie (1), de gezonde regels der kanselwelsprekendheid voorgehouden worden. Eerst de algemeene voorschriften nopens ieder onderdeel eener preek. Daarna de bijzondere regels voor elke soort van predikatie, homelie, catechismuspreek, liturgiepreek, lijdenspreek, overweging of meditatie, feestpreek, lofrede op eenen Heilige, lijkrede. In het eerste deel verdienen, onsdunkens, de hoofdstukken XI, XII en XIII bijzondere aandacht.

A. LEGRAND.

Card. Mercier. *Œuvres Pastorales. Actes, Allocutions, Lettres.* 3 Vol. in-8, VIII-432, 482, 555 pp. Bruxelles, A. Dewit; Paris, Gabalda, 1911, 1912, 1913. Prix: F. 3,50 le vol.

« La plupart des documents rangés en ces volûmes d'*Œuvres pastorales* ont déjà été l'objet d'une publication. Quelques-uns ont trouvé place dans des recueils d'actes épiscopaux. Mais beaucoup étaient épars et, à raison même soit de leur très relative importance, soit de leur caractère circonstanciel, n'ont pu retenir assez l'attention de leurs lecteurs pour obtenir d'eux un rang d'ordre dans une bibliothèque. A ceux qui ont néanmoins le désir de les posséder sous la main, nous avons voulu épargner, en la prenant pour eux, la peine de les colliger ». (T. I, p. VII).

C'est une pensée d'apostolat qui a déterminé le Cardinal Mercier à publier ces trois volumes d'*Œuvres pastorales:* « Puisse cette modeste collection apporter à mes chers diocésains la preuve que, par tous les moyens à ma portée, je cherche à leur *faire un peu de bien* »! Heureusement, grâce à cette publication, ce n'est plus seulement à ses « chers diocésains », que l'Archevêque de Malines fera du bien. Nous surtout, prêtres de la province ecclésiastique belge, nous pourrons désormais « faire appel » à la science et à la charité de notre vénéré Primat, nous n'avons qu'à ouvrir ces volumes pour éclairer notre esprit et enflammer notre cœur. Car ici toutes les pages nous révèlent le Pasteur « uniquement soucieux de doctrine et d'action », de vérité et de charité, *lucerna lucens et ardens.*

La vérité, la pensée philosophique et chrétienne, apparaît ici dans toute sa plénitude, dans toute son intensité lumineuse. L'habitude déjà longue de la réflexion et de l'oraison ont donné à la pensée de l'éminent Auteur une clarté, une vigueur, une pénétration, une assurance qu'on rencontre rarement ailleurs. Comme on l'a dit excellemment, « le philosophe, chez le Cardinal Mercier, est à fleur de peau. Il suffit de parcourir ces discours de circonstances, ces homélies pastorales, pour le voir surgir à chaque instant. D'un anniversaire banal, d'une inauguration, d'une circonstance fortuite il s'élève, d'un coup d'aile rapide, aux plus hautes sphères de la pensée. Un simple toast, une allocution prononcée dans un cercle ouvrier

(1) Sommigen zullen zelfs een of ander al te eenvoudig vinden b. v. bl. 20 over de taal, bl. 230, nota; bl. 35 die woordafleiding van *oratorium* is niet zeker. Waarom ook de fransche woorden niet vervangen door vlaamsche? — De boekaanduiding zou men ook vollediger wenschen.

sont pour lui l'occasion de développer, avec cette simplicité, qui est le fruit d'une longue réflexion, des considérations philosophiques qui frappent par leur opportunité. Mais quand il a affaire à un public d'intellectuels, à des avocats, comme lors de sa Conférence au Jeune Barreau d'Anvers. à l'élite des catholiques belges, comme au Congrès de Malines, alors le philosophe s'en donne à cœur joie et, au risque d'essouffler ses auditeurs, il les entraîne à l'assaut de la forteresse Kantienne (1) ».

A maintes reprises, le Cardinal dénonce le Kantisme et son aboutissant naturel le Modernisme. Pour la masse des auditeurs ou des lecteurs, ces déclarations occasionnelles, mais répétées, font une impression plus salutaire que certains écrits philosophiques, où l'on s'attache à réfuter ex professo la philosophie de Kant, mais où la réfutation n'apparaît pas toujours adéquate et complète.

L'amour et l'action! La pensée, à cause de sa clarté, de sa fermeté et de son intensité lumineuse, a déjà par elle-même une grande « force d'ébranlement »; mais quand elle sort d'une âme d'apôtre, quand elle jaillit d'un cœur tout brûlant d'amour de Dieu et des âmes; lorsque la pensée, concrétisée dans des images frappantes et associée aux sentiments les plus chauds, s'adresse non pas seulement à l'intelligence, mais à l'âme toute entière, frappant surtout l'imagination et faisant vibrer la sensibilité, on peut dire que sa force d'ébranlement est irrésistible.

Et c'est bien ce que l'auditeur à dû éprouver, c'est aussi ce que le lecteur éprouve. Aux fêtes de Meaux, le Cardinal Mercier disait: « Qui. mieux que Bossuet, nous a appris par ses enseignements et plus encore par son exemple, que toute connaissance est stérile qui ne conduit pas à l'action et n'aboutit pas à la charité » (t. III, p. 271)? Hélas! on fréquente bien peu Bossuet, « ce grand et beau génie », « le plus éloquent des mortels », comme disait Brunetière. Heureusement nous pouvons apprendre et prendre la même leçon dans les *Œuvres Pastorales* du Cardinal Mercier, sans parler de ses deux autres volumes, dont rien n'a été reproduit ici: *A mes Séminaristes,* et *Retraite Pastorale.* Je continue la citation à propos de Bossuet: « Tout se tient dans cette grande âme. Le génie y est au service de la foi, la foi se dilate dans l'amour, l'amour se passionne pour le sacrifice et s'enflamme d'apostolat » (p. 274). *Apostolus Jesu Christi!*

A chacun de nos confrères, et par eux aux laïques instruits, nous disons: *Tolle, lege... Hæc meditare, in his esto!* Et daigne la Providence du Bon Dieu permettre que dans notre bibliothèque nous ajoutions de nombreux volumes aux trois premiers!

H. MAHIEU.

Salsmans. *Rechterlijke Plichtenleer — Deontologia juridica.* Brussel, 1914, XIV-373 blz. Prijs: 4,50 fr.

Een heerlijk gedacht voorwaar, door den verdienstelijken hoofdopsteller van *Ons Geloof* opgevat, onder de benaming *Onze Studiën,* eene reeks van

(1) *Le Bien public,* 19-20 Novembre 1913.

breed opgezette werken over godsdienstkennis, en over wetenschappelijke met den godsdienst in verband staande vraagstukken, in het licht te geven. Aan E. P. Salsmans valt de eer te beurt die veelbelovende reeks te openen, en — laten wij het maar voorop verklaren — hij heeft zich voortreffelijk uit den slag getrokken, hij biedt ons een pachtwerk aan.

In sierlijke heldere taal weet de geleerde Schrijver den lezer, en namenlijk den rechtskundige kortbondig en klaar in te lichten omtrent de grondstellingen die zijn geweten richten moeten in het toepassen der burgerlijke wetsbepalingen. Met recht mag het boek doorgaan voor hetgeen E. P. bedoelde, een deugdelijk handboek voor leeken inzonderheid voor rechters, advokaten, notarissen, studenten in de rechten; ook nog, over en boven Schrijvers eigenlijke bedoeling, voor priesters en biechtvaders die zoo menigmaal moeten raad geven nopens verschillende hier besprokene twistpunten.

Na algemeene bespiegelingen over toerekenbaarheid, wet en plicht, recht en rechtveerdigheid, wordt opvolgenlijk uiteengezet tot hoe ver voor het geweten verplichtende zijn de Staatswetten over het aanwerven van goederen, over kontrakten in 't algemeen en in 't bijzonder beschouwd, over erfrecht en testamenten. Het laatste hoofdstuk handelt over de beroepsplichten in 't algemeen, namelijk over het beroepsgeheim; verders over de bijzondere beroepsplichten der rechters, gezworenen voor 't eedgerecht, prokureurs en advokaten, zoowel in strafzaken als in burgerlijke zaken.

't Zou ons te ver leiden moesten wij in al de bijzonderheden treden. 't Weze voldoende op eenige punten te wijzen, die ons in 't doorlezen van het boek meest getroffen hebben. Zoo willen wij de aandacht van den lezer trekken op het belangrijk twistpunt betrekkelijk de normale verhouding tusschen Kerk en Staat (n. 86 en vlgde), waar het liberalism natuurlijk te sprake komt, alsook de toepassing der grondwet in zake onderwijs en godsdienstvrijheid, waar aangetoond wordt hoe vrijheidkwetsend onze Belgische wetgeving is in zake huwelijk.

Niet min belangwekkend is de verhandeling over de echtscheiding en de beroepsplichten der rechters en advokaten dienaangaande. Met genoegen hebben wij bestatigd hoe beslissend Schrijver stand neemt in dit zoo bestreden vraagstuk. Hij stelt zich namelijk vlakweg aan de zijde der Godgeleerden die aanleeren dat het uitspreken der burgerlijke echtscheiding tusschen voor God geldig getrouwde echtgenooten niet slecht is *op zich zelf* (n. 351); hij aanveerdt dat het den echtelingen soms geoorloofd is de burgerlijke echtscheiding te vragen (n. 352-353), en dat de advokaten die dan rechterlijk mogen vorderen en pleiten (n. 354-355); ook nog dat de handelwijze kan gewettigd worden van den ambtenaar van den burgerlijken stand, wanneer de burgerlijk gescheiden echtelingen een ander burgerlijk huwelijk willen aangaan, en hij die overspelige verbintenis met zijne tegenwoordigheid bekrachtigt (n. 357). Bevestigend ook is zijn antwoord op de vraag nopens de macht van den Staat op het huwelijk van ongedoopten (n. 105): hetgeen bijzonder belang oplevert voor de huwelijken in onzen Kongo, zonder bijzijn van den Staatsbeamte gesloten, in de onderstelling dat het burgerlijk Wetboek daar genoegzaam afgekondigd is.

Niet nogtans dat wij alles in dit veelomvattend werk volledige bijtreding gunnen of onvoorwaardelijk goedkeuren; hier en daar hebben wij onnauwkeurigheden aangestipt. Zoo b. v. blijkt het overdreven te beweren (n. 107) dat de Staat *achtien eeuwen lang* het recht der Kerk erkend heeft in zake huwelijksregeling; zoo nog, waar gehandeld wordt over de onscheidbaarheid van den huwelijksband zou dienen opgemerkt dat *volstrekte* onontbintbaarheid enkel past op het kristelijk *geslachtelijk voltrokhen* huwelijk; ook zou het niet ongepast zijn duidelijker onderscheid te maken tusschen secretum commissum en beroepsgeheim; niet alle secretum commissum is beroepsgeheim. Vg. MGR WAFFELAERT, *De Justitia*, II, n. 181.

G. Arendt, S. J. *De Læsione justitiæ commutativæ in Missæ manualis stipendio alteri celebranti diminuto.* Prati, 1914, p. 152.

Id. *Relectio analytica super controversia de impotentia fœminæ ad generandum.* Romæ, Pustet, 1913, p. 43.

1. Opellæ, quas longa jam serie in lucem edidit eruditissimus Auctor, omnes et singulæ ad modum monographiæ elucubratæ sunt, determinatum quoddam controversiæ punctum spectantes. Laudabili nimirum conatu satagit ut, controversias accuratissimo examini successive subjiciendo easque ad ima usque viscera perscrutando, numerus descrescat quæstionum quæ, in re morali, insolutæ remanent admodum multæ, admissa, ex traditione accepta, sententiæ affirmantis et negantis probabilitate.

Priorem controversiam agressus Auctor, removere conatur dubium hucusque nondum solutum: utrum scil. injustitiam committat adeoque ad restitutionem teneatur sacerdos qui acceptam Missam manualem alteri sacerdoti tradit celebrandam, partem sibi retinendo stipendii a missæ oblatore erogati. Id autem vindicat et exergice propugnat. controversiam nempe hucusque in varium sensum agitatam inhæsitanter esse solvendam in sensum sententiæ injustitiam affirmantis, denegata benigniori opinioni omni probabilitate; et quidem tenet obligationem justitiæ sacerdoti qui missam transferat incumbentem, ut integrum stipendium tradat, deducendam esse ex ipsa natura contractus inter stipendii oblatorem et primum acceptantem initi, non autem ex statuto positivo Ecclesiæ (n. 35-39, coll. n. 7).

Hanc profecto solutionem non urget A. nisi uti thesim generalem, quatenus scil. in hanc partem interpretanda sit intentio stipendium offerentis, donec de contraria mente aliunde constiterit. Constito namque de alia intentione donatoris, partem stipendii erogandi intuitu personæ, primi scil. acceptantis, non est dubium hunc sacerdotem partem illam sibi posse retinere quando missam tradit alteri celebrandam; ast uti notat A., n. 4, si hæc exceptio admittatur, non admittitur nisi « ut exceptio, quæ toties quoties probari, non vero præsumi debet ». Qua salva exceptione, ultro fatemur Auctorem intentum suum attigisse, ac diremptam posse censeri controversiam. Parti tractatus principi, theticæ scil. et polemicæ, succedit altera pars, in qua fata exhibentur

controversiæ, inde a tempore Suarezii, primi vindicis sententiæ impugnatæ, usque ad hæc ultima tempora nostra.

Quod spectat scribendi formam, stylus exquisitior nimium laborem exigit ex parte lectoris quam ut currenti lectione intelligere queat. Magis etiam placeret concinnior rerum expositio, vitatis otiosis nonnunquam repititionibus.

*
* *

In *altera disquisitione,* triplici propositone absolvere nititur laudatus A. solemnem controversiam circa impotentiam mulieris ovariotomiam vel et uteri excisionem passæ.

In 1ª propositione, sententiam amplectitur, juxta quam ovariorum uterive deficientia, quantumvis perfecta, sterilem quidem reddit mulierem, non autem, si dicta deficientia præcisive spectetur, impotentem et ad matrimonium ineptam.

Ad quod probandum recurrit A. ad argumentum quod olim, apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 700 s., in ejusdem theseos confirmationem invocavimus, ex eo scil. deductum quod matrimonium sit contractus socialis, regimini principis societatis obnoxius, adeoque non admittat alia matrimonii impedimenta quam quæ nituntur in facto obvio et perceptibili.

Quod tamen argumentum non attingit ipsam rei medullam. In hoc potius reponitur ratio principalis et intrinseca, quod consortium conjugale, ad quod contractus matrimonialis terminatur, pro objecto habeat, uti advertit ipse A., n. 17, translationem mutui juris, non ad fœcundandum, sed ad copulam exercendam de se aptam generationi, talem scil. quæ ex parte actus sit generationi idonea: ad quod sufficit copula normaliter posita, cum penetratione vaginæ et veri seminis effusione. Jamvero mulier perfecte excisa, quantumvis ad fœcundationem inepta, capax est in ordine ad translationem præfati juris et proinde ad contractum matrimonialem.

Tertia propositio, quam pariter ultro et ultra admittimus, sic habet: « Copula viri cum uxore, quæ post connubium validè initum recisa fuit, non demonstratur jure naturæ prohibita.

Momentum tractationis est in 2ª propositione, ubi nititur A. mediam aperire viam inter Doctores impotentiam mulieri excisæ denegantes et alios illam agnoscentes. Docet nimirum, si recte intelligam, mulierem perfecte excisam, casu quo totalis utriusque ovarii uterive deficienta « evaserit per se cognoscibilis ante contractum matrimonialem », esse quidem ex parte personæ potentem ad matrimonium, sed consensum emittere substantialiter vitiatum.

Quod ultimum vindicando, ostendit utique A. matrimonium dictæ mulieris, si invalidetur, non irritari nisi ex defectu consensus; non vero probat id in quo cardo habetur, matrimonium scil. illud reipsa irritari ex defectu consensus.

Nec sane videmus quomodo subsistere valeret hæc demonstratio. Nonne sufficit ad contrahentiam consensum, quod feratur in essentiale objectum contractus, in ipsam scil., in casu, translationem mutui juris ad copulam de se aptam generatiioni: quam agnoscit ipse A. mulieri excisæ esse possibilem?

Cæterùm si, quemadmodum arguit A., n. 19, mulier defectus sui conscia non potest validum emittere consensum matrimonialem, quia non valet ejus concensus terminari in finem operis, i. e. in generationem, utpote quam novit impossibilem, non jam apparet quomodo a vitio substantiali salvetur consensus mulieris, post transactum menopauseos tempus nuptias ineuntis. Hoc minus adhuc percipere valemus, quomodo matrimonium *ex defectu consensus* irritetur penes mulierem, cujus ovariorum *defectus* est quidem facilè perceptibilis, *de facto tamen ab ipsa ignoratur*.

Censemus igitur cum cl. Boudinhon, *Canon. Contemp.*, 1913, p. 497, conatum Auctoris ad dirimendam præsentem controversiam, quantumvis laudandum, æquo, ac in priori opella, successu non coronari. Sic etiam *Bulletin de Littérature ecclésiastique*, 1914, p. 89 s.

Lehmkuhl. *Casus Conscientiæ ad usum confessariorum compositi et soluti*. Editio 4a. Friburgi-Br., Herder, 1913, 2 vol., 578 et 614 p.

In hoc opere, cujus duplex volumen correspondet partitioni in *Theologia Morali* usurpatæ, practice applicantur principia ibidem exposita et vindicata, variis propositis casibus sive historicis sive imaginariis. Et hoc præcise est meritum præsentis operis ejusque commendatio, quod casuisticæ huic tractationi præeat præclara et scientifica principiorum declaratio, in *Theologia Morali*, ab eodem egregio Auctore notissima cum laude conscripta, quodque uniuscujusque casus solutioni præmittatur principiorum medulla, remisso lectore ad locum proprium.

Porro in hac *quarta* editione, monet A. sese utriusque voluminis materiam ad trutinam revocasse, nonnullaque clarius proposuisse, in volumine autem altero non pauca esse mutata, attentis scil. novissimis inde ab editione 3ia vulgatis S. Sedis decretis, in specie quod spectat legislationem matrimonialem necnon disciplinam circa communionem puerorum et infirmorum. Ita, n. 1032, admittit, vi decreti S. C. de Sacr., 14 Maii 1909, practice permitti sacerdoti, matrimonio moribundi assistenti, favore articuli VII Decreti *Ne temere*, ut dispenset in clandestinitate, et ad matrimonii celebrationem properet absque præsentia testium (1). Item, proposito casu duorum sponsorum qui lege civili prohibentur a matrimonio celebrando civili, in praxim deducit sententiam quæ tenet locum esse privilegio articuli VIII (n. 1034 ss.). Quod attinet controversiam circa formam breviorem in Extrema Unctione adhibendam in casu urgentis necessitatis, placet solutio ab A. usurpata (n. 686), quæ sola

(1) Hanc solutionem vindicatam videsis apud *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 197, quo loco invocantur auctoritates pro et contra. Nec deinceps quievit controversia. Ad partes scil. Auctorum contradicentium, quos l. c. adduximus, accesserunt Vogt, *Das kirchliche Eherecht*, Cöln, 1910, p. 158 et Prümmer, apud *Theol. Pr. Quartalschr.*, 1912, p. 112 s.; solutioni vero Auctoris deinceps adhæserunt de Arquer, *Novissima disciplina sobra Esponsales y Matrim.*, 1910-1911, n 208; Ferreres[5], *Los Esponsales y el Matrimonio*, 1911, n. 599 et 617 ss.; Arribas, *Esposicion documentada y completa del Decreto Ne temere*, 1911, p. 102 s.; Leitner[2], *Lehrbuch des kath. Eherechts*, 1912, p. 484; Genicot-Salsmans, *Instit. Theol. Mor.*, 1912, II, n. 500; *Vie Diocésaine-Documenta*, 1913, p. 34.

conformis videtur decreto C. S. O., 25 Apr. 1906), quatenus scil., sic inuncto infirmo periclitante, non sit locus, si supervixerit, sub conditione iterandæ sacramenti administrationi, cum censeatur certo valida sacramenti collatio sub breviori formula (1). Contrà minus placet sententia Auctoris (n. 182), ubi admittit præceptum Communionis paschalis constituere causam a jejunio eucharistico excusantem. Cf. *Collat. Brug.*, t. III, p. 488 ss.

Desbrus. *Cas de conscience à l'usage des personnes du monde.* Paris, Téqui, 1913, p. 412.

Defectum quem feliciter vitari vidimus in opere doctissimi Lehmkuhl, non parum incurrit A., cujus opella hic inducitur: segregata scil. casuistica tractatione a nitida et scientifica principiorum expositione. Desideratur cæteroquin cohæsio inter varias quæstiones tractatas; quod ex eo provenit quod in unum congeruntur sparsi ac disparati articuli data occasione vulgati in ephemeride, quemadmodum præmonet A. Attonito etiam lectori, medios inter casus practicos, occurrunt disputationes ad minus extravagantes, qualis est controversia circa regimen pœnitentiale in prioribus sæculis.

De cætero passim applicat A., in suis solutionibus, doctrinam sanam et probatam; hinc inde tamen a communiori tramite recedit, ut v. gr. in casu proposito circa intentionem pro assistentia missæ requisitam, quam externam requiri ac sufficere docet, p. 288 ss., coll. p. 59 s. Quod spectat confessionem per telephonium (p. 296 s.) meritò tenet eam esse valde dubii valoris; ast dubius valor, vel et ejus invaliditas, probatur potius ex defectu præsentiæ necessariæ quam ex defectu identitatis vocis. Tandem in casu, p. 336 ss. soluto, speciem habet A. docentis Ecclesiam nunquam dissolvere matrimonium, sed meram ab ea nullitatis declarationem proferri posse.

A. De Smet.

---

(1) Non possumus non mirari adeo ægre in hoc puncto consensum auctorum obtineri, ac in diversas partes magis magisque abire citati decreti interpretes. Ita si plures Auctores docent non esse iterandam Extremam Unctionem, non desunt tamen qui administrationem sacramenti sub forma breviori uti dubiam habent, adeoque conditionatè repetendam. Prioribus favent, præter *Ephemerides liturgicæ*, *Schaepman*, apud *Collat. Brug.*, t, XII, p. 125 jam citatos, necnon hic laudatum Auctorem: Aertnys, *Ned. kath. Stemmen*, 1907, p. 257; Noldin[7], *De Sacramentis*, n. 452; *Collat. Gandav.*, III, p. 40 s.; Card. Gennari, *Il Monitore*, XIX, p. 231; De Jong, *Ned. kath. Stemmen*, 1912, p. 230 ss.; Gaudé, *Opera moralia S. Alph.*, III, p. 723, nota g; Sebastiani, *Summarium Theol. Mor.*, Augusti-Taurin., 1913, n. 508: Cornélisse, *Compendium Theol. Mor.*, III, n. 490; Göllner, apud *Th. Pr. Quartalschrift*, 1911, p. 821 ss., ubi affert sententiam Göpfert, *Moraltheologie*, III[6], n. 197; Müller-Schmüchenschlager, *Moraltheologie*, III[7] (*Supplem.*, p. 24); et Schüch-Polz, *Pastoraltheologie*[15], p. 693. Contrà alteri sententiæ adhærent, præter *Rev. eccl. de Metz*, *Acta S. Sedis* et *Rev. théol. fr.* (de quibus *Collat.*, l. c.): Génicot-Salsmans[7], *Instit. Theol. Mor.*, II, n. 417; Mannajoli, *Supplem. ad ed. 5[m] Summulæ Card. d'Annibale*, 1909, p. 117; Beyersbergen, *Studiën*, 1912, p. 564 ss.; Wouters, *N. R. th.*, 1913, p. 400 ss.; *Collat. Tornacen.*, t. XV, p. 234 s.; *Vie diocésaine-Documenta*, 1908, p. 22 s.; *Collat. Namurcen.*, 1906-1907, p. 310.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Aprilis.

—

I

Per summa capita ostende quid ex Sacra Scriptura doceamur circa *unitatem generis humani.*

II

An methodus *immanentiæ* prout exposita fuit (*Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 619) est apta qua incredulus, qui recte utitur ratione, *præparetur* ad fidem catholicam?

III

Titius, nomine patris peregrinans commercii causa, ut mercatoribus et tabernariis offerat merces patris sui, quadam vice offert Paulo tabernario optima textilia pro pretio adeo modico ut Paulus suspicetur aliquam agi injustitiam; sed mendaciter affirmat Titius patrem suum in Anglia hæc emisse textilia, felici quadam occasione, pro pretio ridiculo; et sic emit Paulus solvitque pretium, quod Titius cito dilapidat. Sed post 10 dies advenit ipse pater, acriter repetens merces Pauloque tribunal minans; quia, ut ait, derisorium mercis pretium satis superque clamabat dolum dilapidationemque filii. — Ad quid tenetur Paulus?

IV

Maria cum operario nupta parvumque incipiens commercium, propter varia infortunia ex improviso concurrentia non potuit debitum 500 f. quod contraxerat solvere; sicque e domo etiam expulsa pauperem per 35 annos vitam egit. Vidua nunc vetulaque effecta, rem domesticam adhuc pro posse regit, stipendiaque sat pinguia quæ nunc tandem lucrantur filii apud se in communi servat marsupio. Anxie autem sibi rogat Maria utrum de antiquo suo debito adhuc coram Deo teneatur, cum nunc primum solvere valeat. — Solve casum.

V

Data nótione legis universim sumptæ, explica distinctionem inter *legem physicam*, *legem artium* et *legem moralem.*

VI

Quid est et quandonam absolute prohibetur « benedictio nuptialis »?

Proostenbond en **Bond Voor onze Jonge Lieden**: vergadering te ROUSELAERE, *Donderdag, 19 Maart,* om *11 1/2* voormiddag.

*
* *

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques,* 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

Id. *Tractatus de Casibus reservatis necnon de sollicitatione et absolutione complicis,* in-8, XVI-222 p. Brugis, 1914. Pretium 2,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

De Brabandere-Van Coillie. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium.* Editio octava, curante A. DE MEESTER. T. I, pars prior. Brugis, Desclée et Soc., 1913, in-8, 425 p.

*
* *

Verschijnt omtrent den **15den Maart KERKZANGBOEKJE** ten behoeve van de schoolkinderen en van het christen volk. 2e vermeerderde uitgave, bevattende gezangen voor de Mis, het Lof en de Vespers, 70 bl.

Prijs (*netto,* verzendings- en inningskosten niet inbegrepen). 1 tot 10 ex., 0,25 fr. — 10 tot 25 ex., 0,20 fr. — 25 en meer 0,15 fr.

Te verkrijgen bij Z. E. H. DE MEESTER, leeraar Groot Seminarie, Brugge.

Het boekje wordt verkocht ten voordeele van de Missiën.

Opus periodicum COLLATIONES BRUGENSES menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo SEX francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

ANALECTA ASCETICA ET MYSTICA

Præter opusculum nunc primum editum Dionysii Carthusiani, in analectis nostris jam dedimus specimina variorum post ævum Patrum scriptorum asceticorum: primo quidem, ex illis quæ *Formula novitiorum* seu *De institutione novitiorum* inscribi solebant (supra tomo XI, ab initio); deinde vero, quæ sub titulo *Propositum*, seu *Conclusa et proposita* vel *Devotum exercitium*, in schola præsertim Fratrum vitæ communis usui erant (tomo XIV, p. 5); nunc jam tertio, illud genus attingimus quod plerumque nomine *Speculum religiosiorum*, vel simili, venit; cujus multiplicia specimina reperire est in editionibus operum S. Bernardi, utpote vel huic S. Patri attributa, vel ex ejusdem aliorumve doctrina utplurimum deprompta (vid. Migne, *Patrol. lat.*, tom. 184, pag. 1167 et sqq., item pag. 1327, et tom. 185, p. 1751); pariter in operibus Thomæ a Kempis, editis a Sommalio S. J. (nempe in edit. 3a, Antverpiæ, 1615, p. 802, *Vita boni monachi* et p. 809, cant. IV et V). Itaque hujus indolis scriptorum aliqua specimina, satis concinna atque brevia addemus ex manuscripto, quod ad sequaces Gerardi Magni pertinuisse ex contentis certo demonstratur.

Est manuscriptum membraneum, eleganter exaratum, sæc. XIV-XV, in quo continentur: Epistola B. Bernardi ad sacerdotem. Devota exhortatio ad S. Christi communionem (Scil. liber quartus Imitationis Christi). Epistola magistri Gerhardi Magni ad quemdam sacerdotem (jam edita a. 1831 in *Archief voor kerkelijke geschiedenis*, III, Kist en Royaards-Clarisse). Propositum cujusdam canonici (quod edidimus apud *Collat. Brugen.*, tom. XIV, initio). In fine autem habenter quæ nunc, forte inedita, exscribimus spectantia ad speculum vitæ religiosæ atque perfectæ.

Ad hoc studeat quisque bonus religiosus, ut habeat cordis puritatem, corporis munditiam; oculos stabiles et non sublimes, aures clausas fabulis sive rumoribus audiendis; et si audierit, non cito credat, nec aliis referat. Custodiam verborum habeat et parum loquatur, manus continentes et omnia membra, incessum stabilem et maturum, victum et sompnum sobrium, meditationes spirituales et assiduas, optimas lectiones et non otiosas collationes; ad majores subjectionem, ad seniores reverentiam, ad juniores dilectionem; amare subesse, cum quibus est prodesse; non severitate obrui, non levitate exinanire [1]; in vultu serenitatem, in corde ad omnes dilectionem, in opere habeat discretionem [2].

Cogitet assidue quid agat, quomodo tempus expendat, quomodo virtutes in eo crescant vel decrescant, quæ virtus, quod vitium in eo magis habundet. Consideret singulorum bonos mores et virtutes, et quæ in quolibet eorum magis regnet, illam in se trahat. Consideret unius humilitatem, alterius patientiam, istius caritatem, illius discretionem.

Nunquam se in capitulo defendat vel excuset aut proterve respondeat, licet inculpabilis sit. Timeat semper ne alios verbo vel exemplo scandalizet. Nullum peccatum suum vel parvum vel minimum dicat: non enim est leve pro quo Deus offenditur. Sæpius confiteatur.

---

[1] Potius *exinaniri,* ut habet textus citandus in seq. nota.

[2] Quæ præcedunt fere ad verbum conveniunt cum libro *de natura et dignitate amoris* Guillelmi abbatis S. Theoderici, inter opera S. Bernardi, Migne, tom. 184, pag. 385.

Nichil omnino proprietatis habeat. Cito obliviscatur injuriæ illatæ. Sit multum obediens, multum patiens, multum humilis, multum maturus, multum devotus. In oratione frequens. Curiositatem vestium penitus abiciat. Cogitet qualis ante conversionem fuerit, et qualis in conversione esse debeat. Quare et ad quid venerit ad religionem; qualis etiam cito in morte futurus sit, et quo iturus incertus.

Itaque vitam suam pertractando poterit vere religiosus esse. Et heu cur homo non semper attendit quare et ad quid venerit, quare et ad quid sæculum et omnia quæ sunt sæculi deseruerit. Venit enim homo ad religionem ut Deo deinceps vivat et sibi moriatur: vivat interius per indefessam cordis et spiritus ad cœlestia devotionem, vivat exterius per exteriorem sanctam operationem totius corporis, voluntarie et gratanter; moriatur etiam sibi interius per veram pacem cordis et contemptum omnium terrenorum, quæ eum quantulumcumque possunt ab incepto salutis itinere impedire, item moriatur exterius per omnimodam subjectionem aliis et abjectionem suiipsius, semper existens humilis in timore Dei.

***

Item debet religiosus quisque in oratorio esse devotus, in capitulo veridicus, in refectorio temperatus, in auditorio seu colloquio breviloquus, in dormitorio quietus, in cogitationibus castus, in omnibus operibus suis circumspectus et consideratus, passiones carnis et turbationes et incommoda utriusque hominis sciat se passurum propter regnum cœlorum et amorem Dei.

*
* *

In corde, sollicitudo, sapientia, lætitia. In ore, ad loquendum tarditas, præmeditatio, taciturnitas. In opere, diligentia, frequentatio, perseverantia. Simplicitas in conversatione, honestas in incessione.

Status et vita cujuslibet religiosi proficere volentis.

Amplectatur religiosus, primo cordis puritatem et contra cor purum nichil agat. Mala præterita defleat, futura præcaveat, præsentibus se opponat. Conscientiam frequenter mundam confitendo faciat. Otiositatem et occupationes exteriorum fugiat. Numquam levitatibus se immisceat, sed potius secum consistere discat; nunc legendo, nunc orando, nunc meditando Deum in hospitio cordis recipiat. Ad veram libertatem et pacem spiritus se frequenter exerceat. Interdum competenti hora, et si potest cotidie fieri, se discutiat utrum in Deo proficiat vel deficiat. Non omnia quæ aguntur, sed potius electa imitando inspiciat. Horas intentissime dicat. Maturus sit in moribus, rarus et humilis in sermone, assiduus in oratione, jocundus et benevolus in labore. Oculi stabiles et ad terram defixi. Auditus castus, nullis rumoribus sæculi sed bonis collationibus inclinatus. Silentium omnimodum vel verbum ordinatum habeat. Risus rarus et seriosus, manus continentes, gressus mites, omnesque actus corporis disciplinati. Hæc pertinent ad seipsum.

Deinde studeat se magis vilem reputare, omnibus reverentiam [reverentem] et servilem se exhi-

bere, tam prælatis quam subditis subjacere. Sine murmure obedire, increpationes amare, ab incusatis se humiliter excusare, bonos et malos æquanimiter tolerare. Nulli obesse sed omnibus velle prodesse. Amicos et inimicos diligere. Nulli detrahere sed seipsum potius dampnare et reprehendere. Cum omnibus salva veritate pacem habere. Privatis operibus semper communia præferre. In conventu se disciplinatum ostendere. In virtutibus cotidie velle proficere et in disciplina perseverare, ac proximis exempla bona demonstrare

Sit in homine religioso cordis puritas, morum maturitas, nulla otiositas, oculorum stabilitas, verborum oportunitas, gressuum humilitas, familiaritatum et occupationum paucitas, evagationum raritas, petitionum nulla importunitas, operum jocunditas, et in supradictis omnibus cum discretione assiduitas. BERNHARDUS [1].

Cogita in societate aliorum positus quia non poteris semper manere cum illis, et interim elige tibi socium illum qui, cum omnia subtracta fuerint, fidem servat dilectoribus suis nec recedit tempore angustiæ [2].

---

[1] Ita scribit copista. Non tamen putamus hæc alio titulo attribui posse S. Bernardo, quam supra diximus.

[2] Hoc additum mire consentit cum iis quæ habet Kempensis, in *Imitat. Christi*, l. II, c. 7.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Februarii propositas.

—

I

De antiquitate generis humani juxta S. Scripturam.

Q. *Paucis expone an et quare aliquid circa antiquitatem* generis humani *deduci possit ex iis quæ in primis capitibus libri Geneseos referuntur.*

R. **Status quæstionis.** Notum est Sacram Scripturam nullibi *directe* et *ex professo* assignare tempus quo genus humanum incœpit; attamen, decursu librorum historicorum Veteris Testamenti, plura occurrunt elementa chronologica dispersa; et quæritur utrum et quænam, ex horum omnium elementorum collatione, *deduci possit* chronologia Veteris Testamenti (1). Porro dicta elementa ad hæc capita generalia reduci possunt:

1. In cap. V Geneseos occurrit genealogia inde ab Adam usque ad Noe, et pro singulo nomine indicatur tum ætas in qua generavit filium, tum tempus vitæ per quod ulterius adhuc vixit. Ita e. g.: « Vixit Adam *130 a.*, et genuit Seth; et facti sunt dies Adam, postquam genuit Seth, *800 a.* » (2). Ulterius in c. VII, v. 6 notatur diluvium incœpisse a. 600 vitæ Noe. — Unde simul computando ætatem omnium istorum patriarcharum a momento creationis vel nativitatis usque ad

(1) Cfr. Bacuez-Vigouroux, *Manuel biblique*, t. I, n. 314 ss.; Prat, *Généalogie (Dict. de la Bible)*; Mangenot, *Chronologie*, (ibid.).

(2) Et additur in hac tabula c. V, computatio utriusque numeri in unum. Ita v. g.: « Et factum est omne tempus quod vixit Adam *930* (130 + 800) *a.*, et mortuus est ».

ætatem qua ipsi filium procreaverunt, eisque addendo 600 a. Noe, habes spatium temporis elapsum a creatione Adam usque ad diluvium.

2. In c. XI Geneseos, vv. 10 ss., occurrit genealogia inde a Sem, qui filium suum Arphaxad genuit 2 an. post diluvium, usque ad Abraham; et iterum iidem duo numeri indicantur. — Unde iterum ea eodem modo ut supra computando, habes spatium temporis inde a diluvio, usque ad nativitatem Abrahæ.

3. Tandem ex reliqua parte Geneseos, ex aliisque libris historicis Veteris Testamenti statuitur tempus inde ab Abraham usque ad nativitatem Christi.

Hisce tribus computatis simul, eisque addendo annos elapsos inde a Christo nato habes aliquam indicationem circa ætatem generis humani. — **Quæritur** ergo iterum quænam sit hæc chronologia et quisnam ipsius valor.

Solutio. Porro, restricta quæstione ad ea quæ in primis capitibus Geneseos (V, XI) referuntur, plures fuerunt ab auctoribus catholicis propositæ animadversiones, nunc exponendæ et breviter dijudicandæ.

I. Ipsi **numeri utriusque tabulæ** (cap. V et cap. XI) sunt **incerti.** Prostant enim in triplici recensione: a/ in textu hebraico, quem masoreticum vocant, et quocum concordant Vulgata nostra latina et versio syriaca Peschito; b/ in textu Samaritano Pentateuchi; c/ in textu versionis græcæ LXX. Imo numeri non sunt constantes in omnibus codicibus ejusdem textus. His autem discrepantiis secundariis relictis, sic fieri potest computatio generalis (1):

Ab Adam ad diluvium computantur:

a/ Juxta Vulg. et textum hebr. 1656 a.; b/ juxta textum sam. 1307 a.; c/ juxta LXX 2242 a.

A diluvio vero *ad nativitatem Abrahæ:*

a/ Juxta Vulg. et textum hebr. 290 a.; b/ juxta textum sam. 940 a.; c/ juxta LXX 1070 a.

(1) Cfr. EURINGER, *o. c.*

Jamvero multi reputant vix non impossibile esse cum certitudine determinare quinam fuerint numeri ex his primitivi; imo pro nonnullis ex istis numeris in variis hisce textibus occurrentibus, nullibi forte servati fuerint primitivi (1).

Exinde apparet quam varia, accedentibus quoque aliis elementis divergentibus in reliquis libris historicis V. T., potuerint proponi systemata chronologica. Quæ jam apud *Patres* et scriptores antiquos videre est, puta apud S. Hieronymum qui Christum natum dicebat anno a creatione Adami 3941 et apud Clementem Alexandrinum qui ad a. 6621 ascendit. Idem habes apud recentiores: A. des Vignoles ducentos computos diversos et ultra collegerat (2); quibus auctores *moderni* alios adhuc addiderunt (3). *Ecclesia* ipsa hac in re sibi non est constans: ita Ecclesia *latina*, dum in Vulgata proponit chronologiam textus hebraici, ideoque 4004 a. ante Christum, in Martyrologio computat a. 5119; in Ecclesia *græca* quoque diversimode computant Antiocheni, a. 5493, Alexandrini, a. 5501, Constantinopolitani, a. 5509 (4).

Ex hisce quæ **sub I** exposuimus, jam sequitur conclusio, quidquid dici possit de intentione chronologica hagiographi, *nobis* tamen ex S. Scriptura et in specie ex Gen. nullam prostare certam et determinatam chro-

---

(1) Has corruptiones textuales fuisse tum voluntarias tum involuntarias æstimant auctores, licet quod voluntarias attinet non semper conveniant in assignandis earum causis. — Similiter non conveniunt inter se auctores qui talibus vel talibus numeris ut primitivis calculum adjiciunt. EURINGER, *o. c.*, pro priori tabula, Sethitarum np., præfert numeros textus hebræi (cfr. pp. 15 s.), pro altera tabula, Semitarum np., præfert numeros textus Samaritani (cfr. pp. 18 ss.). HUMMELAUER contra, *Comment. in Genesim*, (Paris, 1895), pp. 200 ss., pro priori tabula præfert numeros Sam.

(2) *Chronologie de l'Histoire Sainte* (Berlin, 1738), t. I, p. 4 (cit. apud BACUEZ-VIGOUROUX, *o. c.*, n. 315).

(3) Cfr. VIGOUROUX, *Les Livres Saints et la critique*, 4ª ed., t. III, p. 457; MANGENOT, apud *Dict. de la Bible*, vº *Chronologie*, col. 220.

(4) Cfr. MAZZELLA, *De Deo creante* (Romæ, 1892), p. 406.

nologiam. — Simul tamen haberes ætatem generis humani esse relative satis recentem, quum assumptis computis etiam maximis, qui proponantur, ultra 5500 annos ante Christum non ascenderes (1).

II. Sed etiamsi haberemus restitutos numeros primitivos, adhuc, aiunt, non posset cum certitudine concludi ad antiquitatem generis humani (2), quum non constet de intentione auctoris inspirati nobis tradendi chronologiam primitivorum temporum (3). Quod hac potissimum ratione fulciunt et explicant:

Non probatur auctorem inspiratum intendisse **genealogias completas**, et bene possibile est ipsum *reliquisse plures terminos intermedios* (4). Quod et aliis locis S. Scripturæ factum esse constat, puta in genealogia Jesu apud Matt. I: hic enim ut totam genealogiam, modo artificiali, illudque ut putant ad memoriam juvandam, concludat tribus seriebus nominum quatuordecim, omittit inter Joram et Oziam tres reges, qui sunt: Ochozias, Joas et Amasias, et tamen ait: « Joram *genuit* Oziam » (5). Unde verbum *yalad* (genuit) sicut et voca-

---

(1) EURINGER, *o. c.*, computando numeros ubique maximos quales in S. Scriptura occurrant, ultra 5000 ascendi non posse concludit (p. 23).

(2) Negligimus varia dubia quæ a nonnullis fuerunt proposita; ita: quonam sensu *anni* assignati antiquis patriarchis sint intelligendi, an solares, an lunares, an ordinarii, an breviores. Putamus ex iis quæ in c. VI ss. Gen. narrantur de diluvio ejusque initio et duratione, cum plena certitudine demonstrari istos annos esse intelligendos 12 mensium, eorumque ad minus 354 dierum. Cfr. EURINGER, *l. c.*; HUMMELAUER, *Comment. in Genesim*. pp. 207 s., 347 ss. — Omittimus quoque quæstionem num inter nomina patriarcharum qualia duplici ista genealogia recensentur, occurrant quæ intelligenda sint non de individuis sed de *familiis* vel *populis*.

(3) Cfr. *Collat. Namurc.*, t. II, (1902-03), pp. 317 ss.

(4) Cfr. BACUEZ-VIGOUROUX, *Manuel biblique*, t. I, n. 316. — Immerito quidam inter quos HETZENAUER, voluerunt quædam membra excidisse librariorum seu copistarum culpa. Argumentum desumebant ex eo quod in Gen. XI, textus LXX habeat aliquem *Cainan* qui deest in t. hebraico. Cfr. EURINGER, *o. c.*, pp. 21 s.; HUMMELAUER, *o. c.*, p. 352.

(5) Alia plura exempla v. apud MANGENOT, *Dict. de la Bible*, art. cit., c. 724 s.

bulum *bén* (filius) usurpari potuerunt ad designandam generationem *mediatam*. Imo et hic putant adfuisse rationem juvandi memoriam, quum ex patriarchis tum ante — tum postdiluvianis singula vice 10 nomina recenseantur.

Hanc quidem interpretationem acriter impugnavit Hummelauer (1) eamque Corluy (2) habebat ut « deum ex machina expediendæ difficultatis causa effectum ». Ipsa tamen hodie vix non ab omnibus admissa est, fuitque vindicata ab objectionibus Hummelauer, a P. Brücker (3) aliisque.

Si vere fundata sit hæc hypothesis, jam apparet nihil ex parte Scripturæ sacræ obstare, quominus statuatur antiquitas generis humani altior adhuc quam quæ a maximis quibusque numeris supra, sub I, indicatis, derivari posset (4).

III. Quidam auctores, applicando decretum Commissionis Pontificiæ de re biblica (5), suscitant hypothesim, eamque argumentis fulciunt, genealogias quales occurrunt Gen. V et XI, esse sumendas per modum **citationum implicitarum**, quas auctor sacer inseruit quidem in librum suum, quin tamen eas omni modo

---

(1) *O. c.*, pp. 348 ss.

(2) *La Science catholique*, 1886, p. 65.

(3) *Etudes religieuses*, 1895 (t IV), p. 267. — Cfr. MANGENOT, *a. c.*, c. 724 s.

(4) Recenter, A. SCHULZ, *Geschichte und Erbauung im Alten Testament* (Brausberg, 1911), pp. 39 s. ipsam legitimitatem hujus conclusionis negavit, ast immerito. Sic enim arguit: Legimus nunc in Genesi (puta V, 6 ss.): Seth vixit 105 a. et genuit Enos. Ponamus nunc, sic ait Schulz, revera inter Seth et Enos omissum fuisse aliquem patriarcham X, qui fuisset genitus a Seth, ætatis *x*, et qui ipse tunc, ætatem *y* annorum adeptus, genuisset Enos, tunc simpliciter: x + y æquivaleret = 105 a. — Sed, ni fallimur, non ista est hypothesis Vigouroux, Guibert, aliorumque qui statuunt terminos deesse in tabulis Geneseos, sed hæc: Seth vixit annos 105, et hanc ætatem adeptus genuit filium X; hic autem X, ipse adeptus ætatem *x* annorum, genuit Enos. Et sic revera inter nativitatem Seth et nativitatem Enos intercesserint anni *105* + *x*. Unde revera in hypothesi Vigouroux augetur temporis spatium inter Seth et Enos.

(5) 13 Febr. 1905.

approbare et suas facere intenderit : quam hypothesim proponit ipse P. Brücker (1), et variis argumentis probare conatus est Euringer (2) : « Auctor sacer inserendo hæc documenta (sive ex traditione orali, sive ex traditione scripta desumpta) in suum librum, intenderit, non quidem docere chronologiam temporum primitivorum, sed ostendere connexionem Abrahæ cum Noe et cum Adam, et supplere spatia inter Adam et diluvium et inter diluvium et Abraham : hic uterque scopus attingitur, etiam si documenta istas series patriarcharum incomplete retulerint, et etiam si numeri in iis occurrentes probarentur incorrecti » (3).

In hac ultima quoque hypothesi (4), quam vere pro-

---

(1) *L'Eglise et la critique biblique (Ancien Testament)* (Paris, 1907), p. 71. « Ne serait-il pas permis de faire cette hypothèse (des citations implicites) à l'égard des tableaux généalogiques, qu'on trouve notamment dans la Genèse, au début du premier livre des Paralipomènes, et ailleurs ? L'historien, par là même qu'il nous livre ces documents sous leur forme spéciale, conventionnelle, hiératique en quelque sorte, et qu'il les met en dehors et, pour ainsi dire, en marge ou en appendice de ses récits, nous dit suffisamment, semble-t-il, que nous pouvons les considérer comme des pièces, qu'il reproduit surtout à raison de leur intérêt pour ses lecteurs juifs, sans avoir jugé nécessaire de les contrôler et sans leur attribuer d'autre autorité que celle de la tradition ou des régistres publics qui les auront fournis ». Cfr. *Dictionnaire Apologétique de la foi catholique*, v° *Genèse*, c. 288 s. ; — DURAND, *ibid.*, v° *Critique biblique*, c. 802 ; SCHANZ, *Das Alter des Menschengeschlechts*, 1896, p. 37 ; PESCH, *De Inspiratione Sacræ Scripturæ*, 1906, p. 547 ; CONDAMIN, apud *Revue pratique d'Apologétique*, t. VI, p. 549.

(2) *O. c.*, pp. 33 ss. — Imo non *implicitas*, sed *explicitas* citationes esse æstimat hic auctor, quum tum in c. V, v. 1 tum in c. XI, v. 1 tabulæ inducantur : Hic est liber, i. e. hoc est documentum, genealogiæ Adam, — et : Hæc est genealogia Sem.

(3) Eumdem scopum et momentum tribuit tabulæ c. V, MERCHELBACH, *Revue eccl. de Liége*, 1911 : « Le Chap. V de la Genèse n'offre vraisemblablement qu'un tableau ayant pour but d'enseigner l'unité de la famille humaine, et de faire comprendre aux Hébreux que l'humanité toute entière vient d'Adam... Dans l'état actuel de nos connaissances, on ne saurait définir le véritable sens de ce tableau généalogiqne, et il est probable qu'on ne le connaitra jamais... La chronologie de cette époque est visiblement artificielle et incomplète ».

(4) Apprime nota nullum in hac hypothesi *errorem* adscribi auctori sacro.

babilem putamus, iterum sequitur nullam *certam* posse ex libro Geneseos desumi chronologiam generis humani.

Sit ergo **conclusio**:

Quum ex una parte circa **numeros** quales in genealogiis libri Geneseos occurrunt, nulla habeatur certitudo (**ad I**), quum ex altera parte probabilis saltem appareat hypothesis dictas **genealogias** esse **incompletas** (**ad II**), imo quum probabile sit auctorem sacrum has genealogias **aliunde assumptas** in opus suum **inseruisse**, **quin** eas **sub respectu chronologico** sive ut accuratas sive ut completas **approbare intenderit** (**ad III**): sequitur revera ex dictis genealogiis non posse ullam desumi certam et determinatam notitiam circa antiquitatem generis humani (1). Hinc, quod jam **scientias naturales** spectat, quæ, ut notum est, ad ætatem notabiliter altiorem ascendunt quam quæ olim ex S. Scriptura desumi posse videbatur, concludere possumus cum Vigouroux: « On ne peut que répéter aux savants : Établissez sur de bonnes preuves l'antiquité de l'homme et des anciens peuples : la Bible n'y contredira pas » (2).

A. VANDER HEEREN.

II

De valore methodi immanentiæ ad factum Revelationis divinæ demonstrandum.

Q. *An methodus immanentiæ* (cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 619 ss.) *potest esse methodus scientifica demonstrandi factum Revelationis divinæ?*

R. *Negative*, nec ut talem habens valorem exhibetur

---

(1) Cfr. ILL. WAFFELAERT, *Meditationes theologicæ*, (*Collat. Brug.*, t. IX, p. 360).

(2) *Les Livres Saints et la critique rationaliste*, 3a ed., t. III, p. 547. — Disquisitionem circa conclusiones scientiarum hac de re vide apud GUIBERT, *Les Origines*, (6e éd., Paris, 1910), pp. 304-348; HAMARD, *Dict. de la Bible*, vo *Adam*.

à plerisque. Sed importat ut prædictæ negationis inquiramus rationes.

1. Agitur de Revelatione *publica,* nempe de veritatum manifestatione ab ipso Deo facta *immediate* (sive patriarchis, sive prophetis, sive populo judaïco ab ipso Christo, sive Apostolis), terminata a morte ultimi Apostoli et cujus complexus veritatum traditus est Ecclesiæ a Christo institutæ, ut ab ipsa custodiatur, prædicetur et explicetur. Sufficit ut consideremus Revelationem ab ipso Christo peractam, tamquam a legato Dei (1).

Hujus porro Revelationis cognitio importat duo, scilicet: a/ quod Christus veritates (religiosas) docuit, b/ quod testatus est simul ac probavit se loqui nomine ipsius Dei (vel semetipsum esse Deum). Jamvero hæc omnia, tum actiones docendi a Christo exercitæ, tum de semetipso testificatio, tum omnia quæ egit, sunt nobis penitus *extrinseca* et a multis sæculis *elapsa*. De his proinde nequit acquiri cognitio aut demonstratio per conscientiam psychologicam aut per tendentias quaslibet animæ.

Imo *desiderium* quod, accepta (quocumque modo) notione de Revelatione et de ejusdem possibilitate, exsurgere posset circa ejus existentiam, non est per se indicium de illa existentia: complacentia vel displicentia quas erga res experimur nullo modo possunt esse argumentum ad judicandum de earum existentia vel non-existentia; præterea cavendum est ne amore vel odio turbetur operatio nostræ rationis in inquirendis factis (2).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 299-302; t. VI, p. 520 ss.

(2) Bossuet, *De la connaissance de Dieu et de soi-même,* ch. I, n. 16, optime loquitur de impedimentis recti judicii, et inter alia dicit: « Le plus grand dérèglement de l'esprit, c'est de croire les choses parce qu'on veut qu'elles soient, et non parce qu'on a vu qu'elles sont en effet. C'est la faute où nos passions nous font tomber Nous sommes portés à croire ce que nous désirons et ce que nous espérons, soit qu'il soit vrai, soit qu'il ne le soit pas... C'est pour cela que nous avons dit que le plus grand mal des passions, c'est qu'elles nous empêchent de bien raisonner; et par conséquent de bien juger, par ce que le bon jugement est l'effet du bon raisonnement ».

Quod de omni facto, quoad ejusdem cognoscibilitatem, hoc etiam valet de facto Revelationis: hoc cognoscibile et cognoscendum est sicut cætera facta, nempe per testimonia. Quando autem agitur de divina locutione, requiruntur signa quædam quibus ut divina cognosci possit locutio: quæ signa sunt imprimis miracula et prophetiæ. Inde in Concilio Vaticano docetur: « Ut nihilominus fidei nostræ obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suæ argumenta, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetias, quæ cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata » (1). Ideo ut fides sit rationabilis, nempe humanæ rationi consentanea, prærequiritur cognitio de facto Revelationis, ut porro hoc factum possit cognosci dantur externa facta, scilicet miracula et prophetiæ quæ sunt signa revelationis divinæ.

Interna Spiritus Sancti auxilia, saltem ordinaria (2), *adjuvant* homines ad inquirendum de facto revelationis et ad cognoscendum illud, sed non possunt esse *argumenta* revelationis: quia non *ut divina* cognoscuntur. Præterea quando agitur de affectibus voluntatis, illi affectus ex sese, directe, nec ut boni, nec ut mali dignoscuntur: nam affectus omnis est vel formaliter amor, vel fundamentaliter amor; jamvero amor exsurgit propter apprehensionem alicujus rei ut bonæ; sed aliquod potest apprehendi ut bonum, quod est tantum apparenter bonum, vel tantum secundum quid. Unde requiritur judicium intellectus et ratiocinium ut homo cognoscat objectum alicujus affectus esse simpliciter

---

(1) *Constitutio dogmatica de fide catholica*, c. 3, DENZINGER-BANNWART, *Enchiridion*, Friburgi Br., 1911, n. 1790, cf. n. 1812. Cf. Pii X formula jurisjurandi in *Collat. Brug.*, t. XV, p. 564.

(2) Non loquimur de extraordinariis effectibus in anima productis quæ possent esse aliqua privata revelatio.

bonum et illi affectui esse *consentiendum;* secus, si absque ratiocinio, et judicio de bonitate, et in specie de morali bonitate objecti, homo posset sequi omnes tendentias quæ in anima exsurgunt, æque bene alii possent amare et alii odisse idem, secundum quod complacentia vel displicentia exsurgeret in ipsis. In specie hoc valeret de fide: nam hæc aliis placere posset, aliis displicere (1).

Ex dictis, hoc apparet satis quod methodus immanentiæ, quatenus in hoc tendit ut homo in semetipso et per conscientiam psychologicam percipiat desiderium aut indigentiam revelationis, non valet demonstrare *factum* revelationis, seu demonstrare Deum de facto veritates revelasse hominibus (2).

2. Quum methodus immanentiæ videatur inniti confusioni inter actum cognoscendi et actum volendi, quædam hic breviter indicamus circa influxum voluntatis in intellectum.

Specifica est distinctio inter intellectum et voluntatem: ille est essentialiter facultas *cognoscitiva*, quæ nempe *apprehendit intentionaliter et immaterialiter* res; voluntas vero est essentialiter facultas *appetitiva*, quæ scilicet *tendit in res* apprehensas ut bonas ab intellectu, vel, consequenter, refugit a rebus apprehensis ut malis (3). Voluntas ipsa *nihil cognoscit,* nihil apprehendit intentionaliter, nullius rei nec ipsius bonitatis rationem

---

(1) Cf. Hugueny, *Critique et catholique,* Paris, 1910, p. 300 ss., ubi describit ea quæ erga catholicismum complacentiam et ea quæ displicentiam seu repugnantiam provocant.

(2) Etiamsi concederetur, quod non concedimus, illam methodum posse comprobare *necessitatem* revelationis, nondum valeret ad stabiliendum factum ipsum, et multo minus valeret ad determinandum complexum veritatum quas revelavit Deus. Quoad demonstrationem facti Revelationis christianæ, duplex datur via. Cf. Ill^mus ac Rev^mus Waffelaert, *Collat. Brug.*, t. II, p. 501 ss.; *Méditations théologiques,* Bruges, 1910, t. I, p. 123, n. 75; *Goddelijhe beschouwingen,* bl. 161, n. 75; Card. Billot, *De Ecclesia,* Roma, 1898, t. I, p. 57 ss.

(3) Cf. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ,* Rollarii, 1900, n. 412 ss., 444 ss.

percipit, sed tendit *in ipsam rem*, prout hæc ab intellectu apprehenditur ut bona (1). Quapropter ab apprehensione intellectus dependet actio voluntatis, amor vel odium, et eæ quæ sequuntur; etiam voluntas nihil valet determinare aut judicare circa verum aut falsum; amor et odium sunt extra ordinem *cognitionis*.

Licet voluntas dependeat ab intellectu apprehendente seu cognoscente, seu præsentante voluntati objectum (2), tamen et ipse intellectus in quibusdam dependet a voluntate, non quidem ac si voluntas objectum cognoscendum præsentaret intellectui; sed voluntas:

a/ *indirecte* influit in acquisitione cognitionis: *positive*, quatenus intellectum ad suos actus movet (3), et *negative*, quatenus removet impedimenta quædam ad rectam mentis operationem; b/ *directe* in ipsum assensum intellectus influit, illumque potest imperare, ubi a parte objecti deficit illa evidentia intrinseca et perfecta quæ sola cogit intellectum ad assensum plene quietantem ipsum (4).

Sed bene notemus in intellectum non posse ullum exerceri influxum a voluntate sive directum sive indirectum, *nisi prælucente apprehensione intellectus* (5). Etenim quando agitur de voluntate *ut natura*, scilicet de motu indeliberato voluntatis (6) prærequiritur ut intellectus apprehendat aliquid tamquam bonum aut malum. Quando agitur de voluntate *ut ratio*, nempe de actu deliberato seu de electione, prærequiritur etiam judicium intellectus de bonitate objecti ut possit hoc eligi. Quapropter ut voluntas possit applicare intellectum ad

---

(1) Cf. SANCTUS THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. LXXXII, a. 3.

(2) Et secundum hoc *intellectus movet voluntatem*, cf. S. THOMAS, *o. c.*, I-II, Q. IX, a. 1.

(3) Cf. S. THOMAS, *o. c.*, I, Q. LXXXII, a. 4.

(4) Vide explicationem in *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 258 ss.

(5) « Omnem voluntatis motum necesse est quod præcedat apprehensio; sed non omnem apprehensionem præcedit motus voluntatis ». S. THOMAS, *o. c.*, l. c., ad 3.

(6) Cf. *Collat. Brug.*, t. V, p. 371, p. 409 ss.

attentionem circa aliquod determinatum objectum, prærequiritur ut intellectus judicet: *bonum* est hoc operari. Iterum ut voluntas possit imperare assensum, prærequiritur ut intellectus judicet: *bonum* est assentiri huic affirmationi aut negationi. Etiam ut voluntas possit imperare actum fidei prærequiritur ut intellectus judicet: *bonum* est hoc credere. Porro ut intellectus rationabiliter judicet: bonum est hoc credere, prærequiritur ut intellectus cognoscat *hoc esse credibile,* seu esse objectum testimonii scientis et veracis. In negotio intellectus inquirentis de credibilitate alicujus facti, voluntas nequit intervenire nisi indirecte et extrinsece, applicando intellectum ad operationem et removendo obstacula illius. Sed ipsa voluntas nullum lumen intellectuale afferre potest, nec voluntatis complacentia aut displicentia aliquid valent ad determinandum judicium de vero aut falso, ad stabiliendum judicium credibilitatis: ad hoc valent tantum *ratiocinia.* Licet dicatur magnum esse influxum voluntatis, ille tamen remanet in ordine appetitivo, nec in ordinem cognoscitivum ingredi potest; quando agitur de sincera et rationabili veritatis inquisitione, nunquam potest voluntas stare aut agere pro ratione, h. e. loco rationis. Hoc valet cujuscumque generis sit materia inquisitionis, sive agatur de re morali sive de re metaphysica, sive de scientia practica sive de scientia speculativa (1).

J. Van der Meersch.

---

(1) Inde fundamentalis quædam confusio subjacet theoriæ propugnatæ ab Ollé-Laprune, *La certitude morale,* Paris. 1902, p. 119 et passim, quatenus censet quasdam veritates sc. existentiam Dei, vitæ futuræ, libertatis, legis moralis, esse talis *naturæ* ut nequeant admitti nisi influxu directo voluntatis, et censet dari actum qui sit quasi mixtus scientia et fide, et proinde dicendus sit fides.

III-IV

De Præscriptione I.

Q. *Quid est* præscriptio, *et quisnam est generatim valor ejus in conscientia.*

I. **Notio.**

R. Præscriptio, in præsenti vocis usu, describi potest: modus legitimus, per statutum temporis lapsum et sub reliquis conditionibus a lege positiva determinatis, sive acquirendi aliquod dominium, sive se liberandi a quodam justitiæ debito, sive excludendi tantum actionem in foro externo, manente obligatione in conscientia.

Nimirum si stricte loquamur, præscriptio est unus ex primævis modis acquirendi verum dominium (1) in res externas, quo nempe jus prioris proprietarii extinguitur, sicque dominium a præscribente acquiritur independenter a natura et extensione prioris juris. In quo novi juris acquisiti titulus proprie lex positiva est, sive canonica (circa bona sacra) sive civilis; factum autem applicans legem est statutum tempus reapse elapsum, cum aliis conditionibus in certo casu verificatis (2). Et hæc stricte dicta præscriptio est *acquisitiva* vel *liberativa* (3).

Porro contingit etiam ut in conscientia dominium non acquiratur vel debitum non extinguatur, propter defectum cujusdam conditionis jure naturæ requisitæ sed a lege civili neglectæ. Quo in casu lex quidem jure permittit ut præscribens coram foro civili *actionem*

---

(1) Illud dominium esse potest vel proprietas plena alicujus rei, vel aliud quodvis jus in re, v. g. aliquis ususfructus etc.; modo comprehendatur in ambitu legum præscriptionis. Imo latiori significatione vox dominium supponit heic etiam pro extinctione debiti per præscriptionem.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIX, p. 108 etc.

(3) Acquisitiva vocatur sæpe usucapio; usucapion ou prescription acquisitive seu verwervende verjaring; liberativa vero vertitur: opheffende verjaring, seu prescription extinctive.

respuat domini sive creditoris reclamantis; conscientia vero ipsum iisdem obligationibus adstringit ac si nihil præscripsisset. Quæ minus stricta præscriptio vocari potest *actionis tantum exclusiva.*

Omnibus profecto notum est apud gentes excultas jam antiquitus vigere jus præscriptionis; et quamvis plures olim theologi de valore ejus in conscientia dubitaverint (1), communis jamdiu sententia est præscriptionem in foro etiam interno legitimum acquirendi dominii aut extinguendæ obligationis titulum constituere, modo requisitis tum jure positivo tum jure naturæ conditionibus stipetur. Etsi enim præscriptio a jure naturali nequeat dici stricte orta, conformiter tamen cum jure naturæ per leges civiles introduci potuit imo et debuit. « Unde etiam sacri canones præscriptionem approbarunt, supposita tamen pro foro conscientiæ bona fide, non tantum juridica sed theologica ut dicetur suo loco; imo expresse adoptarunt in rebus ecclesiasticis canonice tamen regulatam » (2).

II. **Valor.**

Sequenti vero modo præscriptionis civilis tum acquisitivæ tum liberativæ valor in foro interno generatim ostenditur. Legislatores *voluerunt* generatim dictæ præscriptioni valorem præbere vere translativum proprietatis aut extinctivum obligationis. Atqui hoc vi alti dominii generatim *potuerunt.* Ergo.

Major constat ex art. 2219 Cod. Civ. collatis art. 711-712 et 1234; in quibus eodem generali modo loquitur legislator de præscriptione ac de aliis modis certo validis acquirendi dominium v. g. per donationem,

---

(1) Scribebat pro suo tempore S. RAYMUNDUS in *Summa,* l. II, t. 5, § 15, de eo qui absoluto toto tempore præscriptionis acquisitivæ tunc primum advertebat se rem alienam possedisse: « Theologi fere omnes dicunt quod tenetur restituere; omnes fere doctores juris dicunt contrarium ». Sed mox, præeunte S. THOMA in *Quodlibeto* 12, a. 15, sententia favens valori præscriptionis in foro interno evasit communis.

(2) Cf. ILLmum WAFFELAERT, *De Justitia,* I, n. 212.

aut extinguendi obligationem v. g. per solutionem debiti (1).

Minor autem patet ex ipsa necessitate boni communis. Altum enim Status dominium est vera potestas jurisdictionis quæ reipublica qua tali competit disponendi, in casibus necessitatis, de bonis suorum civium, etiam dominium transferendo de uno ad alium (2). Jamvero necessaria bono communi apparet præscriptio: « a/ ut tollantur dominiorum incertitudo et anxietates bona fide possidentium; b/ ut possessores secure et majori cura res suas administrent et augeant; c/ ut præcidatur radix inexhausta litium; et tandem secundarie; d/ ut absterreantur domini a rebus suis negligendis. Speciatim adhuc accedit pro præscriptione liberativa; a/ præsumptio solutionis vel condonationis debitorum, quæ creditor exigere diu neglexerit contra id quod plerumque contingit; b/ immunitas ab onere vix tolerabili quo quisque solvens adigeretur semper petere aut in perpetuum servare testimonia solutionis; tandem c/ immunitas a gravissimo damno hæredibus præsertim alicujus debitoris haud raro obventuro ex cumulatis debitis, quæ ipsi rationabiliter putare potuerint condonata » (3).

Nec opponatur ad commune bonum generaliter sufficere solam coram foro civili denegationem actionis, manente naturali obligatione in conscientia. Nam, præ-

---

(1) Art. 2219: « La prescription est un *moyen d'acquérir ou de se libérer* par un certain laps de temps, et sous les conditions déterminées par la loi ».

Art. 711-712: « La propriété des biens *s'acquiert* et se transmet par succession, par donation entre-vifs ou testamentaire, et par l'effet des obligations.

La propriété s'acquiert *aussi* par accession ou incorporation, et par *prescription* ».

Art. 1234: « Les obligations *s'éteignent* par le payement..... et par la *prescription*, qui fera l'objet d'un titre particulier ».

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 580.

(3) Cf. Illmum Waffelaert, *l. c.*, n. 212.

terquam quod hujusmodi legislatio quasi solis malæ conscientiæ hominibus contra timoratos faveret, plures præcipuæque rationes ex statim allatis veram in foro interno dominii translationem veramque obligationis extinctionem omnino postulant (1).

III. **Nota.**

Ex dictis ergo sequitur præscriptionis civilis valor in conscientia, *generatim loquendo;* inde tamen concludere nondum fas est omnes et singulas ejusdem dispositiones dominium vere transferre obligationemve in foro interno reapse extinguere.

Nam primo: ipse quandoque legislator, v. g. circa breviores præscriptiones liberativas de quibus in art. 2271-2279, *non plus voluisse* videtur quam negationem actionis, intacta manente conscientiæ obligatione. Permittit enim hisce casibus ut creditor coram tribunali obliget debitorem ad jurandum se solvisse, aut heredes debitoris ad jurandum se nihil de debito conscios esse. Proinde præsumit lex præstitam fuisse solutionem; quodsi secus sit, ipsa rem conscientiæ negantis relinquere videtur denegando actionem, deobligare vero in foro interno probabilius non intendit (2).

---

(1) Nec etiam objiciatur Statum per se teneri ad compensanda damna ex exercitio alti dominii privatis orta, dum hic nulla compensatio datur. Jam enim æquivalens præbetur compensatio gravatis « eo ipso quod lex præscriptionis, ante omnem eventum statuta, æqualem omnibus lucri et damni sortem exhibeat », Ill^mus^ Waffelaert, *l. c.*, n. 213. Deinde, non est par conditio præscriptionis et expropriationis ob causam utilitatis publicæ, ex qua Status seu communitas nova quadam rei proprietate directe ditatur, dum gravatus expropriationis onus revera solus sustinere cogeretur, nisi compensatio damni interveniret. Insuper, impossibile foret Statum omnia damna privatorum ex præscriptione orta præstare, nisi compensatione æquivalenti modo descripta et communi utilitate. Et tandem « præscriptio pars est definita et omnibus nota regiminis bonorum in societate vigentis;.... nec de læsa æqualitate inter cives aliquis conqueri potest, cum sit communis restrictio perpetuitati possessionum apposita ». Vermeersch, *Quæstiones de Justitia*, n. 274.

(2) Nec imo si deobligare vellet, tunc posset: diserepante jure naturæ in hisce casibus. Cf. *Collat. Brug.*, t. II, p. 72.

Sed insuper, ubicumque lex civilis dominium vere transferre voluit, oportet ut conditiones determinaverit quæ cum jure naturæ concordant, secus enim legitimum dominii titulum constituere *non potuit*. Jamvero quædam sunt Codicis nostri dispositiones quæ, relate ad transferendum dominium, certo cum jure naturali discordant: v. g. in art. 2262 ubi expresse statuitur non obstare malam fidem usucapioni 30 annorum. Quibus in casibus præscriptio civilis jure naturæ tantum valet qua actionis exclusiva: adeo ut si quis proprietatem cujusdam domus per 30 annos cum mala fide præscripsisset, in conscientia ad domum domino reddendam adstrictus maneret (1).

Q. *Indicatis conditionibus legitimæ præscriptionis acquisitivæ in materia civili, expone in specie conditionem* bonæ fidei.

R. Loquendo nunc de præscriptione *acquisitiva* in materia civili, hanc intendimus usucapionem quæ in conscientia qua titulus veri dominii et non tantum qua titulus denegandæ actionis valeat. Quo in puncto tum juris naturæ ratio habenda est, ut patet; tum sane juris positivi, cujus est vi alti dominii conditiones determinare ad usucapionem necessarias.

Jamvero, præter subjectum aptum, quinque generatim conditiones ex jure civili requiruntur, juxta notum

---

(1) Nec ceteroquin desunt jurisperitæ qui sentiunt legales dispositiones hujusmodi *ex ipsa intentione legis* habendas esse qua meras actionis denegationes. Quodsi ita sit, non sunt damnandæ leges quæ post certum tempus perimunt actiones sine respectu ad bonam aut malam fidem præscribentium. « Hæc enim absolute, sive bona sive mala fides intercesserit, procurant, ut de rerum dominio plane constet *in foro externo*, et securitati pactionum *in eodem foro* caveatur; ut numero diminuantur forenses controversiæ, eæ præsertim quarum antiquior sit causa; ut foveatur civium diligentia. Quis non videt hæc omnia ad bonum commune plurimum conferre? His addas, esse cur in foro exteriore minus attendatur ad actoris vel rei fidem: fides enim est probatu difficilis spectatque ad interna, de quibus, ut aiunt, prætor judicare non solet ». VERMEERSCH, *l. c.*, n. 273.

versiculum : *Sit res apta, fides, titulus, possessio, tempus.* Quæ conditiones in Cod. Civ. libro III, titulo XX, non juxtapositæ, sed hinc inde sparsæ inveniuntur; nec sæpe sufficienter disjunctæ a conditionibus ad liberativam præscriptionem requisitis. Insuper non omnes simul ad quamcumque usucapionem exigit lex, cum art. 2262 præscriptionem 30 annorum ab obligatione tituli expresse liberet.

1°/ Itaque *res apta* seu præscriptibilis intelligitur omnis res temporalis, sive corporalis sive incorporalis, quæ non est extra commercium posita (1) nec aliunde per leges explicite aut implicite excipitur.

2°/ *Possessio* rei præscriptibilis corporeæ aut incorporeæ requiritur stricte talis et qualificata. Stricte talis : « id est qua quis, sive per se sive nomine suo per alium, aliquam rem detinet aut ea fruitur animo domini » (2). Qualificata: id est continua nec interrupta, pacifica, publica, non æquivoca et titulo proprietarii (art. 2228 et 2229). Ultima hæc qualificatio nil aliud est quam alterum elementum veræ possessionis, scilicet animus domini seu voluntas rem sibi habendi.

3°/ *Titulus* intelligitur hic ratio qua possessio nititur; seu causa cur possideat præscribens animo domini, et quæ talis sit oportet ut simul cum aliis conditionibus ad normam legis vere transferat dominium. Non requiritur ad usucapionem, ut patet, titulus *verus*, v. g. vera emptio a vero proprietario; sed ex alia parte obstat ex ipsa jam lege titulus *vitiosus* seu precarius, v. g. locatio vel depositum quo quis rem teneat nomine alterius (art. 2236). Ulterius, ad usucapionem 30 annorum nullus requiritur a lege titulus (3); ad præscriptionem

---

(1) Extra commercium ponuntur quædam res sive natura sua, utpote non cadentes sub dominio privato; sive per legem.

(2) Ill^mus^ Waffelaert, *l. c.*, n. 221.

(3) In conscientia autem, cum requiratur bona fides theologica quæ necessario in quodam motivo fundatur, apparet semper aliqualem titulum exigi.

autem immobilium per 10-20 annos exigitur titulus *realis* (non tantum putativus), *allegatus ac probatus* (non tantum præsumptus) et *coloratus seu justus*, scilicet cui tantum deest jus in auctore. Cogita locatarium qui ut suam vendit domum in qua habitat : chirographum venditionis constitueret pro emente titulum hujusmodi.

4°/ *Tempus* autem, quod est nota peculiaris omnis præscriptionis, requiritur 30 annorum pro *immobilibus ;* nisi cui præsto sit titulus coloratus cum bona fide juridica saltem initio possessionis ; nam tunc sufficit tempus inter 10 et 20 annos, secundum casus (art. 2265 et 2266). Excipiuntur tamen servitutes, quæ tantum per 30 annos acquiri possunt, modo sint simul apparentes et continuæ (art. 690 et 691). Quoad *mobilia* vero, præsto est vel usucapio 30 tantum annorum, vel contra a. 2279 : en fait de meubles la possession vaut titre etc. (1).

5°/ **Bona fides** tandem attendenda venit ; de qua relate ad usucapionem sequentia notentur oportet :

Differt bona fides *theologica*, quæ semper ad veram præscriptionem in conscientia requiritur, a bona fide *juridica*, quæ certis tantum casibus secundum legem et simul conscientiam necessaria est.

Bona fides *theologica* est hic : « judicium practicum quo possessor rei alienæ prudenter persuasum sibi habet se rem juste possidere ut suam » (2). Judicium illud supponit persuasionem possidentis, scilicet moralem ejus certitudinem de jure suo ; sed ordinis practici, seu circa factum formaliter justæ possessionis et retentionis animo domini, non autem necessario circa ipsam proprietatem rei, ut postea explicabitur. Hæc practica persuasio evidenter nititur quodam motivo, unde ad

---

(1) Hoc ultimum principium, deficiente lapsu temporis in possidendo, non sancit proprie dictam præscriptionem. — Cf. de notionibus quas hic tantum adumbramus Illmum Waffelaert, *l. c.*, n. 215-250.

(2) Illmum Waffelaert, *l. c.*, n. 231.

bonam fidem theologicam semper requiritur aliquis titulus; sed qualiscumque ratio sufficit, modo in ea fundetur persuasio seu existimatio prudens, hoc est inculpabilis aut saltem non graviter culpabilis. Impossibilis profecto esset persuasio moraliter certa de legitima possessione et retentione animo domini, ubi quis simul conscientiam haberet de gravi peccato injustitiæ quod ita facit: ut si quis rem possidens de facto alienam et subito dubitans utrum sua sit necne omitteret quamvis inquisitionem ad solvendum dubium, dum tamen conscius esset se graviter ita delinquere. Contra, prudens judicium practicum compossibile est cum levi culpa, v. g. negligentiæ non plene deliberatæ; quæ ceterum ob humanam fragilitatem tam facile tamque frequenter committi nata est (1).

Porro, bona fides *juridica*, in sensu stricto hodierni juris et relate ad ipsam usucapionem, dicitur: persuasio possessoris rem esse suam, fundata in titulo reali colorato quem validum existimat. Existente autem titulo hujusmodi, persuasio possessoris, *ubi a lege imponitur*, ab ipsa etiam præsumitur adesse nisi contrarium demonstretur (art. 2268). Hoc tamen non impedit quominus ex ipsa intentione legis hæc persuasio requiratur vere interna, ad validam usucapionem. Unde strictior est bona fides legalis seu juridica ex parte tituli quam bona fides theologica, quæ qualemcumque titulum admittit; strictior etiam ex parte judicii usucapientis, quod requirit ordinis speculativi: rem esse suam, dum bona fides theologica admittit etiam judicium ordinis tantum practici: rem licite retineri; sed ex alia parte laxior est lex pro foro externo præsumendo persuasio-

(1) Equidem loquimur de præscribenda re notabilis momenti. Si autem agatur de materia levi, in qua plena negligentia nondum gravis est, respondemus generatim cum De Lugo, *De Justitia et Jure*, disp. 7, n. 37: « ad eas præscribendas requiri bonam fidem proportionatam, scilicet conscientiam rei propriæ, vel non alienæ, quæ expellat peccatum veniale injustitiæ circa earum retentionem ».

nem et sæpe nullam exigendo, vel tantum initio possessionis, dum bona fides theologica internam quocumque casu persuasionem requirit de facto existentem, et toto quidem tempore possessionis requisitæ (1).

Quod ultimum facile demonstratur. Statim enim ac possidens comperit rem esse alienam, illam jure naturæ ad dominum ad quam clamat reddere tenetur ; aut certe dominum inquirere protinus debet sicut pro re amissa, et interim rem servare titulo jam precario seu nomine proprietarii, non autem animo domini (2). Secus vero esset sit solummodo post elapsum tempus requisitum error detegeretur ; cum enim res tunc vere præscripta fuisset in conscientia, nihil jam referret patefactio veritatis.

---

(1) Cf. GENICOT-SALSMANS, *Institutiones Theologiæ Moralis*, I, n. 491 ; SALSMANS, *Rechtelijke plichtenleer*, 1914, Brussel, nº 167, nota 3 : Voor het *geweten* bestaat *de goede trouw* hierin, dat iemand rechtzinnig meent een bepaald goed te *mogen houden*. Voor de *wet* wordt er tot goede trouw iets meer vereischt : men moet waarachtig meenen dat bepaald goed *het zijne is* (zooals afgeleid wordt uit art. 550).

Het onderscheid is aanmerkelijk, b. v. in volgend geval : iemand heeft van een bepaald goed bezit genomen, oprecht meenende dat het hem toebehoorde, hij is te goeder trouw zooveel voor de wet als voor het geweten ; doch later begint hij te twijfelen of de zaak hem wel toebehoorde, hij zoekt achter de waarheid te komen, doch slaagt er niet in : hij blijft te goeder trouw voor het *geweten* (hij meent de zaak te mogen houden), doch niet voor de *wet*. — Zal hij verjaring voor het geweten mogen laten gelden ? Ja, de verjaring van 10 (of 20) jaar op de onroerende goederen, omdat tot deze verjaring alleenlijk bij het eerste in-bezitnemen, doch later niet, door de wet goede trouw geëischt wordt, en er verondersteld wordt dat de bezitter den heelen tijd lang (10 of 20 jaar) volgens het geweten te goeder trouw gebleven is. — De verjaring van 30 jaar zou ook voor 't geweten gelden, omdat tot deze verjaring de wet geen goede trouw eischt en er in ons geval verondersteld wordt dat de bezitter 30 jaar lang voor het geweten te goeder trouw gebleven is ».

(2) Nec minus incompossibilis est cum bona fide theologica conscientia *erronea* qua quis domum Titii detineret quam falso putat Caii ; habet enim vere conscientiam rei alienæ. Solummodo si facta inquisitione inveniret domum non esse Caii, contingere posset ut iterum persuasus fiat se juste possidere : quo casu, cum interim præscriptio per malam finem proprio sensu fuerit interrupta, illam de novo incipere deberet. Aliud vero esset de quadam conscientia *scrupulosa* qua quis absque ratione putaret se habere conscientiam rei alienæ.

Et hæc doctrina manifeste in Concilio Lateranensi IV, cap. 41 traditur: « Quoniam omne... quod non est ex fide peccatum est; synodali judicio definimus ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quam civilis: quum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum quæ absque mortali peccato non potest observari. Unde oportet ut qui præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ » (1).

Notandum est autem, ubi lex civilis bonam fidem juridicam imponit, eam pariter in conscientia obligatoriam esse; cum legis civilis sit, ut jam diximus, conditiones determinare ad præscriptionem translativam dominii. Sancit autem Codex ut qui habet titulum coloratum et simul — *initio* saltem possessionis (art. 2269) — persuasionem rem esse suam, præscribere valeat immobilia per 10-20 annos. Ad talem ergo præscriptionem in conscientia validam requirentur ista; et insuper bona fides theologica toto tempore. Ad usucapionem autem 30 annorum nulla bona fides juridica exigitur (2).

E. Hosten.

V

De ultimo fine et beatitudine.

Q. Explica et proba sequens assertum: *Beatitudo hominis objectiva consistit in solo bono increato, quod est Deus; beatitudo ejus formalis nihil aliud est quam adeptio vel fruitio Dei. S. th. I-II, q. II, a. 8, q. III.*

R. Negativa fuit conclusio præcedentis nostræ in-

---

(1) Cf. Denzinger, *Enchiridion Symbolorum*, ed. 10ª, n. 439.

(2) Ad præsentem quæstionem non pertinet inquisitio de bona fide a lege requisita in applicando principio: en fait de meubles possession vaut titre; siquidem illud principium de vera præscriptione non agit. Nec magis inquirendum quamnam bonam fidem Codex requirat apud præscribentem ut interim *fructus* rei detentæ faciat suos (art. 549 et 550); nam jure accessionis potius quam præscriptionis illi fructus possessori cedunt, etsi res utique a bona vel mala fide possidentis pendeat.

quisitionis circa objectum satians et sistens appetitum nostrum beatitudinis: nullum nimirum bonum creatum, utpote particulare, posse complere appetitum nostrum rationalem boni universalis. Positiva in præsenti erit responsio nostra et quidem bipartita: 1° supposito quod sit aliquod bonum respondens huic appetitui nostro (1), non potest illud esse nisi bonum infinitum, Deus; 2° in unione cum hoc objecto, Deo, consistit hominis formalis beatitudo seu felicitas.

Explicatur propositio.

Beatitudo, quæ proprie nonnisi entibus ratione præditis attribuitur, duo significare consuevit, sicut et finis ultimus: a/ ipsum bonum perfectum intellectualis naturæ, seu bonum perfectum quod totaliter quietat appetitum rationabilem, et hæc est beatitudo objectiva, ut dicitur, id est objectum et causa beatitudinis formalis. Circa illam versatur tota qu. II S. th. l. c.;

b/ possessionem perfectam, consciam et fruitivam boni perfecti convenientis, qua satiatur et quiescit appetitus: hæc est beatitudo formalis, subjectiva, essentia beatitudinis. De illa tractant qq. III-IV-V (2).

Probatur 1ª pars: *Beatitudo hominis objectiva consistit in solo bono increato, quod est Deus*, q. II, a. 8.

Argumentum quod supra exposuimus hic breviter contrahimus ad probandum quod solum bonum increatum potest satiare appetitum hominis.

Solum omne et universale bonum potest satiare appe-

---

(1) Id negant Positivistæ ablegantes ipsum conceptum finis ultimi; item varii philosophi qui finem ultimum hominis reponunt in progressu indefinito. Nos vero jam supra ostendimus hominem, sicuti omnem creaturam, destinari a Deo ad aliquem finem determinatum, ad divinam scilicet bonitatem suo modo participandam, idemque a sana philosophia accipimus quæ ostendit repugnare naturalem hominis appetitum felicitatis a sapientissimo Ordinatore, Deo, naturæ intrinsecus impressum, inanem esse seu in aliquid inexistens tendere. Cfr. E. De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, 1ª ed., p. 354.

(2) Vide hanc distinctionem expositam a S. Thoma, l. c., q. III, a. 1, q. II, a. 7. Cfr. *Collat. Brug.*, t. III, p. 363 ss., t. I, p. 178 sq.

titum hominis, utpote qui in appetendo eamdem habet extensionem ac intellectus in cognoscendo.

Atqui solus Deus est omne et universale bonum. Ergo.

Nota hanc esse differentiam inter intellectum et voluntatem quod intellectus fertur in objectum suum sub statu abstractionis, adeoque pro objecto habet verum universale abstractum, voluntas vero tendit in objectum suum ut realiter existens et consequenter pro objecto habet bonum universale reale: hoc autem bonum in solo Deo, qui est infinita bonitas, invenitur (1).

Pulchre S. AUGUSTINUS, *Confess.*, l. I, c. 1: « Fecisti nos ad Te [Domine], et inquietum est cor nostrum donec requiescat in Te. » Et l. V, c. 3: « Infelix homo qui scit illa [bona creata], Te autem nescit. Beatus autem qui Te scit, etiamsi illa nesciat. Qui vero et Te et illa novit, non propter illa beatior, sed propter Te solum beatus. »

Probatur 2a pars: *Beatitudo hominis formalis nihil aliud est quam adeptio vel fruitio Dei,* q. III.

Beatitudo enim hominis seu optime esse, idem est ac ultima ejus perfectio: tunc enim primùm omnis in eo cessabit appetitus quando nullum jam deficiet bonum conveniens (2).

Jamvero ultima perfectio cujusvis agentis est perfecta ejus operatio quà actus secundus relate ad naturam, actum primum (3).

Ergo beatitudo hominis est perfecta operatio humana,

---

(1) BILLUART, *Dissertatio II, De Beatitudine,* art. 1.

(2) Omnis enim appetitus hominis manifestat aliquam indigentiam, aliquam imperfectionem, atque ex ea enascitur, cui indigentiæ supplere, quam imperfectionem complere intendit per bonum quod appetit qua perfectum sibi conveniens. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 681.

(3) S. th. I-II, q. III, a. 2: « Est... beatitudo ultima hominis perfectio: unumquodque autem in tantum perfectum est in quantum est actu: nam potentia sine actu imperfecta est ». Inde in resp. ad 4m pulcherrime exponit variam esse beatitudinem apud Deum, angelos, homines tum in via, tum in patria, pro vario gradu perfectionis eorum. Cfr. S. c. G. l. III, c. 25.

operatio nimirum intellectivæ partis respondens, qua actus secundus, naturæ ejus intellectuali (1).

Atqui rursus optima operatio cujusvis potentiæ est ut attingat ad id in quo plene invenitur ratio sui objecti (2); res autem in qua plene invenitur ratio objecti intellectus ac voluntatis humanæ est Deus, esse subsistens atque ideo verum ac bonum subsistens.

Ergo beatitudo hominis « habetur vitali seu spirituali possessione Dei per cognitionem et amorem. Nempe sita est beatitudo in activitate aliqua, non in qualitate aut mera potentia et habitudine, et quidem in activitate superiorum facultatum, quæ propriam humanæ naturæ apprehensionem et expansionem exhibent » (3). Postea ostendemus hanc beatitudinem in altera tantum vita perfecte obtineri posse.

Nota. 1. Generatim tantum diximus beatitudinem hominis consistere in perfecta operatione partis intellectivæ. Ulterior vero viget disputatio inter theologos: quidam eam reponunt in solo actu voluntatis, scilicet vel amore amicitiæ, ut vult Scotus, vel fruitione, ut volunt alii; quidam in actibus intellectus et voluntatis simul, ut plures e Societate cum Suarez; alii tandem in solo actu intellectus, ita Thomistæ cum suo Doctore (4), saltem primario, quatenus per actum intellectus Deum, finem intelligibilem, apprehendimus tamquam bonum præsens, cui possessioni per intellectum subito et per se accedit delectatio voluntatis atque fruitio et quietatio (5).

---

(1) S. th., l. c., a. 3. « Utrum beatitudo sit operatio sensitivæ partis aut intellectivæ tantum ». Cfr. a. 5: « Beatitudo hominis est... optima operatio hominis. Optima autem operatio hominis est, quæ est optimæ potentiæ respectu optimi objecti ».

(2) S. th., l. c., a. 7, ad 3.

(3) Bouquillon, *Theologia moralis fundamentalis*, 3a editio, p. 179.

(4) S. th., l. c., a. 4: « Utrum... beatitudo sit operatio intellectus an voluntatis » et a. 5: « Utrum... sit operatio intellectus speculativi an practici ». S. c. G. l. III, cc. 25, 26, 37. Cf. Billuart, l. c., art. 2; Salmanticenses, *Cursus theologicus*, tract. VIII-IX; Pègues, *Commentaire français littéral*, t. VI, p. 104 ss.; *Dictionnaire de théologie catholique*, Vacant, vo Béatitude.

(5) S. th., l. c., a. 4.

2. Hæc Dei possessio et fruitio alia atque alia est in ordine naturali et in ordine supernaturali. In primo nimirum, fuisset cognitio abstractiva per intermedias creaturas, et amor naturalis inde sequens: ulterius beatitudinem hanc naturalem definire difficile est. In altero vero ordine possessio illa est visio intuitiva et charitas (1).

3. Hac Dei possessione et fruitione per intellectum et voluntatem homo in patria primo et simpliciter evadit beatus. Huic beatitudini essentiali quædam accidentalis accedet per operationem cæterarum ejus facultatum. « Post resurrectionem ex ipsa beatitudine animæ fiet quædam refluentia in corpus et in sensus corporeos ut in suis operationibus perficiantur (2). Accidentalis quoque est beatitudo quam quævis res creatæ beato homini afferre possunt: eæ enim in tantum amantur atque delectant in quantum infinita bonitas cujus participationes sunt, amatur et delectat » (3).

A. Legrand.

VI

De admissione clericorum peregrinorum ad Missæ celebrationem.

Q. Quomodo se gerere debet parochus erga sacerdotes peregrinos in ecclesia parochiali celebrare cupientes?

R. **Status quæstionis.**

Vinculum, quo parochus cum sua parochia connectitur, ejusmodi est, ut sine ipsius licentia in districtu parochiali nemo, præter Episcopum ejusve delegatum, functiones sa-

---

(1) S. th., l. c., a 8. « Utrum beatitudo hominis sit in visione divinæ essentiæ ». Quomodo intelligendum sit desiderium naturale visionis Dei intuitivæ, quod hic asserit S. Doctor, non spectat ad præsentem quæstionem. Cfr. *Collat. Brug.*, t. VI, p. 660 ss., t. XIII, p. 89 ss.

(2) S. Aug. *Epistola 56 ad Dioscorum* citat. S. th., a. 3.

(3) *Collat. Brug.*, t. III, p. 365. S. th. l. c., q. III, a. 7; q. IV, a. 4.

eras licite peragat. Hæc tamen regula, tam ex lege scripta quam ex consuetudine, haud modicas patitur exceptiones (1), duplici vero modo: quandoque licentia parochi non requiritur (2); quandoque dari non potest, nisi certis sub conditionibus. Hujus alterius modi exemplum habetur in quæstione quæ hic agitatur. Etenim ad præcavendum ne Missa celebretur a non sacerdote, vel a sacerdote indigno, qui aliquo impedimento ab altari removetur, sacri canones plura servanda statuerunt in admissione clericorum peregrinorum (i. e. clericorum extra locum proprium vagantium) ad Missæ celebrationem. Eæ sacrorum canonum dispositiones modo a nobis exponendæ sunt; ut autem plenius quæstio solvatur successive inquiremus: 1° Utrum et quatenus parochus *possit*, 2° Utrum et quatenus *teneatur* admittere peregrinos sacerdotes ad Missæ celebrationem.

Hoc vero prænotatum volumus: *Concilium Tridentinum*, ex quo habetur jus commune nunc vigens, nihil directe pro parochis statuisse, sed præscriptiones de peregrinorum admissione applicandas et partim determinandas reliquisse locorum Ordinariis. Inquiremus igitur præsertim de jure nostro particulari, simul tamen ostendemus quomodo statuta nostra diœcesana de hac re juri communi consonent et juxta probatos juris communis interpretes sint declaranda (3).

I. De jure peregrinos admittendi.

Jus limitatum parochi in hoc negotio describitur in *Statutis Diœcesis Brugensis*, P. II, Tit. III, § 6. Duas autem hæc paragraphus complectitur partes, quarum prima omnes parochos atque ecclesiarum rectores diœcesis spectat, altera pastores tantum stationum balnearium.

---

(1) Cfr. AICHNER, *Compendium juris ecclesiastici*, Brixinæ, 1911, § 126, nº 2.

(2) Exemplum præbebitur in proximo fasciculo *Collat. Brug.*

(3) Cfr. præsertim BENED. XIV, *Instit. Eccl.*, XXXIV, 1; FEYE, *Tract. de locis et rebus*, cap. VII, § 10; BOUIX, *Tract. de Episcopis*, t. II, Parisiis, 1859; GASPARRI, *Tract. canonicus de Sanctissima Eucharistia*, Parisiis, 1897; necnon veteres canonistas ad titulum 22, *De clericis peregrinis*, libri Ii Decretalium.

Prima pars hæc habet: « Vago ac ignoto sacerdoti Missam celebrare non liceat, nisi ostensis testimonialibus vel commendatitiis litteris sui Ordinarii, vel Ordinarii loci, quibus celebrandi licentia ei conceditur. Ignotus autem habendus non est quem persona fide digna commendat. »

Ut fundamentum et objectum hujus statuti rite intelligantur, hæc notentur:

1° Non tantum potest, sed debet Episcopus hujusmodi prohibitionem ferre. Concilium enim Tridentinum, antiquam disciplinam paulisper corrigens, ita sanxit: a/ in sess. XXII, decr. *de observandis et evitandis in sacr. Missæ:* « Singuli (Episcopi) in suis diœcesibus interdicant ne cui vago et ignoto sacerdoti Missas celebrare liceat », et b/ in sess. XXIII, c. 16, de Ref.: « Nullus præterea clericus peregrinus sine commendatitiis sui Ordinarii litteris ab ullo Episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur » (1).

2° *Commendatitiæ* dicuntur litteræ quibus Ordinarius testatur de legitima ordinatione, de carentia cujuslibet censuræ et irregularitatis, de bonis moribus ipsius clerici, eumque alieno episcopo *commendat;* vulgo has litteras dicere solemus « *celebret* » (2).

Non igitur ut sufficientes habeant parochi litteras ordinationis aut jurisdictionis (3), et videant utrum commendatitiæ sint in forma legitima conscriptæ et non peremptæ (4). In *Statutis* autem nostris etiam sufficientes

---

(1) Quoad correctiones antiquo juri allatas, cfr. GIRALDI, *Expositio Juris pontificii*, ed. 1829, t. I, p. 86 sq.

(2) GASPARRI, *o. c.*, n° 364; BOUIX, *o. c.*, p. 290.

(3) Cfr. *Statuta Diœc. Brugen.*, P. I. Tit. II, art. V, § 6, sub 6°.

(4) Litteræ commendatitiæ sæpe dari solent ad tempus determinatum; hoc tempore transacto vi carent, nec possunt illas Episcopi alieni aut parochi ratas habere et sacerdotem admittere ad Missæ celebrationem. Absurdum est enim ratas habere litteras quæ amplius non sunt; deinde in casu constat de impedimento pro Missæ celebratione: exinde enim patet sacerdotem non obtinuisse a proprio Ordinario discedendi licentiam, nisi ad illud determinatum tempus, quo transacto, absens e diœ-

dicuntur commendatitiæ *Ordinarii loci*, i. e. nostri; et nil mirum, quum hæ supponant litteras a peregrini Ordinario concessas in curia episcopali nostræ diœcesis examinatas fuisse, vel saltem sacerdotem extraneum ibi esse notum, quod sane satis est, siquidem lex tridentina primario afficit Episcopum.

3° Regula nostra non comprehendit clericos extraneos quidem, sed *notos*, sive immediate sive mediante tertia persona fide digna, in loco ubi Missam celebrare desiderant. Et merito, siquidem ratio seu finis legis tunc deficit; cæteroquin ex collatione textuum supra allatorum hanc mentem fuisse Patrum tridentinorum etiam apparet. At, ut hæc exceptio valeat, necesse est ut sacerdotes extranei noti sint formaliter idonei ad celebrandum, nempe ut notum sit quod fuerint legitime ordinati et quod probabile non sit illos aliquo impedimento a Missarum solemniis arceri (1).

4° Cura de observantia nostri statuti recidit præsertim in parochum, cui, ut supra diximus, competit generatim licentiam dare ad sacras functiones infra limites parochiæ peragendas. Sed etiam gravat capellanos aliosque rectores ecclesiarum vel communitatum religiosarum, quæ vel jure communi vel episcopali statuto a jurisdictione parochiali, saltem quoad regimen cultus in propria ecclesia, eximuntur (2).

---

cesi, peccat saltem in foro externo et ideo indignus est eucharisticum sacrificium offerre. GASPARRI, *o. c.*, n° 368.

(1) Ita GASPARRI, *o. c.*, t. I, n. 366. Juxta OJETTI (*Synopsis rerum moralium et juris pontificii* (Romæ, 1909), verbo *Celebratio Missæ*), posset sacerdos ignotus carens commendatitiis admitti ad *secreto* celebrandum. Hoc mihi videtur non posse sustineri. Nititur equidem laudatus auctor, c. 3, *tit. cit.*, X, quod de facto exceptionem admittit in favorem illorum qui petunt celebrare secreto et ex devotione (i. e. sine stipendio); at hæc exceptio penitus suppressa est a Concilio Trid., relatis verbis, quæ illimitata sunt. Cfr. GASPARRI, *o. c.*, n. 365, WERNZ, *Jus Decretalium*, ed. 2ª, t. III, n. 532, GIRALDI, *l. c.*

(2) Jure Tridentino etiam ligantur *regulares*. Quare nec regulares peregrini in ecclesiis ad propriam sodalitatem non spectantibus, sine litteris

Altera pars, quæ balneares tantum afficit stationes, ubi speciali vigilantia opus esse videtur, sic sonat: « Meminerint insuper pastores stationum balnearium, intra dies ad summum tres, approbationi nostræ submittendas esse litteras commendatitias sacerdotum extraneorum eo confluentium » (1).

Illam specialem præscriptionem Episcopus non tenetur facere, sed nullum dubium quin id possit. Habet enim Episcopus potestatem legislativam, ac statuere potest ea quæ utilia sibi videntur, dummodo juri universali non adversantia. Porro valde utile multis in diœcesibus esse potest, ut cura illa commendatitias litteras ab extraneis presbyteris exhibendas inspiciendi ac eos ad celebrandum admittendi, non quibuslibet ecclesiarum et capellarum præpositis relinquatur sed ipsimet Episcopo ac vicario generali reservetur. Præterea, in citato Tridentinæ Synodi decreto: *de observandis et evitandis in sacrificio Missæ*, præter facultates Episcopis expresse concessas, generatim ipsis tribuitur potestas, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, quælibet alia decernendi quæ ad consulendum debitæ erga Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum reverentiæ conferre existimaverint (2).

---

commendatitiis suorum Superiorum regularium sacrum peragere non possunt, ut diserte affirmatur in Constitutione Benedicti XIV « *Apostolicum Ministerium* » 30 Maii 1753; nec vicissim permissum est ut regulares, in suis ecclesiis peregrinos sacerdotes *sæculares* vel *regulares*, saltem alieni ordinis, legitimis litteris commendatitiis carentes, admittant ad celebrationem Missæ. Bened. XIV, *l. c.*; Wernz, *l. c.*; Piat, *Prælect. jur. regul.*, t. II, p. 239 sq.; Ojetti, *l. c.*; *Nouvelle revue Théologique*, t. XLII, 1910, p. 53 sq.

Quod autem spectat regulares extraneos celebrare cupientes in ecclesiis sui ordinis, « hujus rei cura, ut ait Bened. XIV, reservata est eorum Superioribus regularibus ». Const. *Quam grave*, § 12, in Bullario Bened. XIV, ed. Mechlin., t. XII, p. 168.

(1) Statutum illud prius latum fuit in *Congr. Prosyn.*, 27 Maii, 1879. Cfr. *Coll. Epist. Pastor.*, t. XIII, p. 219.

(2) Ita Bouix, *o. c.*, p. 291; Gasparri, *o. c.*, n° 372, qui addunt Episcopum, tanquam S. Sedis delegatum, hoc etiam posse imponere regularibus. Cfr. etiam Wernz, *l. c.* et *Nouv. Rev. Théol.*, *l. c.*

Attamen, ut notat P. Wernz (1), ne ex tali statuto justæ querelæ oriantur, Episcopi, secundum probatam praxim diversarum regionum, etiam Urbis, rectoribus ecclesiarum solent concedere facultates limitato tempore circumscriptas. Hæc praxis etiam apud nos admittitur, ut in statuto expresse dicitur: poterit nempe parochus alicujus stationis balnearis commendatitias peregrini sacerdotis per tres dies sufficientes habere, sed deinceps debebit eas rejicere nisi fuerint recognitæ ab Ordinario. Convenit vero ut ipse parochus onus in se suscipiat has litteras ad aulam episcopalem transmittendi.

II. **De obligatione admittendi peregrinos.**

Quæstio, ut patet, hic movetur tantum de iis exteris sacerdotibus, qui commendatitias Ordinarii sui habent vel aliunde apprime noti sunt, adeoque *admitti possunt*. Porro hic sedulo distinguendum est inter obligationem non interdicendi peregrino Missæ celebrationem et obligationem peregrinum admittendi. Jamvero:

1° Quod primum spectat: nemo, nequidem Episcopus impedire potest ne extranei Missam celebrent, ob eam *solam* rationem quod sint extranei. Nam sacerdotes dispositi et nullo impedimento detenti (ut supponuntur hic), ex sua ordinatione habent jus ad Missæ celebrationem, quam Ecclesia jubet aut suadet (2). Deinde si Episcopo talis esset potestas, potius esset in destructionem quam in ædificationem. Privaret enim Deum gloria, Ecclesiam militantem gratiis, animas in purgatorio existentes juvamine, illos ipsos presbyteros inæstimabili spirituali fructu (3). Posset tamen Episcopus extraneo (sicut alii cuivis sacerdoti) licentiam celebrandi recusare aut auferre si aliud motivum accedat, si nempe delictum grave supervenerit vel, in genere,

(1) *O. c.*, n° 532.
(2) Gasparri, *o. c.*, n. 373.
(3) Bouix, *o. c.*, p. 296.

si Episcopus scit fideles suæ diœcesis scandalum passuros esse, illo sacerdote celebrante (1). Illimitata enim data est a Conc. Trid. Episcopis potestas ad præcavendam quamlibet erga sacrosanctam Eucharistiam irreverentiam.

2° Sed ex hac sua competentia ad licite celebrandum alicubi in diœcesi aliena, sacerdos extraneus non obtinet jus ad celebrandum in determinata aliqua ecclesia nec valet *exigere* utensilia necessaria pro Missæ celebratione. Etenim, juxta canones, rectores ecclesiarum non tenentur ex *stricto jure* præbere utensilia sacra, nisi iis qui ratione officii in ipsorum ecclesiis celebrant.

Attamen parochus aut rector ecclesiæ, nisi graves habeat in contrarium rationes, negans sacerdoti extraneo sacra utensilia, quamvis non peccet contra justitiam, reprehensione foret dignus cum fraternam charitatem læderet, atque etiam, si nempe celebratio Missæ inde impossibilis evaderet, cultum Dei minueret (2). Poterit equidem, si ecclesia egestate laborat, pro pane, vino, cereis et sacris utensilibus alicujus taxæ solutionem *exigere,* juxta valorem expensarum (3).

---

(1) Optimo igitur jure statuit *Congregatio Prosynodalis,* 8 Maii 1883: « Nullus sacerdos extraneus, *etiamsi licentia celebrandi scripta munitus,* ad dicendam Missam admittatur, qui vestes sæculares unde a laïcis nequeat distingui, habitualiter defert ». *Collect. Epist. Pastor.,* t. XIV, p. 114. Cfr. etiam *Statuta,* P. I, tit. II, art. V, § 2, n. 14 et P. II, tit. III, § 5.

Vi generalium principiorum, etiam parocho competit potestas denegandi propter graves rationes licentiam celebrandi infra parochiam; sicuti v. gr. a sacra communione ita a celebratione Missæ peccatores publicos arcere potest. Speciali autem statuto, lato in *Congr. prosyn.,* 27 Maii 1879, monentur pastores nostrarum stationum balneariam, ut si quem clericum deprehenderint leviter aut mundaniter agentem, hunc post fraternam monitionem Episcopo denuntient. Cfr. *Coll. Epist. Pastor.,* t. XIII, p. 219.

(2) Gasparri, *l. c.*

(3) De jure naturæ æquum est ut omnes qui in aliena ecclesia celebrant taxam utensilium solvant, sed *lex ecclesiastica* quosdam casus excipit. Quod Missas adventitias et liberas attinet (ut solent esse Missæ quæ ab extraneis celebrantur), non una est sententia auctorum: juxta Bargilliat (*Præl. juris can.,* ed. 1913, n° 925) semper exigi potest taxa,

In iis vero omnibus, tum in admissione, tum in recusatione, prudentiæ parochi erit, sicut nimiam facilitatem, ita rigorem nimium devitare.

R. De Schepper.

---

juxta Gasparri, (*o. c.*, t. II, nº 672 sq.) tunc tantum quando ecclesia egestate laborat. Uterque invocat decisionem S. C. Concilii, 6 Juli 1726, in una *Derthonen.*; sed præferenda videtur sententia Gasparri, quippe quæ melius cum responsis S. C. C. anterioribus consonet atque auctoritate nitatur Benedicti XIV, qui tempore causæ *Derthonen.* munus secretarii S. C. C. gerebat (Bened. XIV, *Inst. Eccl.*, LVI, 13). Ita etiam sentit Feye, *l. c.*, n. 225.

Inde pro praxi deduci potest, in diœcesi nostra non immerito taxam exigi iis in locis quibus tam magno numero extranei sacerdotes confluunt ut æstimabile onus afferant fabricæ ecclesiæ.

LA DURÉE ET LE CARACTÈRE DU CARÊME ANCIEN DANS L'ÉGLISE LATINE

(Voir *Collat. Brug.*, t. XVIII, pp. 90 ss.; 311 ss.; 455 ss.; t. XIX, p. 193 ss.).

—

B. **La série des messes quadragésimales.**

Actuellement tous les jours du carême, depuis le mercredi des Cendres, ont une messe propre. Grâces à Dieu, les récentes réformes du bréviaire et du missel ont remis en honneur ces formulaires si riches et si suggestifs, monuments trop oubliés de la tradition liturgique, témoins séculaires des pensées et des sentiments qui animent notre Mère la Sainte Église.

Si les sources littéraires nous fournissent bien peu de détails sur l'origine, la portée et l'agencement des textes de la liturgie quadragésimale, les formulaires eux-mêmes peuvent nous révéler bien des choses sur leur histoire, leur destination et leur signification. Comparés entre eux et confrontés avec les textes primitifs, ils nous dévoilent notamment l'existence de diverses couches qui se sont superposées dans le cours des siècles et dont il sera peut-être possible, un jour, de fixer l'âge et la provenance.

Dans le but de contribuer à la solution de ce problème intéressant, nous voudrions faire valoir quelques considérations et quelques hypothèses que l'étude des textes et des auteurs nous a suggérées.

Le tableau suivant permettra au lecteur de suivre plus aisément les observations que nous désirons présenter.

Dénominations des jours	Désignation des Stationes ad:	Antiennes ad Communionem	Psaume du Tractu
1. In septuagissima	**S. Laurentium** (Bas.)	Ps. 30	129.
2. In sexagissima	**S. Paulum** (Bas.)	Ps. 42	59.
3. In quinquagissima	**S. Petrum** (Bas.)	Ps. 77	99.
4. Feria IIII	S. Sabina (Tit.)	Ps 1	102-7
5. *Jeudi*	*S. Georges*		
6. Feria VI	SS. Johannem et Paulum (Tit.)	Ps. 2	102 7
7. *Samedi*	*S. Tryphon*		
8. Quadragissima	**Lateranis** (Bas.)	Ps. 90	*90.*
9. Feria II	Vincula (Tit.)	Ps. 3 - *(Mat. 25)*	102-7
10. Feria III	S. Anastasia (Tit.)	Ps. 4	
11. **Fer. IIII mensi primi**	* **S. Maria** (Bas.)	Ps. 5	*24.*
12. *Jeudi*	*S. Laurent in paneperna*		
13. **Feria VI**	**Apostolos** (Bas.)	Ps. 6	102-7
14. **Sabbato in XII lectiones mense primo**	* **S. Petrum** (Bas.)	Ps. 7	*116.*
15. *Dimanche*	*S. Marie in Dominica*		
16. Feria II	S. Clementem (Tit.)	Ps. 8	102-7
17. Feria III	S. Balbina (Tit.)	Ps. 9	
18. Feria IIII	S. Cecilia (Tit.)	Ps. 10	102-7
19. *Jeudi*	*S. Marie au Transtévère*		
20. Feria VI	S. Vitalem (Tit.)	Ps. 11	102-7
21. Sabbato	SS. Marcellinum et Petrum (Tit.)	..... *Luc. 15*	
22. In Tricissima	**S. Laurentium** (Bas.)	Ps. 83	*112.*
23. Feria II	S. Marcum (Tit.)	Ps. 13	102-7
24. Feria III	S. Potentiana (Tit.)	Ps. 14	
25. Feria IIII	S. Syxtum (Tit.)	Ps. 15	102-7

Dénominations des jours	Désignation des Stationes ad :	Antiennes ad Communionem	Psaumes du Tractus
6. *Jeudi*	*SS. Côme et Damien*		
7. Feria VI	S. Laurentium in Lucine (Tit.)	..... *Joan. 4*	102-78.
8. Sabbato	S. Susanna (Tit.)	..... *Joan. 8*	
9. DOM. ANTE XXMA	**Hierusalem** (Bas.)	Ps. 121	*124.*
10. Feria II	Quatuor Coronatos (T.)	Ps. 18	102-78.
11. Feria III	S. Laurentium in Damasi (Tit.)	Ps. 19	
12. **Feria IIII in mediana**	* **S. Paulum** (Bas.)	..... *Joan. 9*	102-78.
13. *Jeudi*	*SS. Silvestre et Martin*		
14. Feria VI	S. Eusebium (Tit.)	(Ps. 21)-*Joan. 11*	102-78.
15. **Die sabbatorum in mediana**	* **S. Laurentium** (B.)	Ps. 22	
16. DOM. IN MEDIANA	**S. Petrum** (Bas.)	I Cor. 11	*128.*
17. Feria II	S. Crisogonum (Tit.)	Ps. 23	102-78.
18. Feria III	S. Cyriacum (Tit.)	Ps. 24	
19. Feria IIII	S. Marcellum (Tit.)	Ps. 25	102-78.
20. *Jeudi*	*S. Apollinaire*		
21. Feria VI	S. Stephanum (B.)	Ps. 26	102-78.
22. *Samedi*	*S. Jean ante Port. Lat.*		
23. DOM. INDULGENTIA	**Lateranis** (Bas.)		*21.*
24. Feria II	* SS. Nereum et Achileum (Tit.)	Ps. 24	102-78.
25. Feria III	* S. Prisca (Tit.)	Ps. 68	
26. **Feria IIII**	* **S. Maria** (Bas.)	Ps. 101	*101.*
27. **Feria IV quando crisma conficitur**	**Lateranis** (Bas.)	Joan. 13	
28. **FERIA VI**	* **Hierusalem** (Bas.)		*139.*
29. **SABBATO**	**Lateranis** (Bas.)		
30. **IN DOMINICO SANCTO**	**S. Maria** (Bas.)	I Cor. 13	

Dans le tableau qui précède nous avons donné les dénominations latines des jours et des stations d'après le plus ancien *Comes* ou lectionnaire de l'église romaine (1). Ce document a été publié et annoté par le R. Dom Germain Morin, qui s'est acquitté de cette tâche avec sa sagacité habituelle. D'après le savant auteur cette précieuse liste d'épitres « a chance de remonter au plus tard, à quelques années après Boniface IV, c'est-à-dire au premier quart du VIIe siècle » (2). Les indications que nous lui empruntons concordent d'ailleurs presque toutes avec celles de la plus ancienne liste connue des évangiles en usage dans l'église de Rome. Celle-ci aussi a été publiée et étudiée par le même savant Bénédictin (3) qui la date de 670-675 environ.

1° *Les messes postérieures au VIIe siècle.*

Le lecteur aura remarqué que les renseignements concernant certains jours sont donnés en français. C'est que ces données-là manquent dans les deux listes précédentes, comme dans tous les documents antérieurs au VIIIe siècle. Elles concernent a/ tous les jeudis; b/ le second dimanche du carême; c/ le samedi avant le dimanche des rameaux; d/ le samedi avant le premier dimanche du carême.

a/ Nous savons positivement que les *jeudis* du carême n'avaient pas de liturgie propre avant le VIIIe siècle. C'est le pape Grégoire II (715-731) qui a introduit les messes stationales des jeudis dans l'organisation liturgique du carême.

b/ Le *second dimanche du carême* suit immédiatement les jours des Quatre-Temps. La liturgie des Quatre-

---

(1) *Revue Bénédictine*, t. XXVII, 1910, pp. 41-74.

(2) *Revue Bénédictine*, t. XXVIII, 1911, p. 321.

(3) Dom G. Morin, *Liturgie et basiliques de Rome au milieu du VIIe siècle d'après les listes d'évangiles de Würzburg*, dans *Rev. Bénéd.*, t. XXVIII, 1911, pp. 296-330.

Temps comportait pour le samedi une vigile importante qui fit appeler ces samedis *sabbata in duodecim lectiones*. La vigile se terminant par une messe célébrée vers le matin du lendemain, les dimanches après les Quatre-Temps étaient appelés généralement des *Dominicæ vacat*. Lorsqu'on anticipa plus tard les cérémonies de la vigile, il fallut bien donner une messe spéciale à ces dimanches comme aux autres. Ces messes, on les a généralement composées de pièces liturgiques déjà utilisées à d'autres jours.

Dans le cas qui nous occupe, l'évangile est celui du samedi précédent; l'épître, elle aussi, était lue ce même samedi comme quatrième leçon, à Rome, avant qu'elle ne fût remplacée par la péricope tirée de Daniel ch. III, que la liturgie gallicane faisait lire à tous les samedis des Quatre-Temps; de plus, l'introït, le graduel, l'offertoire et la communion sont repris du mercredi précédent; enfin, quant aux oraisons: la collecte se retrouve parmi les « orationes quotidianæ » du sacramentaire gregorien, la secrète au IVe dimanche du carême, et la postcommunion au dimanche de la sexagésime (1).

c/ Le *samedi avant le dimanche des rameaux* est resté, lui aussi, très longtemps un jour aliturgique. Ce samedi était consacré par le Pape a de larges et solennelles distributions d'aumônes, en souvenir, dit-on, du précieux enseignement que Notre Seigneur nous avait donné en ce jour — le sixième avant le Pascha ancien — lorque la Madeleine avait oint les pieds du Sauveur: « pauperes semper habetis vobiscum, avait dit Jésus, me autem non semper habetis ». (Joan. XII, 8) (2). Aussi dans

---

(1) C'est d'après un procédé tout à fait analogue qu'on a combiné le formulaire de la messe du 4e dimanche de l'Avent, suivant immédiatement les Quatre-Temps de décembre. L'arrangement du formulaire de la *Dominica vacat* après les Quatre-Temps de septembre est plus compliqué, mais on en retrouve des traces dans notre missel actuel.

(2) Dans notre missel actuel, et déjà dans le *Capitulare evangeliorum* de Wurzbourg, du VIIe siècle, cet évangile a été assigné au lundi de la

le manuscrit du sacramentaire grégorien qui servit de base à l'édition de Pamelius, ce samedi est intitulé : « Sabbatum *vacat.* Dominus Papa eleemosynam dat. ad S. Petrum ». Cette indication doit être primitive; il n'y avait donc pas de messe pour ce samedi.

Mais vers le VIIIe siècle on combina un formulaire d'après la méthode suivie pour le second dimanche du carême. L'évangile raconte, d'après S. Jean (XII, 10-36), l'entrée de Jésus à Jérusalem : c'est l'équivalent de l'évangile de la procession des rameaux du lendemain ; l'épître est une sorte de continuation (Jérem. XVIII, 18-23) de l'épître de la veille (Jérem. XVII, 13-18); toutes les autres pièces sont également reprises de la veille, excepté les quatre oraisons : celles-ci sont assignées, dans le sacramentaire Gélasien (1) au lundi de la 4e semaine du carême (2); mais elles sont données dans l'édition de Muratori du sacramentaire Grégorien, au « *Sabbatum, ad S. Petrum, quando eleemosyna datur* ».

d/ Enfin le *samedi avant le premier dimanche* du carême n'avait pas de liturgie au VIIe siècle parce qu'il ne faisait pas encore partie de la « Quadragesima ». Ce n'est que le lendemain qu'on arrive au « Caput quadragesimæ ». Le mercredi et le vendredi, il est vrai, étaient déjà des jours de jeûne et avaient leur liturgie propre; le mercredi était peut-être déjà le « *Caput jejunii* », mais ces jours étaient primitivement une simple préparation prochaine à la quarantaine sacrée. Nous n'en voulons d'autre preuve, pour le

---

Semaine Sainte, le *sixième* jour avant le *Pascha Resurrectionis :* cette assignation date donc d'une époque où le mot Pascha avait déjà dévié de sa signification primitive.

(1) Le sacramentaire Gélasien intitule ce samedi *Feria VII, hebdomada quinta,* mais les cinq oraisons qu'il donne sont différentes de celles du Grégorien et de notre missel actuel.

(2) Le transfert de ces oraisons semble avoir été la conséquence d'un changement dans l'ordre des scrutinia préparatoires au baptême. Voir *Diction. d'Archéol. et de liturgie,* v° *Catéchuménat* (D. P. DE PUNIET) col. 2609.

moment, que la secrète du mercredi, telle qu'elle est donnée dans le sacramentaire gélasien :

« Fac nos quæsumus Domine his muneribus offerendis convenienter aptari : quibus ipsius *venerabilis sacramenti* (1) VENTURUM celebramus EXORDIUM.

Lorsque, plus tard, le mercredi des cendres eût été considéré comme l'ouverture du carême, on supprima le mot *venturum,* et c'est sous cette forme rajeunie que nous trouvons la formule dans le sacramentaire grégorien et dans notre missel actuel.

Au cours du VIIIe siècle, quand on voulut combler les dernières lacunes de la liturgie quadragésimale, on donna à ce « Sabbatum *infra quinquagesimam* », comme l'appellent encore les sacramentaires gélasien et grégoriens, une messe propre. L'évangile nous montre, d'après S. Marc, le Sauveur marchant sur la mer et apaisant la tempête; les oraisons se trouvent dans l'édition du sacramentaire grégorien de Pamelius, mais non dans celle de Migne; l'oraison super populum, est une des seules où il soit fait explicitement allusion à la Sainte Communion : elle n'est autre que la post-communion du dimanche de la Septuagésime. L'épitre est la continuation immédiate (Isaïe, 58, 9-11) de celle de la veille (Isaïe, 58, 1-9), et toutes les autres pièces sont reprises de la messe du même vendredi précédent.

Le procédé d'après lequel le formulaire de ces trois jours a été combiné semble le même dans les différents cas. Pourrait-on en conclure à une origine probablement commune?

2° *Les messes stationales dans les basiliques.*

Dans la colonne des stations, nous avons fait suivre le nom des églises déjà désignées au VIIe siècle, d'une parenthèse qui indiquera au lecteur s'il s'agit d'une des grandes basiliques romaines (Bas.) ou d'une des

(1) Voir plus haut, p. 206.

25 églises paroissiales de Rome désignées sous le nom de *tituli* (Tit.).

Cette distinction a son importance et nous permet, d'après les judicieuses observations de Dom Morin (1), de dégager le noyau primitif de la liturgie quadragésimale.

Remarquons d'abord les stations des basiliques. Elles sont imprimées en **caractères gras** dans le tableau.

Nous relevons successivement Saint-Jean de Latran, Sainte-Marie-Majeure, les Saints-Apôtres, Saint-Pierre, Saint-Laurent, Saint-Paul, Sainte-Croix-en-Jérusalem : ce sont les grandes et anciennes basiliques de la Rome chrétienne. Seule la basilique de Saint-Etienne est de rang secondaire et d'origine plus récente : elle ne doit sa fondation qu'au pape Simplicius (468-483) : c'est une exception sur laquelle nous aurons à revenir.

Les grandes basiliques romaines étaient dès les IVe-Ve siècles, les principaux centres de la liturgie à Rome. Là se réunissait dans la mesure du possible, tout le peuple fidèle aux jours des grandes solennités liturgiques. De même que nous savons que les Papes Libère (352-366) (2), Célestin I (412-432) (3), et S. Léon I (440-461) (4), célébraient la fête de Noël à Saint-Pierre, ainsi des témoignages anciens nous attestent que dès le IVe siècle les solennités du premier dimanche du carême et du Jeudi Saint avaient lieu à S. Jean de Latran (5).

A quels jours la station quadragésimale se tient-elle dans ces grandes basiliques ? a/ Tous les dimanches ; b/ les trois jours des Quatre-Temps ou du *jejunium mensis primi ;* c/ les quatre derniers jours de la Semaine Sainte ; d/ enfin les mercredi et samedi de la quatrième semaine *in mediana*.

---

(1) *Rev. Bénéd.*, t. XXVIII, 1911, p. 323 ss.

(2) S. Ambroise, *De Virginibus*, III, 1. (*Opera*, ed. Maurin, t. II, c. 714).

(3) Migne, P. L., t. I, c. 544.

(4) *Sermo* XXVII, *De Nativitate* (Migne, P. L., t. LIV, c. 218).

(5) *Revue Bénédictine*, 1911, p. 324 ; voir plus haut, p. 200.

Il nous a suffi de grouper ces jours pour qu'il saute aux yeux que ce sont précisément les jours qui doivent avoir été, les premiers, dotés d'une liturgie propre.

a/ Le fait ne peut être douteux pour les *dimanches* du carême. Nous n'y insistons pas. Nous aurons d'ailleurs à expliquer plus tard les dénominations numériques données aux dimanches avant Pâques depuis la Séptuagésime. Nous espérons pouvoir fournir une explication plus plausible que celles qu'on a généralement tentées jusqu'à ce jour.

b/ L'origine des *Quatre Temps* remonte très haut dans la liturgie locale de Rome (1). Il est bien possible que primitivement il n'y ait eu que « Trois-Temps » et que le *jejunium mensis primi* ou les Quatre-Temps du carême ne soient pas aussi antiques que ceux des trois autres saisons. Mais ils existaient certainement au temps du pape Gélase I qui les compte parmi les époques d'ordinations (2), et de S. Léon (3), qui en parle dans ses sermons. Les termes dont il se sert insinuent qu'on les célébrait de la même manière que ceux des autres saisons.

c/ Durant la *Semaine Sainte,* les trois derniers jours étaient celébrés depuis la plus haute antiquité. Quant au mercredi, il doit avoir eu ses réunions liturgiques bien avant S. Léon: les sermons de ce pape sur la Passion furent prêchés en partie le dimanche des Rameaux, en partie le mercredi suivant (4).

d/ La *quatrième semaine* du carême était certainement, après les deux semaines dont nous venons de parler, la

---

(1) Voir D. G. Morin, *L'origine des Quatre-Temps, Revue Bénédictine,* t. XIV, 1897, p. 337-346; A. de Waal, *Geist und Geschichte der Quatember,* dans *Der Katholik,* t. XLIII (1911), p. 401-411; t. XLIV (1911), p. 37-55.

(2) Gélase, Ep. ad episc. Luc., c. 11 (Migne P. L., t. LIV, col. 47).

(3) S. Léon, *Sermo* XIX, c. 2 (Migne, P. L., t. LIV, c. 186) *de jejunio decimi mensis, VIII; Sermo* XLII, *de Quadragesima IV,* n. 6, (étant admis que le texte soit authentique; Migne, c. 281).

(4) *Sermones de Passione Domini* (Migne, P. L., t. LIV, c. 313-384).

période la plus importante dans l'ancienne liturgie de Rome. Nous savons par les témoignages des papes Pélage I (556-561) et Gélase I (492-495) qu'elle portait un nom spécial « *mediana* », que nous tâcherons d'expliquer plus tard; et que le *samedi* de cette semaine, tout comme les samedis des Quatre-Temps, était — comme il l'est encore — un jour usuel pour les ordinations sacerdotales. En outre, c'est le *mercredi* de cette semaine qu'avait lieu le grand scrutin des *electi* qui se préparaient à recevoir le baptême le Samedi Saint.

On peut remarquer enfin que les féries qui appartiennent au groupe de la liturgie basilicale, avaient au VIIe siècle et ont, pour la plupart, gardé jusqu'à nos jours, deux ou plusieurs lectures avant l'évangile (1). C'est là, on le sait, un signe d'importance et d'antiquité, sur lequel nous aurons d'ailleurs à revenir au sujet du Tractus. Dans le tableau, nous avons marqué d'une astérisque tous les jours auxquels le *Comes* du commencement du VIIe siècle assigne au moins deux « lectiones ».

Ces quelques indications peuvent suffire, pour le moment, à faire voir que les jours du carême où la station avait lieu dans les grandes basiliques étaient précisement les jours dont la célébration est attestée par les témoignages les plus anciens, et dont la liturgie devait être la plus solennelle et présenter un caractère assez nettement tranché.

Ils constituent donc, à n'en pas douter, le noyau primitif de la liturgie quadragésimale ayant un formulaire propre et plus ou moins fixe.

(A suivre).

C. Callewaert.

---

(1) Il n'y a d'exception que pour le vendredi des Quatre-Temps. Il n'a d'ailleurs qu'une seule lectio aux trois autres périodes des Quatre-Temps.

S. Congregatio S. Officii

(Sectio de Indulgentiis).

DECRETUM

De indulgentiis et privilegiis expositioni sanctissimi Sacramenti adnexis (1).

Augetur in dies, auspicatissimo fervore, fidelium desiderium, publice expositum adorandi SSmum Eucharistiæ Sacramentum, eadem mente qua jam vetus, a XL Horis nuncupatum, institutum almæ Urbis ordinatur, et non dissimili apparatu. Attamen plurimæ solent ad Apostolicam Sedem supplicationes porrigi, ut a Clementinæ, quam vocant, Instructionis, ad rem datæ, nonnullis conditionibus dispensetur, pro rerum locorumque adjunctis, præsertim vero ut nocturno tempore oratio et expositio ipsa interrumpatur, sive consuetis servatis indulgentiis ac privilegiis, sive novis peculiaribus attributis. Hisce mature consideratis SS. D. N. Pius div. prov. Pp. X, quamvis summopere exoptet ut res jugiter ad tramitem Clementinæ Instructionis componatur, majori tamen prospicere volens fidelium emolumento, et ampliori cupiens animarum in Purgatorio degentium providere suffragio, plurimorum inclinatus sacrorum Antistitum voto, de Emorum Patrum Cardinalium Generalium Inquisitorum consulto, feria V die 22 januarii 1914, ita decernere ac indulgere dignatus est:

I. Confirmantur indulgentiæ, quæ per s. m. Pium Pp. IX, die 26 novembris 1876, pro Urbanis XL Horarum, vel ad earum tramitem ubilibet habendis, expositionibus determinatæ sunt, ac privilegia altarium, per s. m. Pium Pp. VII, die 10 maii 1807, concessa.

II. Permittitur tamen ut ubi exercitium XL Horarum,

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1914, t. VI, p. 74 sq. Cfr. supra, hoc tomo, p. 188 ss.

judice R^mo loci Ordinario, fieri nequeat prout ab Instructione Clementina exigitur, sit satis, ad effectum indulgentiarum et privilegii obtinendum, primo die sanctissimum Sacramentum, quacumque hora matutina, vel circa meridiem, publicæ venerationi in ostensorio exponere, et perdurante ipso die et per diem alterum ejusmodi expositione, die tertio, meridie aut de sero, Idem deponere, quamvis noctu expositio interrumpatur.

III. Si aliquibus precibus vel exercitiis, quæ a memoratis differant, sive publice sive privatim in ecclesiis vel oratoriis quibuslibet peragendis, eadem adnexa sunt indulgentiæ ac privilegia quæ sub n. I citantur, quomodocumque concessa fuerint, penitus abrogantur.

IV. Ubi continua habetur almi Sacramenti solemnis item in ostensorio expositio, saltem per mensem, etiamsi de nocte interrupta, plenariam christifideles, confessi ac s. Synaxi refecti, et ad mentem Summi Pontificis pie orantes, indulgentiam assequi valeant, semel tantum in singulis hebdomadis; septem autem annorum et totidem quadragenarum, in alia quacumque, corde saltem contrito, peragenda visitatione. Celebrantibus vero sacrosanctum Missæ sacrificium in eadem ecclesia vel oratorio, privilegio altaris, in defuncti alicujus levamen, die quolibet gaudendi esto potestas.

V. Quotiescumque demum diverso modo provisum minime sit de aliqua indulgentia acquirenda, pro quavis alia venerabilis Eucharistiæ palam expositæ visitatione, tribuitur, quoties hæc, corde saltem contrito, peragatur, indulgentia septem annorum totidemque quadragenarum.

VI. Omnes prædictæ indulgentiæ, per modum suffragii, animabus in Purgatorio degentibus, ad cujuslibet christifidelis arbitrium, applicari possunt.

Præsenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† D. Archiep. Seleucien., *Adsessor S. O.*

S. Congregatio Rituum

I

VERSALIEN. (1)

De Baptismo extra ecclesiam collato.

Rmus Dnus Episcopus Versaliensis sequentes quæstiones de administratione Baptismi a sacra Congregatione Sacramentorum ad sacrorum Rituum Congregationem transmissas pro opportuna solutione humillime proposuit:

I. An, in administratione Baptismi, quando imminet periculum mortis, post infusionem aquæ, urgeat sub gravi Ritualis Romani præscriptum quoad unctionem Chrismatis, traditionem linteoli et cerei?

II. Quum in Versaliensi diœcesi et, uti fertur, nonnullis circumstantibus locis, obsoleverit usus addendi hos ritus in casu enunciato, nonne curandum est ut isti ritus stricte adimpleantur, et sacerdos in casu sanctum Chrisma, linteolum cereumque secum deferre atque adhibere debeat?

III. An, quando extra casum necessitatis, quum Ordinarius ob rationes ipsi expositas, licentiam concesserit administrandi domi Baptismum, urgeat præscriptio Ritualis explendi ritus unctionis Chrismatis et traditionis linteoli et cerei?

Et sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicæ suffragio, omnibus accurate perpensis, respondendum censuit:

Ad I et II. Standum Rituali Romano.

Ad III. Detur Decretum Bellunen. 17 januarii 1914.

Atque ita rescripsit die 23 januarii 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

---

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1914, t. VI, p. 75.

II

DUBIA (1)

De festo Dedicationis et de Octavis.

A sacra Rituum Congregatione, pro opportuna declaratione reverenter expostulatum est, nimirum.

I. An Festum anniversarium Dedicationis omnium ecclesiarum alicujus diœceseos ita sit intelligendum, ut, ob enunciatum Festum, singulæ ecclesiæ suam propriam Dedicationem celebrent?

II. An reviviscant Octavæ de jure vel ex privilegio concessæ Festis a die 19 ad diem 23 decembris occurrentibus, quum ipsæ deinceps a Festo Nativitatis D. N. J. C. haud amplius impediantur?

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem, subscripti Secretarii, omnibus mature perpensis, respondendum censuit:

Ad I. Affirmative: nempe ut in singulis ecclesiis consecratis agatur Festum Dedicationis propriæ ecclesiæ (2).

Ad II. Affirmative.

Atque ita rescripsit, die 12 februarii 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus*.
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret*.

---

(1) *Ibid.*, 1914, t. VI, p. 76.

(2) Non ergo intelligendum ac si in singulis ecclesiis celebraretur memoria anniversaria dedicationis *ceterarum* etiam diœceseos ecclesiarum. Merito ergo non celebratur hoc festum in ecclesiis non consecratis.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Dr J. Th. Beysens *Ethiek of natuurlijke zedenleeer*. I. Algemeene ethiek. Théonville, Leiden, 1913. In 4, 773 bl. F. 13.

De Zgl. Hoogleeraar in de wijsbegeerte bij de Rijksuniversiteit te Utrecht, geeft ons hier 't vervolg van zijne welbekende en hooggeprezene werken over de geheele wijsbegeerte. Zware vrucht van grondige studie en overvloedige belezenheid. Dit werk zal een kostelijk hulpmiddel zijn voor alwie de algemeene zedenleer wil doorgronden en de hedendaagsche opvattingen en stellingen zoekt te kennen en naar weerde te schatten. In zijne Inleiding gaat Dr B. in tegen het agnosticisme dat alleen van positieve zeden-wetenschap wil hooren, en toont aan dat zonder behulp der metaphysica of moraal-philosophie geen volledig begrip en verklaring der zedelijkheids-werkelijkheid kan gegeven worden. Daarna handelt hij opvolgentlijk, Hoofdstuk I, over de bepaling der algemeene zedelijkheidsbegrippen, zeden en zedelijkheid, goed en kwaad, het einddoel en 't geluk in de moraal; Hoofdst. II, over de objectieve of materieele zedelijkheid, waar hij het juiste begrip van zedelijkheidsregel vaststelt en alle tegenovergestelde stelsels uiteenzet en beoordeelt om dan de eigenschappen der objectieve zedelijkheid, algemeenheid, noodzakelijkheid, onveranderlijkheid en verplichting te verklaren en te bewijzen; Hoofdst. III, over de subjectieve of vormelijke zedelijkheid, art. 1, de goede wil, 2, de bronnen der « zedelijkheidsqualificatie », 3, het geweten, 4, wilsvrijheid en zedelijkheid, 5, beradenheid en zedelijkheid, 6, neigingen en hartstochten, 7, natuurlijke en ethische deugd, 8, gevolgen van vormelijk-zedelijk en-onzedelijk handelen; Hoofdst. IV, over moraal en godsdienstig of openbaringsgeloof; Hoofdst. V, over recht. Stippen wij hier enkele bijzonderheden aan. Schrijver verwerpt het onderscheid welk de moraaltheologen maken, en zooals het door hen wordt begrepen, tusschen *voluntarium directum* en *indirectum*. Voor hem alles wat « wetens » gedaan wordt, is rechtstreeks gewild. Indirect gewild is alleen datgene wat feitelijk « onwetens » wordt gedaan, zoo echter dat het moet aangerekend worden als ware het vrijgewild, omdat de onwetendheid zelf ethisch-schuldig is (1). Hij stelt verder eene nieuwe bewoording voor om het beginsel der « unica causa cum duplici effectu » uit te drukken (2); aanveerdt niet dat er, ook in abstracto, zedelijk-onverschillige daden zijn (3); wenscht de « terminologie » certitudo moralis [late dicta] te zien veranderen in « certitudo practica » of « certitudo probabilis » « waar-

(1) Zie bl. 432, nota 1; 435, 437, 511, 517. Bl. 515: abortus præmaturus (?)
(2) Zie bl. 460, nota 1.
(3) Bl. 470.

schijnlijkheidsovertuiging »; « conscientia certa » in « conscientia (ad unum) determinata » (1). In de oplossing van den positieven gewetenstwijfel aanveerdt hij als regel dat, waar men de waarheid niet met zekerheid kan achterhalen, men moet op die wijze handelen waarop men de waarheid zoo dicht mogelijk benadert (2), enz. Bij gelegenheid zullen wij op die meeningen terugkeeren. Wij wenschen den Schrijver veel lezers, en aan de lezers veel aanhoudendheid om dit boek door te studeeren: men mag het immers wel betreuren dat in tekstschikking en in zinbouw niet meer gestreefd werd naar aangenaam voorkomen en gemakkelijke lezing.

A. LEGRAND.

Renaudin. *Questions théologiques et canoniques*. Paris, Tequi, 1913, p. 209.

Hanc dissertationum seriem priorem brevi excipiet altera. En autem tituli dissertationum hujus seriei: Le dogme de l'Eucharistie; l'hérésie de Bérenger; étude sur la formation ascétique de St Thomas d'Aquin; l'action de la vie religieuse dans l'Eglise; la nomination aux bénéfices ecclésiastiques et l'indult du parlement du Paris.

Sufficiat attingere primam dissertationem, quæ amplitudine et materiæ momento eminet. Nitidè exponuntur fata hæresiarchæ ejusque errores circa dogma eucharisticum. Culmen erroris fuisse in negatione præsentiæ realis ostendit A. ex documentis coævis, notatim ex epistolis ad ipsum a contemporaneis auctoribus directis, necnon ex formulis Conciliorum quibus subscribere debuit Berengarius. Nimirum, vestigiis inhærens Scoti Erigenæ, præsentiam eucharisticam reducebat ad præsentiam Christi Domini in symbolo, non secus ac sacramentarii qui postea eamdem hæresim proposuisse noscuntur. Insurgebat potissimum contra doctrinam Paschasii Radberti (3), abutendo æquivocis nonnullis expressionibus a Rabano Mauro et maxime a Ratramno usurpatis; ipsum autem præ cæteris impugnaverunt Lanfrancus et Durandus Truarnensis (4). Postquam iteratis vicibus convictus, errorem suum agnoverat et retractaverat, illumque, pro fallaci suo ingenio, iterum successive reassumpserat, variis adhibitis artificiis, tandem, anno 1088, in pace Ecclesiæ quievit nonagenarius.

Durieux. *Les Dispenses matrimoniales. — Étude historique, théorique et pratique*. Le Puy, 1913, p. 166.

Hunc de dispensationibus matrimonialibus tractatum lectoribus libenter commendamus, utpote qui doctrinam simul et praxim huc spectantem

(1) Bl. 482, nota 2.

(2) Bl. 492 vv.

(3) Cf. apud *Revue des Sciences philos. et théologiques*, 1914, p. 81 ss., JACQUIN, *Le « De Corpore et Sanguine Domini » de Paschase Radbert*.

(4) Cf. HEURTEVENT, *Durand de Truarn et les Origines de l'hérésie bérangarienne*, Paris, Beauchesne.

præclare proponit, materia in duplicem partem distributa, cui per modum introductionis opportune præmittitur notitia historica. In altera potissimum parte, ubi de procedura in dispensationis negotio, expertem et usu peritum sese prodit A.

Ad minutiora descendendo: Suprà, hoc tomo, p. 57 ss., jam cum lectoribus communicavimus tenorem decreti nondum in Commentario Officiali vulgati, et in præsenti opella, p. 108 s., inserti. P. 65, contra plures, docet A., in textu calamo correcto, Episcopum proprium in ordine ad dispensandum esse Episcopum domicilii vel *mensilis commorationis* (non quasi-domicilii), invocando, in nota, auctoritatem Secretarii S. C. de Sacr., in privata communicatione ipsi facta, die 10 Dec. 1912. Pariter, p. 130, notat eadem auctoritate nitens, nuntium telegraphicum de concessa dispensatione censeri factum *ex officio*, quando « l'agent diocésain télégraphie que la Congrégation des Sacrements vient d'accorder la dispense demandée ».

Communiorem doctrinam amplectitur A., p. 135 s., ad valorem scil. dispensationis requiri, ex parte dispensandi, *acceptationem*, quæ utique sufficit implicita, contenta scil. in consensu præstito ad dispensationis petitionem. Inhæsitanter etiam admittit Episcopum posse, ad tramites dictorum apud *Collat. Brug.*, t. XII, p. 407 ss., coll. p. 387, et conformiter ad praxim in diœcesi Brugensi vigentem, confessariis etiam non parochis delegare potestatem suam ordinariam pro casu urgenti, in ordine ad dispensandum super affinitate illicita et criminis impedimento, non attentis restrictionibus pro communicanda potestate delegata in *Pagella* insertis.

Quod spectat *Introductionem historicam*, nimium inhærere videtur A. vestigiis Esmein, quem immeritò, ut opinamur, sequitur ubi cum ipso ita concipit œconomiam dispensationis, quæ viguerit ante sæculum XI, quasi reduceretur exercitium dispensationis ad exercitium potestatis *mere disciplinaris*, quatenus Ecclesia mere abstinuerit a puniendo delicto contra legem patrato.

A. De Smet.

Anthologie des maitres religieux contemporains, Janin Frères, Lyon.

1. Chanoine **Perruchot.** Quatre motets à 2 voix inégales: *Ave Maria*. F. 1,75; *O Salutaris*. F. 1,00; *Tantum ergo*. F. 1,35; *Tu es Petrus*. F. 1,00.

2. **L. Saint-Requier.** Salut bref à 2 voix égales: *O Salutaris, Beata Mater, Tu es Petrus, Tantum ergo, Laudate Dominum*. F. 2,50.

3. **G. Berruyer.** Deux motets grégoriens à la T. Ste Vierge à 2 et 3 voix égales ou mixtes: *Ave Maris stella, O Gloriosa*. F. 1,35 chacun.

4. L'abbé **Brun.** Petit Mariale: *O Maria, Mater pia* à

2 voix égales; *O Virgo pulcherrima*, cantilène à 2 chœurs; *Ave mundi regina*, à 2 voix égales; *Mater Christi*, Noël latin à 2 voix égales; *Ave Maria*. à 2 voix égales; *Virgo clemens*, cantilène à 2 voix égales. F. 2,50.

5. **S. G. Mgr Foucault.** Royal salut: *Ad Christum regem; Oremus pro antistite nostro* à 3 voix mixtes; *Christo regi*, soli, tutti et chœur; *Tantum ergo*. Accompagnement par l'abbé Brun. F. 1,75.

Nous nous plaisons à recommander ces compositions qui se distinguent par leur caractère religieux et artistique. L'écriture musicale est originale et élégante. Le nom des auteurs est le garant de la valeur de ces pièces, qui sont d'une exécution facile.

Abbé **Brun.** *Chants de la Messe*. Accompagnement à 3 parties. I. Ordinaire de la Messe. *Messe de la T. Ste Vierge* (cum jubilo). F. 1,50. II. Propre de la Messe. *Messe de l'Épiphanie*; *Messe du S. Nom de Jésus*. F. 1,50 la Messe. Lyon, Janin Frères.

Abbé **Brun.** *Les Hymnes des Vêpres* d'après l'édition Vaticane. Accompagnement à 3 parties. F. 3 Lyon, Janin Frères.

Ad. De Graeve. *Missa Benedicamus Domino*, à trois voix mixtes (alto, tenor, et basse) et accompagnement d'orgue, composée à l'occasion du Jubilé de 50 ans de prêtrise de Mr le chanoine Naeghels. Édition de la *Musica Sacra*, Gand.

Cette messe, d'une facture solide et d'un travail fouillé, est construite sur trois thèmes: le *Benedicamus Domino* ou 1er *Kyrie* de la *Missa in Dominicis;* le *Christe* de la même Messe; le *Benedicamus Domino* de la *Missa de Angelis*. L'auteur en a fort judicieusement tiré parti, les adaptant avec art au caractère des diverses parties de la Messe, les développant et les transformant avec beaucoup de goût et de variété. Nous recommandons bien volontiers cette messe aux maîtrises qui disposent de voix exercées et d'un accompagnateur habile.

A. De Meester.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Maii.

—

I

Mutuo compara narrationem Mc. XV, 47 — XVI, 1 cum Lc. XXIII, 54 — XXIV, 1 : utraque enim narratio sibi contradictoria videtur, quum Mc. emptionem ideoque et præparationem aromatum a mulieribus reponat *post* transactum diem sabbati, Lc. vero *ante* diem sabbati. Quomodo hæc concilianda sunt ?

II

An methodus immanentiæ legitime nititur doctrinæ catholicæ de necessitate gratiæ actualis internæ.

III

Supposita notione *contractus* (cf. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 23 s.) breviter explica quasdam contractuum *divisiones*, nimirum :

a/ In unilaterales et bilaterales, onerosos et gratuitos, consensuales et reales, solemnes et simplices, nominatos et innominatos ;

IV

b/ In explicitos et implicitos, vestitos et nudos, puros et qualificatos, fraudulentos, et tandem læsivos.

V

Quid in classica definitione legis ex S. Thoma desumpta significant verba « ordinatio rationis » ?

VI

Quomodo celebranda est et quandonam prohibetur missa votiva « pro sponso et sponsa » ?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

Id. *Tractatus de Casibus reservatis necnon de sollicitatione et absolutione complicis*, in-8, XVI-222 p. Brugis, 1914. Pretium 2,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

De Brabandere-Van Coillie. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium.* Editio octava, curante A. De Meester. T. I, pars prior. Brugis, Desclée et Soc., 1913, in-8, 425 p.

***

Is verschenen: **KERKZANGBOEKJE** ten behoeve van de schoolkinderen en van het christen volk. 2e vermeerderde uitgave, bevattende gezangen voor de Mis, het Lof en de Vespers, 72 bl.

Prijs (*netto*, verzendings- en inningskosten niet inbegrepen). 1 tot 10 ex., 0,25 fr. — 10 tot 25 ex., 0,20 fr. — 25 en meer 0,15 fr.

Te verkrijgen bij Z. E. H. De Meester, leeraar Groot Seminarie, Brugge.

Het boekje wordt verkocht ten voordeele van de Missiën.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XIX, pag. 25).

—

In præcedentibus doctrinam de singulis donis Spiritus sancti, ex Principibus Scholæ haustam, exposuimus; deinde propriam naturam ac indolem contemplationis divinæ explicavimus.

Nunc jam, uti promisimus, doctrinam mysticam, de usu et functione donorum *in contemplando,* ipsius Rusbrochii interpretari conabimur. Nemo forte ipso abundantius atque altius rem pertractavit, sed non diffitemur commentarii in ejus scripta difficultatem ingentem nobis videri.

Ad viam sternendam quædam præmittenda ducimus.

Primo, constanter ante oculos versetur oportet doctrina jam exposita de septem donis, quam quidem Dionysius Carthusiensis, tam accurate quam concinne, paucissimis verbis in compendium contraxit, dicens (1): « Septem donorum Spiritus sancti, primum, videlicet donum sapientiæ, concernit viam unitivam seu perfecto-

(1) In opusc. *De triplici via,* a nobis edito hoc tomo, pag. 81 et sqq. et p. 153 et sqq.

riam, quia directe spectat ad caritatem, ratio namque sapientiæ in sapore atque sincerissima affectione perficitur, quoniam per eam habemus rectum judicium de divinis et supernaturalibus per connaturalitatem quamdam et gustum, non per nudam notitiam. Alia insuper tria dona, videlicet, scientia, intellectus, consilium ad viam illuminatoriam attinent. Fortitudo vero et pietas inquantum concernunt expeditasque faciunt virtutes morales et practicas, ad viam purgatoriam pertinere noscuntur. Donum vero timoris duplicem actum sortitur: primus est a malo recedere, sic viam purgatoriam respicit; secundus est Deum revereri, sicque perseverat in patria et erat in Christo quem Spiritus timoris Domini adimplevit, et ita viam unitivam concernit. Secundum quem modum in Ecclesiastico legitur: Timor Domini super omnia se ponit (1); et nichil dulcius quam timere Deum (2). »

Ex hac doctrina constat dona omnia et singula ordinem quidem habere et quodammodo disponere ad vitam perfectam unionis contemplativæ cum Deo; ea vero singula esse dispositiones ad ipsam contemplationem eo propiores quo sunt digniora: siquidem minus digna vitam externam atque activam proxime respiciunt, præcelsiora ad vitam internam ac contemplativam pertinent.

Ex eadem doctrina quoque apparet, quod equidem per se manifestum est, sola dona intellectualia, nempe scientiæ, consilii, intellectus et sapientiæ, esse posse principia elicitiva contemplationis. Utrum vero ista omnia quatuor reipsa sint elicitiva contemplationis, imo vero utrum ad vitam contemplativam, anvero ad activam aliqua ex iis sint referenda, non omnino consentiunt Doctores mystici, ut vidimus, sed pro diverso suo conceptu diversisque functionibus horum donorum, alii plura, alii pauciora ex his ut subjecta contemplatio-

(1) *Eccli.*, XXV, 14.
(2) Ibid., XXIII, 37.

nis agnoscunt, vel et quædam ex iis ad vitam activam potius referunt.

Hisce non immorabimur, sed solam doctrinam B. Rusbrochii nunc considerabimus.

Jamvero Rusbrochius, ex his quatuor donis intellectualibus, donum scientiæ ad vitam virtuosam externam ac activam potius refert, ut de dono scientiæ agentes satis fuse ostendimus (1), restant ergo tria reliqua consideranda, et primo quidem donum consilii, quod est inter tria infimum dignitate.

Doctrina Rusbrochii de dono consilii.

Rusbrochii mentem circa donum consilii suo loco jam partim expositam (2), huc remisimus (3) complendam, quatenus ad sublimiora sese attollit admirabilis Contemplator, excellentiores functiones hujus doni in contemplando explanans.

Agitur potissimum de interpretando textu libri *Regnum Deum amantium,* cap. XXV et sqq. Hunc textum presse sequemur (4), adjecto commentario plerumque desumpto ex ipsa doctrina Rusbrochii supra diversis in locis exposita.

Jam (5) citavimus initium ejusdem textus, scilicet capitis XXV, ubi primo exponitur quomodo dono fortitudinis succedit ordine dignius consilii donum: hoc enim, ut dirigens, combinatur, quemadmodum vidimus (6), cum dono fortitudinis, ut exsequente; ex quo fit ut Rusbrochius et hoc fortitudinis donum ad vitam contemplativam (7) referat, idque non immerito, sub

---

(1) Tom. XVIII, pag. 481 et sqq.

(2) Ibid., pag. 562-566.

(3) Ibid., p. 566.

(4) Textum nempe originalem (edit. David, 1861) in latinam linguam literaliter versum, collata versione Surii.

(5) Tom XVIII, p. 565.

(6) Ibid., p. 417.

(7) Ibid., pag. 425 et p. 562.

aliquo saltem respectu, siquidem, ex parte materiæ eadem dona considerando, prout nempe circa celsiora et ardua versantur, præferuntur scientiæ (dirigenti) et pietati (exsequenti) ad vitam activam potius spectantibus, adeoque et propius ad vitam altiorem contemplativam pertinent.

Igitur, cum sub influxu doni fortitudinis, docente Rusbrochio (1), homo amoris impatientiam sentiit, et cum omnibus viribus refluere cogitur in supremam Trinitatem et suavem unitatem, rursumque incidit in quoddam concupiscere atque in quoddam influere in eamdem unitatem: « Hic scaturit donum divini consilii, hoc est attactus seu motus quidam in mente hominis, proficiscens ab æterna generatione Patris, ubi is Filium suum gignit in alta seu suprema mente (hoc est supra rationem) in essentia animæ ».

Hæc non ita intellige, ac si tum primum, post donum fortitudinis hujusque exercitium, infundatur donum consilii, cum dona omnia septem simul infunduntur; neque sic intellige, ac si omnis ac tota efficientia doni fortitudinis necessario præcedat qualecumque exercitium doni consilii, cum, contra, simul sese exserunt et combinantur hæc duo dona, estque consilium dirigens, fortitudo vero exsequens; sed intellige, post aliquam efficientiam celsiorem doni fortitudinis (dirigente quidem dono consilii), oriri novam quamdam præcelsiorem efficientiam doni consilii, ceu lumen singulare atque præclarum, ut infra notat Auctor.

Neque enim de infusione habitus hic tractatur, sed de efficientia doni. Qua in re diligenter distingue habitum seu ipsum donum habituale, quo capaces reddimur prompte obedire motioni Spiritus sancti, ab ipsa hac

---

(1) Quæ hic de efficientia doni fortitudinis minus aperta dicuntur, sicut et universa doctrina Rusbrochii de dono fortitudinis, supra tom. XVIII, p. 429-430, breviter proposita, amplius declarabuntur ex hoc commentario de dono consilii.

motione; et rursum, utrumque ab efficientia seu operatione doni, quæ utrumque consequitur: posita enim motione seu attactu ac instinctu Spiritus sancti, si eidem correspondeamus ac cooperemur, jam efficientiam suam habet donum; nam motio Spiritus sancti simul et mentem nostram attingit simulque donum in actum reducit, et sequitur operatio nostra ex dono, quæ scilicet est efficientia doni, nobis cooperantibus. Hæc applicemus dono consilii. Ut vidimus agendo de hoc dono (1), duplicem actum habet consilium: alterum minus principalem et prævium, nempe partium discussionem; alterum principalem et essentialem, quæ est stabilis melioris partis electio. In utroque autem dirigimur, quasi consilio a Deo accepto. Merito proin concipitur cum Rusbrochio ut lumen quoddam singulare a Deo acceptum, simul mentem movens et doni habitum in actum reducens, ita ut, hoc lumine diligenter suscepto, secundum illud operemur seu suam efficientiam exserat donum consilii. Originem autem hujus luminis, subjectum in quo suscipitur, necnon indolem ac naturam ejusdem luminis amplius exponet Rusbrochius in sequentibus altissima declaratione mystica, cui jam prælusit ubi dixit attactum seu instinctum divinum in dono consilii proficisci ab æterna generatione Patris etc.; quæ quidem conabimur explicare, textu consequente prius recitato.

« Ex hoc attactu fit anima valde nobilis atque supernaturalis; attamen comprehendere nec intelligere valet quid illud sit quod sentit, quamquam libentissime id sciret, sed quanto magis ad id respicit, tanto minus sibi res succedit. Hæc est singularis operatio Patris in mente animæ; et id obtinuit anima per hoc, quod tam amorose atque tam ingenti cum fame desiderii sese impressit in altam seu sublimem unitatem mentis suæ: non ita quod hoc sit unitas divinæ naturæ, ex qua Pater est generans Filium suum, et in qua ipsum

(1) Tom. XVIII, p. 556-557.

possidet in sua fœcunda natura, atque in quam Personæ sine intermissione vi amoris sunt refluentes cum immenso amore. Unitatem non sentit, secundum divinum modum, in hoc gradu, secus enim laberetur in id quod modinescium est et in fruitivum amorem: sed eam sentit secundum creaturæ modum, atque hoc non est tam sublime, est enim aliqua similitudo divinæ unitatis, et efficit impatientiam. »

Hic jam attende duplicem unitatem: alteram in homine, scilicet unitatem trium supremarum virium, quæ ex alta unitate mentis profluunt et in eamdem unitatem refluunt; alteram in divinis, scilicet unitatem fœcundæ naturæ divinæ, ex qua Personæ procedunt, et in quam refluunt. Hæc Rusbrochii doctrina, quam olim exposuimus, de unitate in Deo, de unitate diverso sensu in nobis, scilicet, in nobis et supra nos, in nobis modo essentiali et modo activo, deque relatione inter has unitates, interque has et divinam unitatem, nunc relegatur et continuo ante oculos servetur oportet, adeoque et *ut inserta heic habeantur* quæ disputavimus tomo XVII, p. 298 et sqq. Ex his enim desumemus notas, quas illustrando Rusbrochii textui deinceps apponemus. Per partes autem procedemus, ne lectorem obruamus, sed eum pedetentim ad rectum et integrum intellectum doctrinæ Rusbrochii, uti speramus, perducere conemur.

« Ex hoc attactu animæ, et ex eo quod Filius gignitur, æterna Sapientia, jam venit clarum lumen in intellectum animæ, et clarificat atque illuminat rationem singulari claritate. Hoc lumen dat Sapientia Dei ad assimilandum, et ad illuminandum, et ad exaltandum intellectum animæ. Hoc lumen et hanc illustrationem recipit ratio, toties quoties sese erigit et imprimit in unitatem cum justo desiderio. »

Supra Rusbrochius attactum seu motionem divinam in ordine ad efficientiam doni consilii proficisci dixit ab æterna generatione Patris, ubi is Filium suum gignit in alta mente, hoc est, supra rationem, in essentia animæ; eumdem attactum quoque ait esse operationem singula-

rem Patris in mente animæ : similiter heic et ex consequenti affirmat illum attactum divinum esse quod Filius gignitur, videlicet in suprema seu alta mente, quæ est unitas trium supremarum virium, memoriæ, intellectus et voluntatis, ipsaque porro animæ essentia, origo ac principium illarum virium, et in quam unitatem ipsæ refluunt.

Ut hæc alta valde ac mystica, primo intuitu satis mira, rite intelligas, recollige doctrinam Rusbrochii, ad quam modo appellabamus, et singulariter hæc pauca, quæ recitavimus (1) ex *Speculo æternæ salutis,* cap. XVII : « Creavit (Deus) cujuslibet hominis animam ceu vivum quoddam speculum, cui naturæ suæ impressit imaginem, atque ita vivit ipse nobis impressus et nos illi. Etenim creata vita nostra unum quodammodo est cum imagine illa et vita quam habemus ab æterno in Deo, et hæc sine medio unum est cum Deo. Vivit enim ingenita cum Filio in Patris substantia, et gignitur ex Patre cum Filio, atque ex his ambobus emanat una cum Spiritu sancto : sicque nos æterno vivimus in Deo, et Deus in nobis. Creata namque vita nostra in æterna vivit idea seu forma nostra, quam habemus in Filio Dei ; et ipsa æterna idea seu forma nostra unum est cum Dei Sapientia vivitque in creata essentia nostra. Atque eam ob rem æterna Filii generatio et Spiritus sancti emanatio semper absque intermissione in animæ nostræ nuditate renovatur. »

Quæ de imagine dicit Rusbrochius, parallelo modo valent de unitate : suprema unitas naturæ nostræ est in Deo, quam *in nobis* habemus quatenus a Deo ex integro dependemus, seu, ut dicere solet Rusbrochius, in Deo pendemus ; et tamen *supra nos* eamdem unitatem possidemus, quatenus secundum esse ideale, in divina essentia vivimus. Unitas autem illa in nobis duobus modis se tenet et accipitur : essentialiter, ut modo

(1) Tom. XVII, p. 308, in nota.

supra, vel active, quæ est unitas supremarum virium, quatenus suam originem activo seu actuali modo sumunt in unitate spiritus seu mentis (1).

Porro natura nostra seu imago Dei in ipsa, naturæ unitas, ejusque vires, in ordine præsenti, supernaturalibus donis a Deo altius ad divinum consortium attolluntur (2).

Hisce intellectis, hoc quoque perspicies quod, quoties tres supremæ vires refluunt in suum principium seu in unitatem altam mentis, active sumptam, eo ipso in via sumus ut redeamus etiam ad unitatem quæ in nobis est essentiali modo seu secundum essentialem existentiam, et porro ad unitatem secundum essentiam, quæ in nobis est supra nos, id est ad supremam unitatem in Deo.

Ex his manifestum est 1° Rusbrochium hic applicare suam doctrinam (3), quæ et Bonaventuræ doctrina est (4), vera ac profunda, scilicet Deum agere ad extra, adeoque mentem nostram attingere simulque in actum reducere donum consilii, secundum unitatem quidem suæ absolutæ et communis tribus Personis essentiæ, non vero prout hæc in omnimoda absolutione consistit, sed prout comprehendit appropriata, nempe omnipotentiam Patris, sapientiam Filii, amorem Spiritus sancti.

2° Divini attactus effectum in dono consilii, seu lumen singulare, esse Rusbrochio participationem quamdam Luminis de Lumine seu Sapientiæ genitæ, procedentis a Patre; eo enim modo quo vivimus in Deo, in ea unitate quam habemus in Deo, assimilamur Deo uni et trino, et fiunt divinæ processiones in nobis, sicque Pater « Filium suum gignit in apice mentis, hoc est supra rationem, in essentia animæ », et « ex eo quod Filius gignitur, æterna Sapientia, venit clarum lumen in intellectum animæ... Hoc lumen dat Sapientia Dei

(1) Hæc fusius exposita lege loc. cit. tom. XVII, p. 298 et sqq.
(2) Vid. ibid., pag. 308 et sqq.
(3) V. tom. XVII, p. 229-230.
(4) Vid. *Médit. théol.*, tome I, p. 475.

ad assimilandum » intellectum ipsi Sapientiæ genitæ. Quæ quidem e sequentibus paulatim magis magisque illustrabuntur.

3° Hoc autem lumen percipimus, quoties refluit ratio et « sese imprimit in unitatem cum recto desiderio. » Subjectum luminis est intellectus seu ratio, ipsius vero attactus divini subjectum est apex mentis seu unitas supremarum virium, in quam oportet vires istæ refluant ut attactum divinum percipiant. Sunt autem gradus in isto reditu in unitatem: in inferiore quodam gradu, « unitatem non sentit (anima) secundum divinum modum, secus enim laberetur in id quod modum nescit et in fruitivum amorem; sed eam sentit secundum creaturæ modum, quod non est tam sublime, est enim aliqua similitudo divinæ unitatis, et efficit impatientiam », animamque irrequietam seu insatiatam. De priore gradu, qui respondet reditui ad unitatem altæ mentis active sumptam, heic agit Rusbrochius. De supremo gradu, respondente reditui in unitatem quæ in nobis est essentiali modo et supra nos, postea dicet c. XXIX.

Hæc in præsenti sufficiant, quæ progrediendo in expositione Rusbrochii, continuo magis manifesta fient, sicut et clarius patebit natura ac indoles divini attactus ejusque effectus, et totius efficientiæ doni consilii.

Non possumus quin nunc jam obiter notemus, quod ex integro hoc tractatu Rusbrochii manifestius apparebit: quomodo videlicet hæc, quod praxim attinet animæque sanctificationem, continuo invitent ad reditum in nosipsos ac intimam unionem cum Christo et Deo, quemadmodum et expresse indicabit Auctor.

Nunc jam ulterius declarabit indolem divini attactus.

« Nunc cuperet hæc illuminata ratio scire quid ipsam impediat quin in unitatem, quæ sibi tam delectabilis est, perdurare possit, et unde veniat attactus et quidnam sit. Itaque considerat valde stricte et reperit in fundo mentis omnino veluti venam vivi fontis ebullientem ex vivo fœcundo fundo. Hic fundus est ipsa unitas Dei et proprius fundus

Personarum, atque origo [scaturiens] animæ; nam fundus iste est fœcundus, atque initium et finis omnium creaturarum (1). Vena ista ebulliens, iste attactus, est tam mirabilis, et intellectui tam delectabilis, et voluntati tam amabilis et tam singulariter desiderabilis, ut anima labatur in impatientiam et in æstum amoris, et in ingentem concupiscentiam. Itaque considerat rursum quid ipsam impedire possit quin perdurare valeat sive in Deo sive in seipsa. Inde vult regnum animæ suæ perlustrare sursum deorsum: et hic fit ratio singulari modo celer. Itaque considerat supremum illud, in quod sese impressit in unitate suæ mentis, in qua tres supremæ vires prosiliunt, et initium suum sumunt et suum reditum faciunt in unitatem. Ibi vivit attactus, vena ebulliens

---

(1) Sic habet Rusbrochius: « Die gront, dat is die enicheit Gods, ende eyghendomme der Persone, ende oirspronc der sielen. » Surius autem: « (Fundus) qui est unitas Dei, et origo Personarum, ex qua animæ unitas dependet ac proficiscitur. » Inde conjicit David Surium aliter legisse, quam in manuscriptis a David adhibitis, ipsique notis. Attamen putamus Surium eumdem textum legisse, quem interpretando, nec inepte quidem, potius quam vertendo exhibet. Quod enim « eyghendomme der Persone » dicit: « origo Personarum », inde est quod « eyghendom » apud Rusbrochium confundi nequit cum « eyghenschap » seu proprietate (qualitate) adeoque non designat, quemadmodum « eygenschap », proprietatem personalem in divinis Personis, sed designat fundum proprium, pertinentem ad Personas, sensu gallici verbi *propriété, domaine,* sicut flandrici *eyghendom,* fundum nempe fœcundum, seu divinam naturam fœcundam, ex qua effluunt et in quam refluunt Personæ, sicut paulo infra « eyghendom der crachte » vertit merito Surius: « virium fundum sive essentiam »; et in fine hujus cap. XXV: « want die enicheit (Gods) is vruchtbaer, ende eyghendom der Persone », quod vertit Surius: « eo quod hæc unitas fœcunda sit, et essentia (seu fundamentum proprietatum) Personarum ».

Quod autem spectat: « ende oirspronc der sielen », Surius illud interpretatur: « ex qua (unitate Dei) animæ unitas dependet ac proficiscitur ». Quod quidem mentem Rusbrochii omnino referre videtur. Sicut enim fundus ille est unitas Dei, ita quoque est, ex ea dependens, unitas seu fundus et origo animæ, e qua fluunt supremæ vires et in quam redeunt. Unde si literaliter vertas: « et origo animæ », videtur intelligendus genitivus, non objecti, sed subjecti, scilicet unitas animæ ceu fundus originans ac fœcundus ex quo scaturiunt vires. « Nam fundus ille [in Deo] fœcundus est [ac origo Personarum], sed et principium et finis omnis creaturæ », utpote e quo fundo procedunt et in quem fundum refluunt omnes creaturæ, sicut similiter primum vires ex unitate seu essentia ceu fundo animæ effluunt ad creaturaliter operandum, et in eamdem redeunt.

divini fontis; et hoc est in scintilla (vonke) animæ, et est quædam scaturigo, in qua omnia divina dona, secundum dignitatem et secundum ascensum virtutum, donantur. Attamen manet incognita in hoc gradu, nisi quod habetur quidam impatiens amorosus sensus in scintilla (inder gheinsteren). Sed qui in activa vita sunt, non sentiunt eam secundum istum altum modum; tametsi omnis eorum bona voluntas, et omnis eorum amor, et cunctæ eorum virtutes vitam accipiunt retinentque in hac scintilla. Sed quod eam non sentiunt secundum istum altum modum, ex hoc fit quod nimis in imo sunt in regno animæ et in desiderio: nam ea est quoddam impendère (inhanghen) Dei in supremo animæ. Quatenus id anima comprehendit et sentit, sic est creatura; sed quatenus id comprehendere non valet, sic est Deus, et hoc efficit impatientiam. Hic manet anima semper in unitate in sua memoria, effluens fluitans cum viribus in activitatem, et immanens secundum fundum (eyghendom) virium in unitate mentis. Tamen libenter vellet sequi mellifluam venam, per unitatem, ut inveniret vivum fontem, ex quo vena effluit; sed quo magis ad hoc instat cum desiderio, eo magis impatiens fit et majorem æstum amoris sentit. Creaturale enim desiderium non valet Deum assequi, nam operatur cum modo, cum creato lumine et cum creaturali amore: quapropter manet usque in æstu amoris in hoc gradu: atque hoc nobilitas quædam est et alta similitudo Trinitatis. »

Hic sistimus, ut lectorem attentum faciamus ad hoc, quod accuratius in his describitur, primo quidem, subjectum divini attactus in dono consilii, deinde vero ipsa jam indoles ejusdem attactus.

Quod subjectum attinet, illud est fundus seu unitas mentis, ex qua profluunt et in quam refluunt supremæ tres vires. Ut autem olim notavimus (1), Rusbrochius distinguit, sicut tres supremas vires, ita tres proprietates animæ spiritualis, « quæ una ac indivisa animæ substantia sunt », quasque singulas refert ad singulas istas animæ potentias, videlicet: essentialem et imagi-

(1) Nempe loco, quem supra ut insertum haberi voluimus, tomo harum *Collat.* XVII, et quod præsentem rem spectat, pag. 310.

num expertem nuditatem, quæ respondet memoriæ; rationem superiorem, quam refert ad intellectum; et scintillam (vonke) animæ, respondentem voluntati.

Porro, tum triplici facultate spiritus nostri, tum triplici memorata proprietate ejusdem, assimilamur divinæ Trinitati: Patri respondente memoria, cum essentiali imaginum experte nuditate; Filio respondente intellectu, cum ratione superiore; Spiritui sancto, voluntate cum scintilla animæ.

Ex hac doctrina intelliges quomodo Rusbrochius subjectum divini attactus, de quo agimus, reponens in unitate animæ seu origine supremarum virium, quam et altam mentem appellat, illud quoque aliquando in textu modo recitato dicat esse unitatem in memoria, vel etiam scintillam animæ, siquidem non semel variis in locis apud Auctorem memoria seu alta memoria, item scintilla animæ supponit pro ipsa unitate animæ. Ita quidem scintilla animæ aliquando stricte sumpta designat amorem naturalem, qui omnis amoris eliciti; quasi scintilla incendii, origo est; aliquando latius accepta synteresim, vel et ipsam mentem seu unitatem virium designat; et synteresim seu synderesim quidem, quatenus hæc est habitus naturalis, practicus, primorum principiorum moralium, cujus actus est remurmurare de malo et instigare ad bonum, ut loquitur S. Thomas (1). Ratio autem diversæ illius suppositionis ejusdem termini Rusbrochio sæpe est in eo, quod diximus nos triplici facultate triplicique memorata proprietate animæ assimilari divinæ Trinitati. Sic, in re præsente, attactus divinus dici potest fieri in alta memoria, quatenus est operatio singularis Patris, ut supra ait Auctor; dicetur vero fieri in scintilla animæ, quatenus est ebullitio in qua omnia dona divina donantur, quæ merito attribuuntur Dono substantiali Dei, Spiritui sancto.

---

(1) 1, 2. q. 79. a. 12.

Ita transimus ad quædam addenda de natura et indole attactus divini. Supra dixit Rusbrochius hunc attactum esse operationem singularem Patris gignentis Filium in alta mente nostra, qua operatione lumen participatum a Lumine æternæ Sapientiæ genitæ nobis infunditur: hæc ut penitius jam intelligamus, recolligamus triplicem unitatem quæ in nobis est, ad quam redire seu in quam mens nostra sese immergere ac imprimere debet ut attactum divinum diverso gradu percipere possit. Prima unitas est supremarum virium seu secundum activum modum, de qua in hoc gradu inferiore efficientiæ doni consilii sermo est. Alia unitas est in nobis secundum essentialem modum seu secundum essentialem existentiam, et hæc *quodammodo* una est cum suprema unitate quæ in nobis est sed supra nos, quatenus imago Dei in nobis *quodammodo* una est cum imagine nostra æterna quæ in Deo est et ipsa divina essentia. Jamvero, si hanc supremam unitatem in Deo consideramus, operatio Patris gignentis Filium suum est operatio vere personalis Deo Patri propria, et *quodammodo* tantum in nobis fit, quatenus cum ea, et ab ea dependens, *quodammodo* una est unitas quæ in nobis est secundum essentialem existentiam, et in qua operatio Patris causans lumen in nobis per appropriationem dicitur, sicut et in unitate secundum activum modum seu supremarum virium, quæ eadem est unitas essentialis, secundum aliam rationem considerata.

Porro ad diversam unitatem diversus est reditus ille necessarius ut attactum divinum percipere possimus. Si primo redimus ad inferiorem unitatem virium, jam participamus quidem Lumini de Lumine seu Sapientiæ procedenti a Patre, et advertimus quasi venam ebullientem e divino fonte, atque assimilamur divinæ Trinitati, ut mox exponet fusius Auctor; sed nondum ipsum divinum fontem attingimus, ejusque scaturigo manet incognita quia nondum redivimus ad unitatem secundum essentialem existentiam, quæ cum suprema unitate

supra nos in ipso Deo quodammodo una est, ideoque manet impatientia, id est neque in nobis, in unitate essentiali, neque in Deo, in unitate supra nos durare possumus, et assimilamur quidem, non vero unimur Deo uni et trino; estque adhuc activitas, non vero contemplativa quies ac fruitio. De priore reditu ad inferiorem unitatem, et respondente efficientia minus sublimi doni consilii, hic totus sermo est; de reditu ad supremam unitatem et altiore perfectaque efficientia ejusdem doni aget Auctor infra c. XXIX.

Unum manet notandum, ad vitandam confusionem. Hic inferiorem gradum doni consilii, in quo non sentitur scaturigo divini fontis alto seu divino modo, sed creaturæ modo tantum, esse dicit Rusbrochius illorum qui in vita activa sunt, cum tamen supra, agendo de dono fortitudinis (1), sola priora tria dona ad vitam activam retulerit, sicut et aliis in locis id fecit. Ad hoc adverte vitam activam (2) sumi posse latius, contradistinctam a stricte contemplativa, pro omni nempe vita quæ non est proprie contemplatio; vel strictius, contradistinctam a vita tum magis interiore seu affectiva, tum stricte contemplativa. Jamvero, in priore gradu doni consilii, priore sensu vitam activam intelligit Rusbrochius, quæ scilicet solam contemplationem, non vero vitam affectivam atque magis interiorem excludit propinquius disponentem ad contemplativam. Sic quoque loc. cit. de dono fortitudinis, expresse hoc idem refert ad vitam affectivam (begheerliken levene).

Hic locus est verbulum addendi de combinatione doni consilii, ut dirigentis, cum dono fortitudinis, ut exequente. Explicite quidem hac de re nihil habet Rusbrochius, nullatenus tamen contradicit illi doctrinæ, imo vero implicite eam insinuat, ibi præsertim ubi homines illis donis vario gradu utentes assimilat diver-

---

(1) Supra, c. XX, initio.

(2) Præter eam quæ ad extra exit apostolicam, de qua hic non agitur.

sis choris angelorum. Itaque dono fortitudinis in minore gradu utentes similes sunt Potestatibus, quatenus erecti sunt cum affectu et desiderio in laudem Dei; qui vero sublimiori gradu donum fortitudinis exercent, assimilantur Principatibus, quatenus altius erecti sunt in majorem Dei laudem et in interiorem vitam, atque insuper inclinati ad creaturas ac rursum cum his ad Deum erecti, dum Potestates (et homines illis similes), ex se non noverunt deorsum se vertere tali modo, siquidem id ipsos excedit. Hæc autem omnia fieri sub ductu consilii a Deo accepti satis insinuat Rusbrochius, quoniam continuo appellat tum in priore gradu fortitudinis ad rationem illuminatam quæ « æternam veritatem in omnibus operibus suis intuetur », tum in sublimiore gradu ad hoc, quod ratio jam inexhaustam opulentiam ex sublimi Dei unitate profluentem contemplata « advertit multum deesse debitæ laudi atque honori Dei. » Quæ quidem absque dubio ad donum consilii pertinent. Præterea, cum jam hoc donum explicandum aggreditur Rusbrochius, altiorem nempe ejusdem efficientiam declaraturus, quam rursus in duplicem dispescit, alteram minus celsam, alteram sublimiorem; in priore, qua homo assimilatur Dominationibus, non excludit fortitudinem ut exsequentem; contra, implicite eam agnoscit, cum sextæ illi hierarchiæ, et hominibus illi similibus, activitatem superioris gradus doni fortitudinis similem attribuat, ut hunc gradum conferendo cum præsente gradu doni consilii facile constabit (1), reservata quiete ac fruitione contemplationis gradui sublimiori doni consilii, quo homines assimilantur Thronis, ut infra videbimus.

Post longum præcedentis textus commentarium, redeamus ad ea quæ sequuntur apud Rusbrochium.

(Continuabitur).

---

(1) Cf. v. g. quæ modo diximus de dono fortitudinis circa deficientiam in laude divina, cum iis quæ sequuntur in textu Rusbrochii statim recitando.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Martii propositas.

—

I

De extensione diluvii.

Q. *Indica et paucis dijudica varias sententias circa extensionem diluvii.*

R. **Triplex** datur **sententia**: 1ª tenet *totum orbem terrarum,* cum montibus altissimis, fuisse aquis submersum, in eoque diluvio periisse omnes homines omniaque animalia, iis exceptis quos arca includebat; — 2ª sententia extendit diluvium ad *totam terram ab hominibus habitatam,* ita ut reliquæ partes orbis terrarum, forte satis extensæ, cum omnibus viventibus ibi commorantibus, ab eo immunes servatæ fuerint; — 3ª sententia extendit diluvium ad *partem terræ habitatæ* seu *ad partem generis humani,* ita ut in aliis regionibus vivere potuerint gentes et populi qui a diluvio et excidio immunes servati fuerint.

Quod **auctoritatem extrinsecam** spectat: *prima* sententia, quæ vocatur *universalitatis absolutæ* seu *geographicæ*, fuit, paucis exceptis, usque ad tempora moderna, vere communis inter sanctos Patres et scriptores ecclesiasticos; *secunda*, quæ vocatur universalitatis *ethnographicæ* seu *anthropologicæ* (1), hodie jam dici potest communis, quatenus excludit universalitatem absolutam; imo *tertia*, quæ ipsam extensionem

(1) HUMMELAUER, *Commentarius in Genesim* (Paris, 1895), p. 223 hanc secundam universalitatem vocat *mixtam;* tertiam vero: *relativam.*

ethnographicam *restringit*, et ipsa habuit et habet plures patronos et defensores, saltem quatenus tenet hanc restrictionem a viro catholico *posse teneri* (1).

Argumenta ad quæstionem solvendam desumuntur tum ex *S. Scriptura*, nimirum ex ipsa narratione Geneseos, VI-VIII, et ex variis textibus aliorum librorum : Sap. X, 4, XVI, 6; Eccli. XLIV, 17 s.; Mt. XXIV, 37 ss.; II Pet. II, 4-9, III, 5, 20; tum ex *doctrina traditionis* ipsiusque *Ecclesiæ*, tum ex *scientiis profanis*, puta ex paleontologia, linguistica, ethnologia. — Porro ne longiores simus, inquisitionem nostram restringimus ad solam doctrinæ S. Scripturæ, imo ad solam narrationem Geneseos; in fine tamen compendiose referemus quæ de aliorum argumentorum vi dicendum nobis videntur.

Duo proinde **inquiremus**:

I. Utrum cum narratione qualis occurrit in libro Geneseos, c. VI-VIII stare possit sententia restringens diluvium *ad terram* tunc temporis *habitatam;*

II. Utrum cum eadem narratione componi possit sententia restringens diluvium *ad partem terræ ab hominibus habitatæ.*

Ad I. Narratione Geneseos minime *tenemur* amplecti sententiam **diluvii absolute universalis**; imo *positive suademur* istud ad partem orbis terræ restringere, indeque nil obstat quominus teneamus solam terram habitatam fuisse submersam.

Sane primo aspectu poterit narratio Gen. VI-VIII videri *favere extensioni absolute universali.* Nonne enim *expressiones* sunt *generales:* « Vehementer inundaverunt aquæ, et *omnia* repleverunt in superficie terræ..., opertique sunt *omnes montes excelsi sub universo cœlo...;* consumpta est *omnis caro* quæ movebatur super terram;... *universi homines* et *cuncta*, in quibus spiraculum

(1) Cfr. historiam controversiæ apud HUMMELAUER, *o. c.*, pp. 244-256; PELT, *Histoire de l'ancien Testament* (Paris, 1901), t. I, p. 99.

vitæ est in terra, mortua sunt...; remansit *solus Noe et qui cum eo erant in arca...* »? — Nonne et *motivum* erat prorsus generale: « Cum vidisset Deus *terram* esse corruptam: *omnis* quippe *caro* corruperat viam suam super terram »...? Item divina *comminatio* erat irrestricta: « Adducam aquas diluvii super terram, ut interficiam *omnem carnem...; universa,* quæ in terra sunt, consumentur »...

Attamen a/ istæ eædem et similes expressiones etiam *alibi* quam frequenter recurrunt in sacris libris, quin ullatenus includant *universalitatem* istam quam prima specie exhibent (1). Unde minime repugnaret etiam hic hujusmodi expressiones esse per modum *hyperbolæ,* scriptoribus orientalibus solemnis, nec sane etiam aliis inusitatæ, sumendas.

b/ Regula rectæ exegeseos fert ut qui velit intelligere quid aliquis dicere intenderit, *restituat dictum vel scriptum in omnibus adjunctis* in quibus dictum vel scriptum fuerit: quid Noe ipsiusque posteri a quorum relatione narratio diluvii primo originem duxerit (2), quid ipse

---

(1) Ita Gen. XLI, 54 ss. dicitur *tota terra* fame laborasse et in Ægyptum pro pane ascendisse: num intelliges terram *absolute totam?* — III Reg. X, 23 s. dicitur Salomon magnificatus esse super *omnes reges terræ, universam terram* desiderasse vultum Salomonis: num vere *tota* terra et *omnes* reges? — Matth. XII, 42 dicitur regina Sabæ venisse *a finibus terræ* audire sapientiam Salomonis; — Act. II, 5 dicuntur Hierosolymis fuisse viri religiosi *ex omni natione quæ sub cœlo est:* an sensu stricto hæc sumenda erunt? Cfr. HUMMELAUER, *o. c.*, pp. 227 s. — Nota nos minime dicere: ex eo quod isti textus sint interpretandi ut hyperbolici, sequitur etiam narrationem diluvii esse sic interpretandam; minime — sed tamen eruitur *possibilitas* quod istæ expressiones forte sint hyperbolæ, indeque nisi positive istam possibilitatem excludas, jam non poteris tanquam *omnino certum* statuere istas expressiones esse sensu stricto sumendas.

(2) Ne enim dicas narrationem diluvii fuisse *a Deo revelatam* auctori sacro, ideoque expressiones « *omnes* montes, *omnia* animalia », etc. esse vere sensu absoluto, in sensu np. quo Deus istas expressiones intelligebat, sumendas. Etenim, misso quod Deus revelans factum diluvii potuisset sese accommodare modo loquendi eorum quibus revelationem suam communicabat — ista revelatio nullo argumento probatur; nec ulla ratione exigitur. Imo « l'analogie de ce récit (de la Bible) avec les tradi-

auctor Geneseos intellexerint nomine *universæ terræ, omnium animalium, montium altissimorum*, etc., dijudicare oportet non ex effatis scientiæ modernæ, sed ex iis quæ ipsis nota erant. Nonne iis expressionibus intelligebant terram istam, animalia ista, montes istos, etc., qui *ipsis noti erant?* Quomodo v. g. Noe, mandatum Dei de animalibus secum ducendi in arcam, poterat intelligere aliter quam de animalium speciebus in regionibus sibi notis degentibus?

c/ Universalitatem diluvii tenere non vales, nisi supponas Deum *innumeris fere miraculis* totam rem effecisse. Horum sane miraculorum Deo non denegamus potentiam; sed quæritur utrum ea omnia sint admittenda, nisi probetur eorum necessitas? Et potissimum ipsa narratio diluvii, de cujus interpretatione agitur, de omnibus istis miraculis nihil suspicari videtur, contra, seposito interventu Dei quantum ad prædictionem diluvii et mandatum Noe traditum, omnes eventus ut *causis mere naturalibus* effecti describuntur (1). Unde

---

tions des peuples, surtout des Babyloniens, prouve que, même avant la dispersion des peuples à Sennaar, il existait une tradition commune concernant le déluge, qui dérivait des témoins immédiats eux-mêmes.... Ce récit, bien qu'inspiré, n'est donc pas, dans sa source première, le fruit d'une révélation divine manifestant un fait inconnu, mais résulte des observations personnelles de celui qui en est le premier auteur » (Pelt, *o. c.*, p. 97). Cæteroquin indubium videtur Auctorem sacrum Geneseos adhibuisse documenta sibi præexistentia.

(1) Undenam massa aquarum necessaria ad submergendum totam terram et montes altissimos? Ex miraculosa creatione? Sed textus Gen. indicat causas: pluviam quadraginta dierum et irruptionem maris. — Quis adduxit omnia, innumera fere, animalia, ex regionibus dissitissimis et Noe ignotis? Num Deus aut Angeli? Sed Deus dat mandatum ut Noe ea animalia congreget. — Quomodo arca potuit continere tot animalia? Quomodo vivere poterant omnigena ista viventia tam diuturno tempore conditionibus climatologicis tam insolitis et pro omnibus iisdem? An Noe et familia sua poterant sufficere curæ omnium istorum? Et ex quibusnam alerentur omnia animalia tam diversis cibis indigentia? Et quomodo omnia ista animalia, trans maria et terras, reducta fuerunt in patriam; et undenam primis saltem temporibus ali potuerunt? Etc. Et tamen textus Gen. omnia ut naturali modo facta supponit, et in specie Noe ipse

ipsa recta exegesis postulat ut narrationem diluvii magis naturali modo interpretemur, ita nempe ut non sit necesse ad agmen istud miraculorum recurrere.

d/ Tandem, præter jam dicta, in ipsa narratione, Geneseos, si ad litteram sumitur, occurrunt et alia *positiva indicia* extensionis restrictæ. VIII, 3 ss. aquæ minuuntur et arca sistit super montes Ararat (ita hebr.; Ararat erat regio in Armenia); aquæ pergunt minui et deinde, post 2 menses cum dimidio apparent, adeoque nunc ex aquis emergunt cacumina montium : nonne ergo apparet *montes altissimos* in mente narratoris fuisse *montes Ararat* (1)? — VIII, 8, Noe emittit columbam ut videret si jam cessassent aquæ super faciem terræ; quæ reversa est: aquæ enim erant super *universam terram:* nonne ergo pro narratore *universa terra* erat spatium talis latitudinis ut columba potuerit istud lustrari (2)?

Ad II. Inspecta sola narratione qualis occurrit in

---

acceperat mandatum congregandi provisiones et providendi sibi et suis et animalibus. Cfr. BRUCKER, *a. c.*, c. 912 s.; HUMMELAUER, *o. c.*, p. 225 s. PELT, *l. c.*

(1) Nota quoque quomodo aquæ diluvii crescunt per 150 dies (cfr. VII, 24, ubi loco; *obtinuerunt*, ut habet Vulgata, legas cum textu hebr.: creverunt; et VIII, 3); ex altera parte diluvium incipit anno Noe 600°, mense 2°, die 17°, et arca requiescit super montes Ararat anno Noe 600°, mense 7°, die 17°, ideoque quinque mensibus, seu 150 diebus (si numeras menses solares, — vel 147-148 seu circiter 150, si lunares computas) post inchoatum diluvium. Ergo hoc momento quo aquæ attigerant *suam altitudinem maximam*, arca quæ hucusque aquis continuo crescentibus sublevabatur in altum, nunc sistit super montes Ararat. — Unde iterum apparet hos esse montes altissimos quos narrator cognosceret. Et nota quam bene cum dictis cohæreant hæc duo: ex una parte aquæ fuerunt altiores montibus altissimis *15 cubitis* (cfr. VII, 19 s.), ex altera parte arca, qualis Noe ipsam construxit habebat altitudinem *30 cubitorum* (cfr. VI, 15), ideoque si dimidio immergebatur aquis, bene sistet die 150° diluvii super montes altissimos, scil. montes Ararat.

(2) Cfr. BRUCKER, *Dict. Apol. de la foi cathol.*, v° DÉLUGE, c. 913. — HUMMELAUER, quoque notat: VIII, 11 revertitur columba portans *ramum olivæ virentis:* sed nonne, si septem diebus antea adhuc perseverasset inundatio *universalis*, plantæ omnes fuissent destructæ; nonne ergo narratio supponit diluvium non fuisse universale?

Genesi VI-VIII, *non excluditur sententia* juxta quam diluvium delevisset **tantummodo partem generis humani**; nihil tamen huic sententiæ *positive favet.*

Revera, iterum ut supra I, in narratione diluvii occurrunt, tum in assignando *motivo* diluvii, tum in *comminatione* divina, tum in *descriptione* diluvii, expressiones absolutæ et irrestrictæ: Delebo *hominem*, quem creavi, a superficie terræ...; *Omnis caro* corruperat viam suam...; Finis *universæ carnis* venit coram me...; Interficiam *omnem carnem...;* delebo *omnem substantiam quam feci...;* consumpta est *omnis caro..., universi homines...* etc.

Attamen fautores extensionis restrictæ ad partem generis humani, negant, et merito ut videtur, vim hujusmodi argumenti, illudque ob easdem rationes jam supra sub I allegatas:

a/ Si expressiones: *omnia animalia*, *omnis substantia*, *omnes montes,* licet habere ut *hyperbolas*, quare non etiam expressiones plane similes: *Omnes homines* (1)?

b/ Si recta exegesis petit ut *montes* et *animalia* et *terram* intelligas eo sensu quo Noe et posteri ejus ista intelligebant, ideoque non sensu absoluto, quare non etiam *omnes homines* intelligendi sunt *istud genus humanum* quale Noe illud cognoscebat vel suspicabatur? Si expressio: *omnia animalia* non debet intelligi quasi Noe cogitaverit de animalibus in Oceania vel America degentibus, quare *omnes homines* intelligendi sunt etiam ii qui forte easdem regiones incolebant?

Attamen *nulla*, ut videtur, adduci potest *ratio positiva* qua suadeatur hæc restrictio ad partem generis humani:

---

(1) Recole exempla ex aliis libris S. Scripturæ supra adducta, p. 298. Etenim etiam isti textus primo aspectu agunt de universa terra habitata, de omnibus hominibus — et tamen certissime per modum hyperbolæ sunt explicandi. — Nec dicas: Sed motivum diluvii erat corruptio *totius generis humani;* — etenim præcise quæritur utrum talis expressio: *omnis caro corruperat viam suam,* sit sumenda sensu irrestricto.

etenim, ut alibi (1) diximus, nihil certi et determinati novimus circa ætatem qua diluvium reponendum est; unde nil impedit quominus ea ætate antiqua reponatur qua genus humanum totum nondum late diffusum erat, sed adhuc existebat restrictum ad regionem non ita extensam. Unde totam narrationem Geneseos ita intelligere valemus ut diluvium simul fuerit universale quoad genus humanum, et tamen valde restrictum quoad regiones et montes, plantas et animalia orbis terrarum.

Conclusio. I/ Attenta sola narratione diluvii Gen. VI-VIII, nil obstat, ut jam ab omnibus admittitur, quominus dicatur, **diluvium se non extendisse nisi ad partem** eamque forte satis restrictam **orbis terrarum.** — Huic autem conclusioni non adversantur — sic jam communiter docent auctores — ulli alii textus *S. Scripturæ*, nec ulla veri nominis eaque obligatoria *Traditio* aut *doctrina* authentica *Ecclesiæ* (2). — Porro quod sic licitum est dici viro catholico, *scientiæ profanæ,* imo *ipsa narratio Geneseos* admittendum ut *certum* imponere videntur.

II/ Quod autem attinet **restrictionem diluvii ad partem generis humani**, hæc quidem quæstio ut videtur, ex *narratione Geneseos* certo solvi non potest; quoad vero alios *textus S. Scripturæ*, et potissimum *doctrinam Traditionis*, hæc a variis auctoribus catholicis in sensum oppositum adducuntur: alii quidem affirmant exinde probari universalitatem, alii vim argumentorum istorum negant, et, ut ingenue fateamur, neque nos eorumdem efficaciam perspicimus. Quod vero *scientias profanas* spectat, nec ipsæ videntur quæstionem in alterutram partem solvisse (3); interea vero, de sententia multo-

---

(1) Supra, pp. 230 ss.

(2) Quod tamen vario modo ostendunt varii auctores.

(3) Ita quod arguunt ex ethnologia vel ex linguistica: Jam circa a 4000 ante Christum existebant diversi populi et gentes et familiæ *(des races humaines)*, vel linguæ existebant et ipsæ diversæ et evolutæ, ita ut impossibile sit horum omnium originem et evolutionem deducere inde a familia

rum, *quæstio* manet aperta et *libera*, nec *ipsa Ecclesia* hucusque ullatenus solutionem liberiorem improbavit (1).

A. VANDER HEEREN.

II

De connexione inter quoddam assertum pertinens ad methodum immanentiæ et doctrinam theologiæ catholicæ.

Q. Quid censendum de hoc quod vocatur *status transnaturalis* et de sententia quæ sic exprimitur: « *Il existe pour l'âme ignorante et païenne, celle qui n'est encore que conviée, un besoin (négatif) de surnaturel, créé par le vide d'une disposition, qui, étant la marque d'un état perdu, le signe d'un rappel, l'effet d'une grâce prévenante et la condition d'une grâce habituelle, peut déjà s'appeler, dans un sens analogique, une grâce elle-même* ».

R. Hæc verba scribuntur a R. P. Valensin (2) in ea parte dissertationis ubi conatur explicare quomodo principia methodi immanentiæ sint conformia cum theologia catholica.

Distinguit porro tres status, sc. statum *supernaturalem*, in quo est anima quæ donatur gratia sanctificante et donis cum hac connexis; statum *mortis supernaturalis*

---

et a tempore Noe; unde admittendum est hos populos et familias et linguas originem duxisse a populis multo Noe antiquioribus, adeoque per diluvium non deletis. — Ast responderi potest: Omnibus hisce scientiarum placitis apte satisfit reponendo diluvium in ætate multo antiquiore quam quæ ex libris sacris olim videbatur posse deduci.

(1) Cfr. MANGENOT, *Dict. de la Bible*, v° *Déluge*, c. 1356; PELT, *o. c.*, p. 102 s.; LESÊTRE, *Le Déluge*, (*Rev. prat. d'apol.*, t. II, 1906, pp. 214 ss.); HUMMELAUER, *o. c.*, pp. 235 ss. — Die 14 Decembris 1892, P. SEMERIA, Barn., in ædibus Congregationis Propagandæ fidei, præsidente Card. Vicario ei consessui, publice tuitus est libertatem interpretibus concedendam in quæstione de restrictione diluvii ad partem generis humani Cfr. *Revue biblique*, t. II (1892), pp. 431 ss.

(2) *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *Immanence*, col. 588.

in quo est anima quæ per peccatum mortale amisit statum gratiæ; statum *transnaturalem* in quo est anima quæ est adhuc privata fide sed quæ est vocata ad fidem: hic status ulterius describitur in verbis citatis. Quatenus his exprimitur verbis assertum, non pertinere ad communem doctrinam theologorum, qualis hæc in scholis traditur, neminem latet. Sed omissa nunc consideratione de ipsis verbis, conabimur substantiam doctrinæ propositæ examinare.

I. Ille status transnaturalis est ille in quo versantur homines qui a Deo moventur gratiis actualibus ad fidem (1), qui ex gratia actuali et cum ea disponuntur ad justificationem (2).

1. Estne illa conditio quasi ordinaria apud paganos? Responsio dependet a doctrina circa distributionem gratiæ.

Jamvero licet theologi omnes doceant singulis hominibus dari auxilium saltem remote sufficiens ad salutem, non docent, imo implicite negant singulos homines paganos quasi continuo moveri gratiis actualibus ad fidem (3).

---

(1) « Mais dans l'état transnaturel que se passe-t il? L'homme ne possède pas encore une *surnature*, c'est-à-dire un principe habituel d'actes salutaires, puisque, par hypothèse, il n'a pas la grâce sanctifiante. Cependant, étant convié à une destinée surnaturelle, il faut bien que, concurremment à l'offre extérieure de la Révélation, on a ce qui peut en être le succédané, il soit intérieurement travaillé par des grâces actuelles, par des sollicitations surnaturelles .. D'autre part, il faut bien qu'une fois ou l'autre ces mêmes grâces le dérangent dans le repos, dans l'indifférence tranquille et satisfaite, où il serait tenté de s'assoupir; autrement, pareilles à des touches qui ne toucheraient rien, elles seraient comme n'étant pas, elles ne seraient pas ». *O. c.*, col. 587.

(2) De hac præparatione loquitur Concilium Tridentinum, Sess. VI, c. 5, DENZINGER-BANNWART, *Enchir.*, n. 797 s.

(3) Circa gratiarum distributionem communiter docetur omnibus adultis dari auxilium *saltem remote sufficiens* ad fidem. Cf. TOURNELY, *De gratia*, t. II, Q. VIII, a. 3, Parisiis 1725, p. 591 ss.; HURTER, *Theologiæ dogmaticæ compendium*, t. III, n. 79, Œniponte, 1896, p. 69 ss.; ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, in *Collat. Brug.*, t. II, p. 179 ss., *Méditations théologiques*, Bruges, 1910, t. I, p. 77, *Goddelijke beschouwingen*, bl. 114,

2. Sed supponamus agi de homine cui proponitur Revelatio christiana et qui simul interne movetur a Deo gratiis prævenientibus. Hi interni instinctus proponuntur tamquam *signum* quo homo cognosceret operationem *divinam* exerceri in semetipso, et sic adduceretur ad credendum Deo, seu præpararetur ad accipiendas veritates tamquam a Deo revelatas (1).

Jamvero hoc nequit admitti. Etenim gratia actualis præveniens est essentialiter vel motio supernaturalis ad actum indeliberatum (2), vel ipse actus indeliberatus (3). Sed ad præsentem quæstionem, soli *actus* sunt considerandi, quippe qui sunt objectum conscientiæ psychologicæ, suntque immediate conscientià cognoscibiles.

Sed illi nequeunt ut *supernaturales* cognosci et consequenter homo, qui nondum per fidem catholicam cognoscit ac admittit existentiam gratiæ, nequit in prædictis actibus perspicere *signum* supernaturalis et internæ operationis Dei in semetipso, nequit experiri se moveri *supernaturaliter,* seu moveri ad aliquid *supernaturale* (4). Quapropter falsum est hoc assertum: il s'agit de prendre comme matière de l'analyse cette vie

---

n. 50; CAPÉRAN, *Le problème du salut des infidèles, Essai théologique*, 1e P., ch. III, Paris, 1912, p. 32 ss.

(1) « En vérité il s'agit de prendre comme matière de l'analyse... la vie elle-même dans sa complexité synthétique, cette vie transnaturée, qu'emplit sans qu'on ait besoin de le savoir expressément pour en profiter, l'œuvre commune du sujet et de l'objet; il s'agit de se placer, avant que l'entendement soit intervenu pour distinguer deux courants, au confluent où les eaux se compénètrent sans s'identifier; et c'est peu à peu, sous l'effort qu'on fera pour en préciser le contenu.. que doit se révéler dans l'action qu'on croirait tout humaine, la présence et le concours d'un autre facteur ». AUG. VALENSIN, *o. c.*, col. 589.

(2) Ita docetur secundum doctrinam sancti Thomæ, cf. VAN DER MEERSCH, *De gratia divina*, Brugis, 1910, n. 279, 283.

(3) Ita docetur secundum Molinam, cf. *ibid.*

(4) Gratiæ actuales adjuvant hominem ut rite cognoscat tum motiva credibilitatis, tum veritates credendas, etiam ut amet seu velit credere, deinde ut alias operationes libere faciat quibus disponitur ad justificationem.

transnaturée... on peut y découvrir, dans l'action qu'on croirait toute humaine, la présence et le concours d'un autre facteur [c'est-à-dire d'un facteur *divin* et *surnaturel*]. Proinde illi actus nequeunt esse argumentum quo homo, qui recte utitur sua ratione, possit concludere vel se indigere aliqua entitate supernaturali, vel credendas esse veritates tamquam a Deo revelatas. Existentia gratiæ sive habitualis sive actualis est *dogma* quod *sola* Revelatione divina cognosci potest: ut huic adhæreat homo prærequiritur judicium circa ipsum factum Revelationis divinæ: illi interni instinctus Spiritus Sancti, quales conscientia humana percipiuntur, non sunt signum vel argumentum facti divinæ Revelationis (1). Ergo id quod vocatur status *transnaturalis* nequit assumi tamquam argumentum in Apologetica.

II. Sermo etiam fit de *indigentia negativa* ad supernaturale.

1/ Jamvero, secundum doctrinam catholicam, gratiæ actuales **positive** *disponunt* paganum ad fidem, sed dispositiones variæ requiruntur antequam homo obtineat gratiam sanctificantem (nempe antequam sit in statu *supernaturali*) (2); solus actus supernaturalis charitatis perfectæ est ultima dispositio exigens gratiam sanctificantem.

2. Sed quid possit esse indigentia *negativa* non intelligitur. Etenim ens eatenus *indiget* aliqua perfectione quatenus hæc perfectio illi est *debita;* ut autem hæc sit illi debita prærequiritur in ente dispositio *positiva* ad hanc perfectionem. Non igitur datur locus distingendi inter *positivam* et *negativam* indigentiam. Distinguendum autem est inter indigentiam alicujus rei et *cognitionem* aut *desiderium* de re quà indiget ens: hæc cognitio, hoc desiderium sunt positiva, sunt enim operationes (3).

---

(1) Cf. DE TONQUÉDEC, *L'immanence*, Paris, 1913, p. 189 ss.

(2) De quibus cf. *Concilium Tridentinum*, l. c., c. 6.

(3) Alia est distinctio inter **dispositionem** *positivam* et dispositionem

3. Actus sive indeliberati, sive deliberati, qui in pagano fiunt influxu *gratiæ* actualis sunt dispositiones *positivæ*, sive remotæ sive proximæ, ad fidem et ad justificationem.

III. Etiam fit sermo, in verbis initio citatis, de aliquo quod esset gratia *analogice dicta* (1). Nescio quænam res his verbis designetur, nec qua ratione possit, secundum doctrinam theologicam, sermo esse de gratia analogice dicta. Omnis motio divina supernaturalis est gratia proprie dicta, etiam omnis actus elicitus influxu Spiritus Sancti, seu omnis illuminatio, omnisque inspiratio ordinata ad salutem. Transacto autem illo actu, nihil supernaturale remanet in pagano.

IV. Tandem quoad modum loquendi, hæc denominatio *status transnaturalis* non recta esse videtur. Theologi distinguunt quinque status humanæ naturæ, scilicet a/ statum naturæ *puræ*, b/ naturæ *integræ*, c/ naturæ *gratia originali* ornatæ; d/ naturæ *lapsæ*, et e/ naturæ *reparatæ*.

« Status ex ipsa vi nominis significat firmam et permanentem rei positionem in aliquo sibi convenienti situ. Stabile enim dicitur quod defixum est in aliqua certa positione; instabile vero quod ab uno situ in alium facile deducitur. Humanæ igitur naturæ status proprie est ejus in aliqua certa dispositione constitutio cum quadam firmitate et immobilitate. Unde prout homo in diversis ordinibus certam positionem habere potest cum quadam firmitate, varia statuum genera ei tribuuntur » (2).

---

negativam. *Positiva* dispositio est realis habitudo subjecti qua subjectum constituitur remote vel proxime *idoneum* ad aliquam formam vel perfectionem suscipiendam. *Negativa* dicitur dispositio *id quod removet obstaculum quo impeditur* susceptio formæ vel perfectionis. Ita v. gr. cognitio naturalis de Deo est aliqua dispositio negativa ad fidem. Cf. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 682.

(1) « L'effet d'une grâce prévenante et la condition d'une grâce habituelle [qui] peut déjà s'appeler, dans un sens analogique, une grâce elle-même ».

(2) Goudin, *De gratia Dei*, Q. II, Lovanii, 1874, p. 53.

Quamdiu porro homo actualibus tantum gratiis movetur, non ponitur in quodam situ stabili, seu in *statu* quodam novo, ideoque non recte dicitur esse in *statu* transnaturali, eo præsertim quod remanet in *statu* peccati, saltem originalis; tandem non distinguit auctor, cujus sententiam examinamus, inter hominem qui *consentit* gratiis actualibus eisque cooperatur, et hominem qui *dissentit,* easque rejicit: an hic ultimus etiam est in *statu transnaturali?*

J. Van der Meersch.

III-IV

De Præscriptione II.

Q. *An et quomodo bonæ fidei requisitæ ad legitimam præscriptionem acquisitivam in materia civili obstat tum* dubium *possidentis de legitimitate sui tituli, tum ejus* ignorantia *facti vel juris.*

R. **Prænotanda.** Impedimenta bonæ fidei relate ad usucapionem in conscientia validam respiciunt tam theologicam quam juridicam bonam fidem: nam uti jam animadvertimus, non tantum theologica bona fides in foro interno necessaria est toto tempore possessionis, sed et bona fides juridica, ubi ad præscriptionem 10-20 annorum initio possessionis a lege imponitur, in conscientia pariter est obligatoria.

Jam autem in præcedenti quæstione generaliter diximus *malam fidem,* seu conscientiam rei alienæ et proinde domino reddendæ, quovis tempore *intercedentem*, præscriptionem in foro interno interrumpere; quod et de conscientia *erronea* sensu supra explicato asserendum est; non ita vero de quadam conscientia scrupulosa. Mala vero fides *succedens* tantum, seu detectio erroris post elapsum tempus legitimæ præscriptionis, non obstat usucapioni, utpote jam in conscientia valide peractæ. Nec unquam mala fides *partialis,* v. g. circa

unam partem agri quem præscribens tenet putans esse vicini, dum alteram tantum partem censet esse suam, vitiare potest bonam fidem respectu alterius hujus partis.

Dubium (1) autem possidentis de legitimitate sui tituli in bonam ejus fidem theologicam et juridicam sequenti modo influit:

Vel dubium *præcedit* possessionem inchoandam: ut si Titius nondum occupata domo quam amicus ipsi per testamentum de facto invalidum (2) legavit, probabiliter dubitet de validitate testamenti. Hoc casu impeditur utraque bona fides, quousque facta inquisitione Titius moralem certitudinem subjectivam acquirat de jure suo. Etenim cum hujusmodi dubio possessionem incipere nihil aliud est quam spoliare possidentes, heredes scilicet naturales amici, qui per prius jus habent ad domum, nisi testamentum sit validum. Unde logice non potest Titius sibi judicium practicum moraliter certum efformare de domo animo domini juste occupanda; aliis verbis non potest logice in bona fide theologica existere nec proinde in foro interno, stante dubio, præscriptionem incipere. Minus adhuc in bona fide juridica existit, quippe quæ requirit judicium moraliter certum ordinis speculativi: rem *esse* ipsius. Non diffitemur tamen posse fingi casum quo Titius, illogice procedens sed tamen absque gravi conscientiæ culpa, sibi diceret v. g.: modo non habeam certitudinem invaliditatis testamenti, juste possum absque ulla inquisitione domum qua meam accipere. Tunc quidem, cum bona fides theologica in præsenti materia pro bona conscientia supponat, dicendum foret dubium præcedens possessionem legitimæ præscriptioni non obstare; quod

(1) Seponentes conscientiam scrupulosam, agimus de dubio utrimque in motivo serio seu probabili fundato; non autem de dubio futili ratione nitente, dum simul in oppositum ratio probabilis vel certa existit.

(2) Supponitur testamentum ex jure naturali simul et civili invalidum.

concordat cum Lugonis sententia (1). Non tamen per 10-20 annos valeret Titius tunc præscribere, sed tantum per 30 annos; quia impossibile videtur ipsum in tali casu cum bona fide juridica judicare posse inchoando possessionem: domus *est* mea (2).

Vel dubium *supervenit* possessioni bona fide jam inchoatæ; et tunc sub gravi tenetur Titius ad inquirendum pro posse de hocce dubio, ut nempe solvatur. Secus enim logice perit ejus bona fides theologica, seu persuasio prudens et moraliter certa de justa retentione domus animo domini; et ita in foro conscientiæ præscriptio interrumpitur. Nisi tamen exceptio supra posita heic iterum suo modo verificetur.

Inquisitione porro facta, vel patebit invaliditas testamenti, quo casu heredibus amici reddenda est domus; vel forsan subjective acquiret Titius moralem certitudinem de validitate, et proinde bona fide theologica perget possidere; vel tandem idem probabile dubium pro et contra ipsi manebit. Tunc autem bona fides theologica logice non impeditur. Etsi enim speculative non detur moralis certitudo rem *esse* præscribentis, practice tamen certum est ipsum animo domini domum juste *retinere* posse; quæ practica certitudo fundatur tum regula juris: in dubio melior est conditio possidentis, tum præsumptione ex communiter contingentibus (3). Non enim directe nititur bona fides theologica in persuasione ordinis speculativi, sed practici.

Fieri tamen potest ut Titius ad hanc certam practice

---

(1) *De Justitia et Jure*, l. I, disp. 7, n. 42-45.

(2) Cf. AUBRY et RAU, *Cours de Droit Civil français*, II, par. 218, 2°: « La bonne foi exige une croyance pleine et entière; le moindre doute de la part de l'acquéreur sur les droits de son auteur est exclusif de la bonne foi ».

(3) Cf. ILLmum WAFFELAERT, *De Justitia*, I, n. 236: « Cum ex una parte, homines rerum satis avidi sint ut non soleant eas apud alios relinquere; et ex alia parte, homines probi non soleant possessiones acquirere absque justo titulo, hinc *juxta id quod plerumque fit* rationabilis inducitur præsumptio quod possessor vere sit dominus rei possessæ ».

conscientiam sibi efformandam non pertingat, sed contra persuasus sit se coram Deo ad domum heredibus reddendam teneri; qui est casus oppositus exceptioni primo loco descriptæ. Et tunc secundum eadem principia perit ejus bona fides theologica, atque præscriptio in foro interno interrumpitur.

Bona vero fides *juridica* in casu dubii intercedentis nullius est applicationis, cum nunquam nisi initio possessionis requiratur.

Tandem, casu quo Titius, incepta cum bona fide possessione, domum mox dono Caio traderet qui jam ab initio de validitate testamenti dubitaverit, adverte dubium tunc Caii non revera præcedere sed supervenire tantum possessioni; non enim Caius inchoat, sed continuat præscriptionem ab auctore bona fide inceptam.

De ignorantia nunc ulterius agendo, semper quidem aliqua datur ignorantia juris vel facti in quacumque legitima usucapione, quippe quæ obtinetur possessione bona fide rei alienæ; sed non cum quavis ignorantia compossibilis est bona fides requisita.

Ignorari porro potest *jus* civile: ut si nesciret Titius invalidum esse testamentum prius, quod per posterius testamentum revocatum fuit; vel *factum* quoddam; ut si Titius jus cognoscens, ignoraret testamentum amici unde domum accepit, de facto per posterius testamentum fuisse revocatum; vel etiam quandoque ignorantia datur tum juris tum facti.

Jamvero ignorantia graviter in conscientia culpabilis, sive juris sive facti, quamcumque bonam fidem impedit; siquidem non potest moraliter certus esse de legitima sua possessione animo domini, nec magis de suo titulo proprietarii, qui ignorantiam quam potest et debet repellere non deponit, conscius se graviter ita delinquere.

Sed bonæ fidei *theologicæ* non obstat ignorantia inculpabilis vel leviter tantum culpabilis, sive juris sive facti; quia compossibilis est cum prudenti judicio moraliter certo. Imo nec talis ignorantia bonæ fidei *juridicæ* obstat, si sit ignorantia facti tantum.

Si vero sit juris, generatim impedit bonam fidem juridicam: scilicet ubi versatur circa *proprium* titulum possessionis; sive quia arguit titulum non esse simul realem et coloratum sicut oportet ad præscriptionem 10-20 annorum, sive quia ipsam persuasionem proprietatis a lege requisitam reddit impossibilem. Ita testamentum revocatum non est titulus realis sed putativus tantum; nec prodest Titio ignorantia istius puncti juris; nam ignorantia juris non mutat jus, nec favet lex ignorantiæ hujusmodi etiam inculpatæ (cf. art. 2267).

Contra, probabilius compossibilis est ad normam legis bona fides juridica cum quadam inculpata ignorantia juris, si versetur circa titulum non proprium sed *auctoris:* ut si Titius domum dono acceperit ab amico qui illam nuper per testamentum revocatum acquisivisset, dum Titius de facto revocationis conscius, testamentum nihilominus validum reputaverit. Nempe cum circa titulum ipsius Titii non detur ignorantia juris nec quidquam bonæ ejus conscientiæ desit, probabilius est hoc casu legem non obstare quin dicatur bonæ fidei juridicæ, modo tamen ignorantiam suam tunc demonstret, casu quo contra eum afferatur scientia ejus de facto revocationis: cum nemo jus ignorare censeatur et proinde legaliter præsumatur Titius invaliditatem testamenti et inde donationis ab initio cognovisse (1).

Q. *An et quomodo dictæ bona fidei possidentis obstat* mala fides auctoris.

R. Hujusmodi est sensus et momentum quæstionis propositæ: utrum unquam in conscientia usucapere possit successor ejus qui mala fide incepit vel saltem retinuit possessionem rei alienæ; aliis verbis, utrum et quousque mala fides auctoris successori in foro interno noceat (2).

---

(1) Cf. Aubry et Rau, *ibidem.*

(2) Jam vidimus auctoris *bonam* fidem successori prodesse, notatim ubi successor possessionem cum dubio proprio incipit.

« *Auctor* heic intelligitur ille, a quo rei possessio transit in alium qui dicitur *successor*. Est autem successor *universalis* si auctori succedat tanquam hæres proprie dictus, aut quocumque titulo universali; *particularis* vero, si titulo particulari, puta tanquam legatarius proprie dictus, vel donatarius, aut emptor. Successor universalis *debet* jungere possessionem suam possessioni auctoris, cujus vel tanquam hæres continuat personam, vel saltem cujus juribus et obligationibus succedit; successor vero particularis jungere *potest* possessiones, art. 2235 » (1).

Jamvero in responso supponimus successori aliquando de mala fide auctoris revera *constare;* secus enim pro ipso quæstio utrum res aliena denique tandem usucapione præscripta existat an contra priori domino reddenda sit nunquam practice ponetur.

Cognita igitur mala fide auctoris, vel successor eo momento nondum *ipse* rem possederit per tempus sufficiens ad personalem usucapionem; vel secus.

Si primum, perit ejus bona fides *theologica* cum certo cognoscat rem esse alienam atque ideo reddendam; unde stante illa scientia nunquam in foro interno usucapere poterit (2). Verum quidem est legem (art. 2235) permittere ut talis sucessor possessionem suam possessioni jungat auctoris: adeo ut si auctor v. g. per 25 annos mala fide possederit, in foro externo sufficiat possessio successoris per 5 annos ad complendam usucapionem. Sed quidquid dicat Codex, indubium videtur hujusmodi præscriptionem in conscientia nihil valere nisi ad excludendam actionem, remanente obligatione fori interni; et hoc etiamsi successoris possessio

---

(1) Illmus Waffelaert, l. c., n. 238.

(2) Nisi forsan illogice sed absque gravi conscientiæ culpa conclusionem non deduceret quæ ex hac insufficienti possessione inferri nata est, sed contra putaret se rem animo domini etiamtum retinere posse: quo casu admittimus ipsum annos propriæ possessionis requisitæ perficere valere.

per 5 annos bona fide fuisset habita. Nam ubi lex civilis definitum tempus ad usucapiendum determinat, per se non valet, mediante hoc temporis lapsu, dominium in foro interno transferre nisi concomitante toto tempore bona fide theologica. Oppositum enim per se bono communi adversatur; adeoque successori nefas esset beneficio legis hocce modo frui ad rem definitive retinendam. Nec ulla prævalens ratio boni communis afferri posse videtur quæ in casu, per accidens, præter denegationem actionis majorem postulet istius legalis præscriptionis efficaciam (1).

Si vero secundum obtinet, scilicet si successor malam fidem auctoris tantum cognoverit post annos propriæ suæ possessionis sufficientes ad usucapionem: tunc, cum per totum tempus sibi necessarium in bona fide fuerit, nihil validæ præscriptioni in conscientia a parte sua obstat, nisi forsan ipsum *jus civile* apponat obstaculum.

Nullum autem impedimentum apponit lex, quotiescumque agitur de successore *particulari*. Successorem vero *universalem* habet qua continuantem eamdem ac auctor possessionem. Unde antiquiores theologi com-

---

(1) Unde non perspicimus quomodo intrinsece probabilis sit sententia a GENICOT-SALSMANS, *Theol. Mor.*, I, n. 491, nota 3, sat indeterminate, et nuperrime a SALSMANS in libro ceteroquin maxime commendabili: *Rechtelijke Plichtenleer*, n. 172, nota 2, aperte proposita: heredem universalem furis qui per 27 annos mala fide possedit, posse tuta conscientia res furatas definitive retinere, si post 3 annos tantum inde ab accepta hereditate furti conscius fiat. Quidni etiam post 3 tantum dies bonæ fidei, si nihil magis præscriptioni tricenariæ auctoris deficeret? Remittitur quidem ad VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia*, n. 277; sed nedum in loco citato hæc proponatur opinio, contra bis ibidem affirmatur tempus utile in casu ad usucapiendum incipere tantum post mortem auctoris. Nec facile sententia laudati SALSMANS cum decreto Concilii Lateranensis IV conciliari posse videtur, definiente nimirum Concilio nullam valere absque bona fide præscriptionem tam canonicam quam civilem: etenim in exemplo proposito 27 primi anni præscriptionis nonobstante auctoris mala fide theologica valerent in computu et adnumerandi essent annis successoris, cum tamen si revera fuissent anni ipsius, fuisset ipse tunc in mala fide.

muniter docebant talem successorem nunquam præscribere posse: sive quia auctor stante mala fide sua nunquam poterat; sive quia hujusmodi successor in omnes obligationes auctoris succedit, ergo et in obligationem restituendi et resarciendi omnia damna, quacum auctor decesserit. Verum sub jure moderno nulla in casu exigitur nisi bona fides juridica auctoris initio possessionis et pro sola usucapione 10-20 annorum, successor vero universalis a nobis supponitur fuisse in bona fide theologica per tempus sufficiens; obligatio autem restituendi et resarciendi præscriptione liberativa et ipsa præscribi potest, vel etiam per legitimam secundum legem usucapionem, supposita bona fide theologica, totaliter extinguitur (1).

Unde practice tuta est sententia tenens malam fidem auctoris non obstare præscriptioni 30 annorum ab ipso successore universali bona fide peracta (2); nec imo præscriptioni 10-20 annorum, modo tunc auctor titulum realem et coloratum habuerit, cum bona fide juridica *initio* suæ possessionis, nec successor cum annis suis annos possessionis auctoris simul computet (3).

E. HOSTEN.

(1) Cf. VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia*, n. 277.

(2) Nisi tamen auctor habuerit *titulum precarium*, v. g. locationis; etenim cum hujusmodi titulus probet contra habentem, nunquam cum tali titulo, nisi intervertatur, præscribere valet sive ipse auctor, sive successor universalis; quippe qui *eamdem* continuat possessionem. Cf. art 2236-2238.

(3) Multi auctores advertunt insuper malam fidem auctoris non obstare successori universali *mediato*, v. g. heredi heredis. Cf. tamen VERMEERSCH, ibidem.

V

De beatitudine.

Q. *Explica et proba hoc assertum:* Perfecta beatitudo non potest haberi in hac vita; in ea tamen jam aliqua beatitudo participari potest.

R. **Explicatur et probatur 1ª pars** juxta S. th. I-II, q. V, a 3.

« Perfecta.... et vera beatitudo non potest haberi in hac vita. Et hoc quidem considerari potest dupliciter. Primo quidem *ex ipsa communi beatitudinis ratione:* nam beatitudo, cum sit perfectum et sufficiens bonum, omne malum excludit, et omne desiderium implet: in hac autem vita non potest omne malum excludi: multis enim malis præsens vita subjacet, quæ vitari non possunt, et ignorantiæ ex parte intellectus, et inordinatæ affectioni ex parte appetitus, et multiplicibus pœnalitatibus ex parte corporis..... Similiter etiam boni desiderium in hac vita satiari non potest: naturaliter enim homo desiderat permanentiam ejus boni quod habet; bona autem præsentis vitæ transitoria sunt, cum et ipsa vita transeat quam naturaliter desideramus, et eam perpetuo permanere vellemus; quia naturaliter homo refugit mortem: unde impossibile est quod in hac vita vera beatitudo habeatur. »

« Secundo si consideretur *id in quo specialiter beatitudo consistit*, scilicet visio divinæ essentiæ, quæ non potest homini provenire in hac vita ut in Primo ostensum est (1). Ex quibus manifeste apparet quod non potest aliquis in hac vita veram et perfectam beatitudinem adipisci. »

---

(1) S. th. I, q. XII, a. 11 ubi probatur hominem in via naturaliter non cognoscere nisi ea quæ habent formam in materia, vel quæ per hujusmodi cognosci possunt. Ratio autem est quod modus cognitionis sequitur modum rei cognoscentis. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 89 ss.; t. IV, p. 588 ss. Cum delectatione leges S. c. G., l. III, c. 48.

Clariora sunt hæc quam ut ulterius explicari indigeant (1). Notemus tantum hæc omnia impedimenta beatitudinis in præsenti statu naturæ humanæ esse sequelas peccati originalis, quæ præter mala corporalia, reducuntur ad quatuor vulnera naturæ per istud peccatum inflicta, quæ sunt ignorantia et obscuritas in intellectu, malitia in voluntate, infirmitas in appetitu irascibili, concupiscentia in appetitu concupiscibili (2).

Exponitur 2ª pars asserti. « Homines reputant in hac vita esse aliquam beatitudinem propter aliquam similitudinem veræ beatitudinis: et sic non ex toto in sua æstimatione deficiunt. » S. th., l. c., ad 3m. Ita S. Scriptura beatos prædicat justos jam in hac vita: « *Beati* immaculati in via... (3) »; « *Beati* pauperes spiritu... (4) » etc., « vel propter spem beatitudinis adipiscendæ in futura vita, secundum illud Rom. VIII, 24 « Spe.... salvi sumus »; vel propter aliquam participationem beatitudinis secundum aliqualem summi boni fruitionem. » S. th., ibid., ad 1m.

Quænam sit illa beatitudo latius exponit S. Doctor, l. c., q. II, a. 2, ad 4: « In hominibus... secundum statum præsentis vitæ est ultima perfectio *secundum operationem qua homo conjungitur Deo....* » Hæc operatio, quamvis deficiat a perfecta beatitudine, quatenus nec una est, nec continua, nec sempiterna, « est tamen aliqua participatio beatitudinis. (5) »

---

(1) Facile in iis materiam inveniet concionator amplam ad instructionem et ædificationem fidelium. Vide simile conamen in *Der Katholik*, 1913, p. 289 ss. ubi exponitur doctrina de fine ultimo et beatitudine contenta in S. c. G. l. III, c. 2, ad c. 63.

(2) Cfr. Illmus ac Revmus Waffelaert, *De Virtutibus cardinalibus. De Prudentia, fortitudine et temperantia*, p. 15, n. 13.

(3) Ps. **118**, 1.

(4) Mt. V, 3 ss.

(5) Pergit autem textus quasi revelando nobis intimam S. Thomæ experientiam nobisque pretiosam exhibendo monitionem practicam: « Quanto operatio [qua Deo conjungimur] potest esse magis continua et una, tanto plus habet rationem beatitudinis; et ideo in activa vita, quæ

Jam autem, in quovis ordine, Deo, summo bono intellectuali, conjungimur per *operationem partis intellectivæ,* per *cognitionem* nimirum intellectualem qua Deum apprehendimus atque intus in anima suscipimus, et per *amorem* quo Deum, cognitum tamquam bonum nostrum et tamquam infinitum bonum in se, appetimus, Ipsum nobis cupiendo, atque ultimo intendimus, nosmet Ipsi plene donando.

Ergo beatitudo illa inchoativa *essentialiter* consistit in cognitione et amore Dei, unde enascitur gaudium intimum (1) et pax solida (2).

Ad hanc vero beatitudinem inchoativam pertinet *secundario*, ut statim patet, remotio illorum impedimentorum quæ in prima parte responsi vidimus obstare quin beatitudo præsentis vitæ sit perfecta.

Itaque 1/ *scientiæ speculativæ* quibus intellectus noster aliquo modo in actum reducitur, attingendo quasdam veritates participatas, constituunt aliquam participationem veræ et perfectæ beatitudinis (3) quæ, ut supra diximus, consistit in ultima et completa actuatione

---

circa multa occupatur, [intellige vitam activam ad extra, seu apostolicam], est minus de ratione beatitudinis quam in vita contemplativa, quæ versatur circa unum, id est, circa veritatis contemplationem: etsi aliquando homo actu non operetur hujusmodi operationem, tamen, quia in promptu habet eam, semper potest operari; et quia etiam ipsam cessationem, (puta ratione somni vel occupationis alicujus naturalis), ad operationem prædictam ordinat, quasi videtur operatio continua esse.»

(1) Gaudium nimirum de veritate quod a S. Aug. (Conf. l. X, c. 22) vocatur beatitudo. Omnis namque veritas creata et participata intellectu inventa atque possessa gaudium generat maximum: quanto magis ipsa Veritas increata et subsistens, quæ menti inquietæ et hæsitanti ultimum præbet responsum ultimo cur, menti vero contemplanti objectum offert inexhauribile, altitudinem [abyssum] divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei! Rom. XI, 33. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 657 ss.; II-II, q. XXVIII.

(2) Pax seu quies appetitus in solo bono firmo et subsistente, cujus cœtera bona participationes sunt tantum, et cui qui adhæret firmabitur in ævum, dum qui adhæret creaturæ cadet cum labili. Imitatio, l. II c. 7; II-II, q. XXIX.

(3) S. th., l. c., q. III, a. 6 et a. 7.

partis intellectivæ per contemplationem Ipsius Veritatis imparticipatæ et subsistentis. Quum autem operatio intellectiva dependeat in nobis ab operatione sensitiva, ideo *operatio sensuum* antecedenter requiritur ad beatitudinem (1).

2/ « Requiritur etiam quies a perturbationibus passionum ad quam pervenitur per *virtutes morales* et per *prudentiam* (2) », seu per rectitudinem voluntatis moderantis juxta debitum ordinem ad finem ultimum passiones inordinatas (3) et per operationem intellectus practici ordinantis actiones et passiones humanas (4).

3/ Præterea « ad beatitudinem hujus vitæ de necessitate requiritur *corpus* », nam « operatio... intellectus in hac vita non potest esse sine phantasmate, quod non est nisi in organo corporeo (5) ». Requiruntur etiam *aliqua bona quæ ad corpus pertinent*, tum interna, ut bona dispositio corporis (6). tum externa (7). Felix indiget etiam *societate amicorum* (8).

Beatitudo inchoativa supernaturalis.

Quæ hucusque diximus de beatitudine possibili in hac vita, vera sunt etiam in ordine mere naturali. Si

---

(1) S. th., *ibid.*, a. 3. Dum autem in perfecta beatitudine perfectio et felicitas redundat a superiori parte in inferiorem, in beatitudine imperfecta præsentis vitæ e converso proceditur a perfectione inferioris partis ad perfectionem superioris.

(2) S. c. G., l. III, c. 37.

(3) S. th., l. c., q. IV, a. 4.

(4) S. th., l. c., q. III, a. 5.

(5) S. th., l. c., q. IV, a. 5.

(6) S. th , l. c., q. IV, a. 6. « Manifestum est.... quod per invaletudinem corporis in omni operatione virtutis [dans l'usage de ses facultés] homo impediri potest. »

(7) S. th., l. c., q. IV, a. 7. « Indiget enim homo in hac vita necessariis corporis tam ad operationem virtutis contemplativæ quam etiam ad operationem virtutis activæ. » Cfr. S. c. G., l. III, c. 37 : « Requiritur incolumitas corporis ad quam ordinantur artificialia omnia quæ sunt necessaria ad vitam. »

(8) S. th., l. c., q. IV, a. 8 : nimirum « propter bonam operationem ut scilicet eis benefaciat, et ut eos inspiciens benefacere delectetur, et ut ab eis in benefaciendo juvetur. »

vero ad præsentem ordinem, naturæ nimirum lapsæ sed reparatæ, illa transferamus, dicendum beatitudinem inchoativam consistere *in operatione* illarum *facultatum supernaturalium* quæ sunt virtutes infusæ : *essentialiter* nimirum in actibus *virtutum theologicarum,* quibus homo immediate conjungitur Deo (1), et qui maxime similes sunt actibus vitæ futuræ ; *secundum quid* autem in actibus *aliarum virtutum*, quatenus auferunt impedimenta illius unionis cum Deo (2). Addi potest eam ex parte pendere a præsentia bonorum temporalium sive internorum sive externorum quibus satisfit ordinatis desideriis et necessitatibus hominis, sicut supra dictum est (3).

Hæc operatio virtutum infusarum, quæ est vita supernaturalis in actu secundo, cujus vitæ fons indeficiens est Christus (4), usque in nobis augeri potest, adjuvantibus donis Spiritus sancti, « donec occurramus omnes... in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi » (5).

Exercitium nimirum *virtutum moralium,* præsertim si perfectum sit per praxim consiliorum evangelicorum,

---

(1) Per *fidem* apprehendimus finem nostrum supernaturalem, Deum intuitive videndum, et media ad eum proportionata. Per *spem* movemur ad hunc finem inquirendum, auxilio Dei confisi. Per *charitatem* tandem anima Deo conjungitur atque aliquo modo cum Ipso identificatur, quatenus amans est in amato reputans bona vel mala amati sicut sua. Cfr. H. Mahieu, *Probatio charitatis*, 2ª ed., p. 200 sq..

(2) Virtutes cardinales præcise opponuntur atque medentur quatuor illis vulneribus peccati originalis supra memoratis : prudentia enim opponitur ignorantiæ et obscuritati in intellectu ; justitia, malitiæ in voluntate ; fortitudo, infirmitati in appetitu irascibili ; temperantia, concupiscentiæ in concupiscibili. Cfr. Illmus ac Revmus Waffelaert, o. c., p. 15.

(3) Apparet ex dictis moralem christianam nequaquam inimicam esse cujusvis progressus sive in ordine scientifico, sive in ordine politico aut œconomico, imo vero eam instigare ad omnem industriam qua *vere* perficitur homo etiam in hac vita, tum quoad corpus, tum quoad animam.

(4) Ipse enim de se testatur « Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant. » Joa, X, 10.

(5) Eph., IV, 13.

producit in nobis spiritum mortificationis, seu libertatem animi a quavis creatura quæ vitam hanc supernaturalem seu ascensum ad Deum impediret (1).

Exercitium vero *virtutum theologalium* hanc ipsam vitam internam supernaturalem essentialiter constituit « estque *vita* vividæ *fidei*, ita ut adjuvantibus donis scientiæ, consilii et intellectus, in omni opere ducamur motivo supernaturali, et Deum ejusque perfectiones et opera tum ratione fide illuminata ex creaturis, tum ex doctrina superne revelata melius cognoscamus, quo magis ad eum diligendum incitemur ; est *vita spei* divinæ, qua, contemptis rebus fluxis hujus mundi, aspiramus ad perenne summumque bonum, Deum, in omnibus ducti fiducia immota in ejus Providentia, fretique ejus auxilio omnipotenti; est *vita charitatis*, qua continuo in divino amore progredi satagentes, omnia opera nostra ex perfectissimo istius amoris motivo exsequamur (2). »

Quodsi omnis vita, utpote operatio immanens, ali-

---

(1) Hoc exercitium constituit primum stadium perfectionis christianæ acquirendæ, quod in theologia ascetica via purgativa appellatur. Ex dictis colliges mortificationem in ascesi christiana non propter se tamquam finem intendi, neque esse destructionem seu suffocationem naturæ humanæ, sed esse medium tantum, necessarium utique pro statu naturæ corruptæ, ad ulteriorem finem, et subordinationem omnium virium nostrarum sub voluntate ratione et fide ad Deum conversa. Per illam igitur reparantur in homine ordo et unitas per peccatum originale destructa. Ita apparet quomodo mortificatio vere sit elementum vitæ ideoque *vivificatio* haud minori jure quam *mortificatio* vocari possit Cfr. Illmus ac Revmus Waffelaert apud *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 337 ss ; t. XVI, p. 441 ss.; H. Mahieu, *Probatio charitatis*, passim, vide tabulam in 2a ed. appositam vo Mortificatio; P. de Chastonay, S. J., in *Praktische Theologische Quartalschrift*, 1912, p. 772 ss. Turpiter igitur errant moderni quando homines docent vivere « vitam suam plenam » repudiata omni mortificatione.

(2) Illmus ac Revmus Waffelaert apud *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 341 sq. In hoc exercitio præsertim consistit alterum stadium perfectionis christianæ, quod via illuminativa nuncupatur. Cfr. H Mahieu, *o. c.*, vo Illuminativa (via). De spiritu fidei in specie, cfr. *Collat. Brug.*, t. XVI, p. 264 ss. et 347 ss.

quam delectationem adnexam habet, nulla sane majorem felicitatem procurare poterit quam hæc vita divina animabus nostris communicata. Hoc est gaudium sanctorum proprium, fructus Spiritus sancti, quod Christus promisit (1), quod S. Paulus toties inculcat (2) et quod non modo non excluditur per miserias præsentis vitæ, imo vero ex ipsis doloribus et afflictionibus omnimodis carpitur (3), fructus mirabilis, uva de spinis et ficus de tribulis (4).

Adnotatio. Unum tantum adnotare superest. Quemadmodum de ipsa beatitudine perfecta in patria (5), ita quoque de beatitudine inchoativa viget disputatio, quam hic indicasse solum sufficiat, in quonam formaliter actu, seu in cujusnam facultatis operatione formaliter sit reponenda, an in contemplatione, an in charitate (6).

A. LEGRAND.

---

(1) Joa XV, 11 : « Hæc locutus sum vobis ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. »

(2) Rom. XIV, 17 : « Regnum Dei pax et gaudium in Spiritu Sancto. » Phil. IV, 4 : « Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. » Gal. V, 22. » Fructus... Spiritus est : charitas, gaudium, pax. »

(3) Post exemplum Apostolorum qui « ibant *gaudentes* a conspectu consilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati », Act. Ap. V. 41, et S. Pauli cui Dominus ostendit quanta oporteat eum pro nomine Ejus pati, *ibid.*, IX, 16 et qui superabundabat *gaudio* in omni tribulatione sua, II Cor. VII, 4, millena verba et exempla sanctorum recensenda forent in quibus elucet stupenda illa passio patiendi ad imitationem Dilecti Domini. Cfr. Mgr GAY, *De la vie et des vertus chrétiennes*, t. II, p. 129 ss.; W. VON KEPPLER, *Mehr Freude*. Tum in prædicatione tum in directione spirituali valde utiliter insistemus in hoc aspectu religionis et perfectionis christianæ. Lege II-II, q. XXVIII-XXIX.

(4) Mt. VII, 16.

(5) Cfr. supra, hoc tomo, p. 255, n. 3.

(6) Vide S. th., I-II, q. III, a. 2, ad 4, a. 5, q. V, a. 4 ; S. c. G., l. III, c. 37 ; II-II, q. CLXXX, a. 1, q. CLXXXIV, a. 1. SALMANTICENSES, *Cursus theologicus*, tr. IX : de Beatitudine, disput. I, dubium appendix ; L. LEHU, *Philosophia moralis et socialis*, p. 48 ; PÈGUES, *Commentaire français littéral*, t. VI, p. 113 ss., 117 ss..

VI

De Jure parochi quoad distributionem Eucharistiæ.

Q. *Describe jus parochi quoad distributionem Eucharistiæ.*

R. Quilibet sacerdos, vi ordinationis presbyteralis, habet ex jure divino *principalem* potestatem ministrandi Eucharistiam (1). Hæc tamen potestas, cum quoad legitimum exercitium juridictioni ecclesiasticæ sit subjecta, ex statuto ecclesiastico exerceri tantum potest a sacerdotibus, quibus cura animarum incumbit, in personas sibi ex officio sive jure ordinario subjectas (2); ab aliis autem nonnisi ex illorum licentia (3).

---

(1) Dicimus *principalem* quia diaconus vi ordinationis diaconalis consequitur quoque quandam potestatem distribuendi Eucharistiam, sed *secundario* tanquam *minister* sacerdotis et ex ejusdem commissione; quam potestatem *extraordinarie* tantum potest exercere, nempe in casu necessitatis (gravis, non extremæ). WERNZ, *Jus Decretalium*, ed. 1908, t. III, n. 739; S. ALPHONSUS, *Theol. Mor.*, lib. VI, tract. III; *de Eucharistia*, cap. 2; GASPARRI, *Tract. canonicus de Sanct. Eucharistia*, n. 1079; LEMHKUHL, *Theol. Mor.*, ed. 1910, t. II, n. 180; GÉNICOT-SALSMANS, *Theol. Mor.*, t. II, n. 181.

(2) Hæc regula colligitur præsertim ex cap. 1, in Clem. V, 7. *De Privilegiis:* « Religiosi qui clericis aut laicis sacramentum Unctionis extremæ *vel Eucharistiæ ministrare*, matrimonia solemnizare, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali...., præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam.... »

Etiam nunc in *Pontificali Romano*, Titul. *Ordo ad Synodum,* Episcopus congregatos admonens, ait: « Nullus alterius parochianum, nisi itinerantem, et tunc de Rectoris sui licentia ad communionem recipiat », Cfr. PIAT, *Præl. jur. regul.*, t. II, p. 243 sq.; Cfr. WERNZ, *l. c.;* GASPARRI, *o. c.*, n. 1070; necnon SUAREZ (in *3 p. D. Thomæ*, disp. 72, sect. 2, n. 2) qui, allatis prius textibus Juris, optime dein exponit hujus regulæ motiva: « .... ut nemo mittat falcem in messem alienam, nec jus alienum usurpet, alioqui nec justitia aut pax servari possunt, nec divina mysteria convenienter dispensari, neque animabus fidelium pro eorum captu et necessitate provideri... »

Juxta moralistas, graviter peccat qui sine ulla jurisdictione vel licentia Eucharistiam dispensat; siquidem pastoris jus violat in re gravi. GÉNICOT, *o. c.*, n. 181.

(3) Habentes enim ordinariam potestatem possunt illam committere seu delegare, quod cæteroquin pro parocho constat ex citato textu *Clem.*

His constitutis, jam apparet parochum habere jus ordinarium distribuendi S. Euchariam in toto districtu parochiali, imo illud jus per se esse *exclusivum*, ita nempe ut nemo (præter S. Pontificem et Episcopum, qui etiam potestate ordinaria gaudent in parochianos) absque licentia parochi hanc functionem sacram in parochia licite peragat, neque parochiani ab aliis Eucharistiam accipere possint. At, ut jam in responso præcedenti (1) insinuavimus, hæc exclusiva parochi competentia haud modicas patitur exceptiones, quæ ex hoc proveniunt, quod, juxta *ordinariam* parochi potestatem, alia erga easdem personas ab auctoritate superiori *delegata* existere solet.

Porro harum exceptionum numerum ita auxerunt tum leges scriptæ, tum consuetudo ut vix aliquid pristini juris exclusivi parochi residuum sit et regula revera facta sit exceptio. Quod ut ordine exponatur, considerare juvat: I° quid ex *pristino* jure parochi servetur: A/ extra ipsius ecclesiam, B/ in ipsa ecclesia parochiali; II° Quid decursu temporum juri parochorum in hac re accesserit.

I. De Jure nativo parochorum.

A/ Extra ecclesiam parochialem ad pauca reductum est jus exclusivum parochi. Etenim:

1. Juri antiquo in primis maxime derogatum est variis Regularium privilegiis, vi quorum possunt, sive per se, sive per alios, omnibus fidelibus, *nulla jam die excepta*, Sacram Communionem in suis ecclesiis ministrare, et prohibetur ne Episcopi, occasione illius privilegii, regulares molestent (2).

2. Æquali deinde potestate gaudent rectores orato-

---

(1) Supra, p. 255 sq.

(2) Cfr. Piat, *l. c.* et alia loca ibi citata; Vermeersch, *Tr. de Religiosis*, ed. 1907, n. 506. Olim excipiebatur dies Paschatis et Romæ etiam feria V in Cena Domini; sed Pius PP. X hanc restrictionem sustulit decreto S. C. C. 28 Nov. 1912. (Cfr. *Collat. Brug.*, 1913, p. 254).

riorum communitatum religiosarum, seminariorum, collegiorum etc., qui vi statuti episcopalis, si non in omnibus, saltem in hac re a jurisdictione parochi eximuntur. Hujusmodi exemptio, quæ solet existere apud nos pro quovis oratorio *publico* vel *semi-publico*, ab Episcopo cultui dedicato, juxta declarationem S. C. C. in *Tornacen.*, 9 Aprilis 1881, licita est « attenta Belgii consuetudine » (1).

3. Imo jam ex recenti concessione S. Sedis, 8 Maii 1907, etiam in *oratorio privato* Sacra Communio distribui potest omnibus qui Missæ ibi celebratæ assistunt (2).

Ex his privilegiis et concessionibus logice deducitur maximam relictam esse fidelibus libertatem quoad recipiendam communionem per diversas ecclesias et oratoria, sive sæcularia, sive regularia.

Attamen competentia parochi manet exclusiva (salvis quibusdam exceptionibus): a/ *jure communi* relate ad communionem *paschalem* suorum subditorum (3), necnon relate ad administrationem *S. Viatici* infra parochiam, et delationem SS. Eucharistiæ ab infirmis ex mera devotionis causa in eorum domo suscipiendæ,

---

(1) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *Compendium*, ed. 1903, n. 529 et seq. Semper tamen attendendum est indultum apostolicum vel statutum Ordinarii quo conceditur exemptionis privilegium plus minusve extensum.

Circa jus Episcoporum quosdam eximendi a jurisdictione parochi, celebre prodiit Decretum S. C. C. 14 Aug. 1863, in causa *Aturensi* (*Nouv. rev. théol.*, t. XXIV, p. 600 ss). In hoc decreto, dubio inter alia proposito: « An unitas et adunatio moralis parochiæ in eo consistat ut omnes fideles adeant nullam præter parochialem ecclesiam, pro recipiendis sacramentis et adimplendis actibus pietatis, qui non sunt de juribus mere parochialibus? », responsum fuit « Prout jacet negative ». Jamvero in casu agebatur de conflictu parochum inter et rectores collegii adolescentium, conservatorii puellarum et hospitalis civilis.

(2) *Collat. Brug.*, t. XII, 1907, p. 728.

(3) Decr. S. C. C., 28 Nov. 1912, de S. Communionis distributione, die Paschatis, in ecclesiis regularium, minime sustulit, ut quidam immerito putant, obligationem S. Eucharistiam recipiendi, semel infra tempus, quo urget præceptum paschale, *in ecclesia parochiali*. Cfr. *Collat. Brug.* 1913, p. 255.

saltem si publice fiat (1); b/ *jure particulari* relate ad communionem *solemnem* puerorum (2).

II. **In ecclesia parochiali**, Eucharistiæ distributio ad parochum spectat. Unde alienum officium invadit qui *sine licentia parochi* hoc sacramentum administrare præsumit. At non ita rigorosum est jus parochi, ut *semper* requiratur *expressa* et *formalis* ejus delegatio. Ita:

1. Hodie, ex consuetudine universaliter recepta, quilibet sacerdos, legitime admissus, Sacram Communionem fidelibus suæ Missæ assistentibus ministrare valet (3). Quod consonat menti Conc. Trid. (Sess. XXII, c. 6, *de Sacr. Missæ*), optantis ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentaliter communicarent. Id tamen posset parochus prohibere tempore paschali, necnon, saltem in quantum postulatur ut ordo in ecclesia servetur, diebus dominicis et festivis (4).

2. Necessaria est licentia parochi ad ministrandam communionem in ecclesia extra Missam ; sed, ubi facile peti non potest, sufficit rationabiliter *præsumpta;* nam hæc delegatio minime, ut pro matrimonio, requiritur ad valorem actus, sed unice ne fiat contra pastoris voluntatem (5).

---

(1) Ab ulteriore descriptione et delimitatione horum jurium, quæ inter stricte parochialia nunc recensentur, hîc abstinere possumus, quum olim jam, apud *Collat. Brug.*, t. VII, 1912, p. 319-323, fuse exposita fuerunt. Cfr. etiam *Collat. Brug.*, t. VI, p. 464.

(2) Juxta *Instructiones Episcoporum Belgii*, datas anno 1910, occasione Decreti *Quam Singularis* (*Collect. epist. pastor.*, nº 154). Vide tamen supra p. 54 et nota exceptionem esse factam pro domibus educationis.

(3) Wernz, *l. c.* in nota; Gasparri, *o. c.*, nº 1076; Génicot, l. c.; Lehmkuhl, *Casus Conscientiæ*, ed. 1907, t. II, n. 139, ubi cl. auctor notat idem esse dicendum pro sacra communione quæ immediate ante vel post missam ministratur.

(4) *Nouv. revue théol.*, t. VI, p. 196.

(5) Hæc jam communis erat sententia canonistarum veterum (cfr. Suarez, *l. c*, nº 3), quamvis in cap. 1. Clem., *De privilegiis*, requirebatur *specialis* licentia. Cum autem Pius IX omiserit hoc verbum, in art. 14, tit. II, Const. *Apostolicæ Sedis*, quo censura plectuntur regulares jus parochi relate ad Viaticum invadentes, communiter jam traditur etiam quoad jura magis stricta parochi np. quoad Viaticum, communio-

3. Licentiam petere non debent illi, qui, ut nostri vicepastores, ab Ordinario deputantur ad sacramenta ministranda sub dependentia parochi in determinata parochia. Consensus enim parochi jam sufficienter habetur in generali admissione ad fungendum munere vicarii in parochia (1).

Imo, quamvis, stricte loquendo et vi principiorum, possent parochi licentiam Eucharistiam ministrandi vicariis recusare, regulariter tamen, ob reverentiam Episcopo debitam, id facere non possunt, sed tantum « prudentia duce, ob bonum animarum, in casu particulari » (2). Excipe tamen rursus (ut sub n° 1) tempus paschale aliosque dies majoris solemnitatis et nota modum et tempus a parocho determinata esse observanda, siquidem ad parochum pertinet officiatura ecclesiæ suæ.

II. **De Jure parochorum acquisito.**

Si in pluribus pristina pastoris competentia fuerit restricta, tamen inde parochus nequaquam minoris juris factus est ac alii rectores ecclesiarum. Nam eædem causæ, leges nempe et consuetudines, quæ parochianos a vinculo liberarunt, vicissim parocho competentiam dederunt in non parochianos, ita ut jam omnes fideles indiscriminatim ad communionem in suis ecclesiis admittere possit (3).

Imo *exclusive* factus est competens parochus ad S. Viaticum ministrandum necnon ad publice SS. Eucharistiam deferendam non-parochianis infirmis, qui fortuito in parochia sua degunt (4).

---

nem pascalem etc., licentiam parochi prudenter præsumi posse : quod tamen generatim intelligendum est cum restrictione quam ponit S. Alphonsus (*o. c.*, n. 300): « modo adsit certitudo moralis de voluntate parochi ». Cfr. Génicot, t. II, n. 209; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 465.

(1) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n. 515.

(2) *Ibid.*, n. 509.

(3) Gasparri, *o. c.*, n. 1076.

(4) De Brabandere-Van Coillie, *o. c.*, n. 466, 470; *Collat. Brug.*, t. VI, p. 463; Feye, *Tr. de parochis*, n. 158; Berardi, *De Parocho*, n. 812, qui excipit casum quo *parochus proprius* adest vel facile accersiri potest, nisi,

*
* *

Ita paulatim relaxatum fuit intimum illud vinculum quo antiquitus parochiani cum parocho connectebantur. Sed nemo non videt sapienter in hoc egisse Sanctam Matrem Ecclesiam, quippe quæ, in bonum animarum præstantius liberiorem et faciliorem reddere voluerit accessum ad S. Synaxim. Quod præsertim apparet ex recentioribus decretis, supra allatis, in quibus S. Pontifex, gloriose regnans, aperte declarat se providere voluisse applicationi Instructionis de frequenti et quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione (1).

Inde conclusio practica habetur : merito parochi sibi vindicant jura sua, non abrogata, quoad distributionem S. Eucharistiæ ; ast illa non ita sibi reservent ac si per se solos semper essent exercenda. Sane a mente Ecclesiæ procul essent, qui, « summum jus » semper quærentes, aliis licentiam S. Eucharistiam ministrandi recusarent, absque probabili motivo et non sine detrimento fidelium.

R. De Schepper.

---

ut in multis locis, consuetudo contraria existat. Quod communionem paschalem spectat, probabilis est sententia vagos et peregrinos communionem paschalem posse recipere in qualibet ecclesia loci ubi actu degunt. (S. Alph., *l. c.*, nº 300).

(1) *Collat. Brug.*, t. XII, p. 728 ; t. XVIII, p. 254.

MISCELLANEA

Casus matrimoniales.

I

Casus. Caia, divortio civili instituto a legitimo viro, novum matrimonium civile iniit cum alio viro, cum quo, superstite legitimo marito, vivit sub eodem tecto. Non potest autem ab hoc altero viro recedere; in hujus enim potestate est tota substantia mulieris adeo ut, si ab ipso separationem instituat, ad miseriam redigatur. Porro vivunt pseudo-conjuges, ætate jam provecti, a toro segregati, quasi frater et soror. — Quærit parochus utrum possit Caiam aliàs bene dispositam ad sacramenta admittere, hoc attento quod in parœcia publicè habentur ut legitime coram Ecclesia conjugati.

Solutio. Censemus affirmandum, siquidem, ut supponitur, non versatur Caia in occasione proxima, nec timendum est scandalum aut offensio populi; satis est quod sincerè eam pœniteat anteactæ vitæ, in specie divortii instituti, novi matrimonii civiliter celebrati, necnon adulterini commercii olim habiti, spondeatque se cohabitationem esse abrupturam quantocius id facere poterit.

Quodsi deinceps innotuerit illegitimitas unionis, non posset jam ad sacramenta recipi publicè; sed ipsi suadere posset parochus ut sacramenta frequentet in alio loco, in quo ignoratur ejus identitas vel conditio, vel ut, si adhuc timeatur scandalum oriturum, mutari curent ambo domicilium et ad alienas oras transferri.

II

Casus. Titia, a legitimo marito divortio civili pariter

separata et alii viro civiliter juncta, gravem morbum contrahit dum in domo paterna momentanee degit, ibidemque in periculo mortis constituta ultima sacramenta petit. — Quæritur 1° an et quibusnam sub cautelis petitioni Titiæ morem gerere possit parochus; 2° quomodo procedendum sit cum ea, postquam convaluerit.

Solutio. Ad 1m. Nihil impedit quominus sacramentaliter absolvatur Titia, si, quemadmodum ex expositis eruendum videtur, benè disposita reperiatur et parata stare mandatis, casu quo supervixerit.

Potest etiam Viatico publicè refici et Extrema Unctione muniri, modò prævie consultum fuerit scandali reparationi et cautum ab offensione populi: ad quod sufficit ut parochus ab ea exigat declarationem coram duobus testibus emittendam et opportune divulgandam, qua scandalosam vitam præteritam retractet, signanter divortii civilis sollicitationem ac adulterinam exinde instauratam unionem, promittatque sese executuram mandata Ecclesiæ.

Ad 2m. Si supervivat Titia, ipsi inhæsitanter imponenda est omnimoda separatio a pseudo-marito suo, actione etiam inducta, in quantum ipsi locus est, ad divortium civile obtinendum.

Divortio hoc obtento, nihil jam, in nostro jure civili Belgico, obstat quominus denuò celebretur matrimonium civile cum legitimo marito (1), ac adeo posset, si aliunde nihil id prohibet, consortium maritale cum ipso restitui. Et hæc esset optima solutio, omnia in integrum reinstaurans.

Quodsi ad divortium civile recurri non queat, Titia pergit esse, coram foro civili, uxor legitima alterius pseudo-viri, nec valet proinde maritaliter conversari

(1) Lege 8 Febr. 1906, feliciter abrogata est dispositio pristini art. Cod. civ. 295, prohibentis divortio separatos iterum conjungi. Vi nempe novi articuli, « les époux divorcés pourront se réunir, en faisant célébrer de nouveau leur mariage ». Cf. *Collat. Brug.*, t. XI, p. 318 ss.

cum priore marito, ab eoque separata manere cogitur quoad torum et cohabitationem, relatione de hoc facta ad Episcopum, prouti de jure: qua facta relatione et obtenta ab Episcopo sententia conformi, conditioni Titiæ (dummodo, ut supponitur, separata maneat a pseudo-viro), est sufficienter provisum, omnibusque postulatis juris canonici factum satis, ac posset dicta Titia ad sacramentorum participationem liberè recipi.

Posset tamen oriri aliqua difficultas *ex jure civili*, in hypothesi facta quod ad divortium civile procedi nequeat: posset nempe secundus vir urgere applicationem articuli Cod. civ. 214, ad cujus articuli tramites, « la femme est obligée d'habiter avec le mari » (1).

Atvero, attenta jurisprudentia hodiedum vigente, integrum quidem est marito actionem inducere coram tribunali contra uxorem civiliter ductam, quæ cum ipso cohabitare renuit; sed judici jam non agnoscitur facultas illam uxorem ad cohabitandum efficaciter cogendi.

Profectò olim uxores reluctantes non semel ad domum conjugalem sunt reductæ *manu militari*, et plures in hunc sensum citantur decisiones apud PLANIOL, *Traité élémentaire de droit civil*, Paris, 1908-1909, I, n. 894, et THIRY, *Cours de droit civil*, Paris-Liége, 1892, I, n. 327; sed jam non desunt decisiones recentiores quibus decernitur ad materialem coactionem non patere recursum.

Ita statuit « tribunal civil de Quimper », die 15 Martii 1905 (*Pasicrisie*, 1907, IV, p. 55 s.), ubi invocatur, præter discussiones quibus locum dedit confectio art. 214, hæc consideratio, quod nempe moribus hodiernis non

---

(1) Applicationi articuli 214 non esset locus etiam in casu quo obtineri posset in foro civili, non divortium, sed separatio corporum (séparation de corps, de qua art. 306 et seq.); ast juxta codicem nostrum civilem, ubi non potest obtineri divortium, frustrà recurreretur ad separationem corporum, cum, ad tramites relati art. 306, separatio corporum ob easdem causas concedatur ob quas obtinetur divortium.

congruit coactio manu militari (1). In eumdem sensum sententiam tulit « tribunal civil de Verviers », 9 Martii 1910, (*Pasicrisie*, 1910, III, p. 268 s.), arguens etiam ex inanitate hujusmodi coactionis (2).

III

Casus. Caius confessarius rescriptum dispensationis obtinuit a S. Sede super affinitate illicita in matrimonio contracto. Reperiens autem pœnitentem in bona fide, rescriptum censuit executioni non mandandum, et documentum destruxit. — Postulat Caius utrum, bona fide evanescente apud pœnitentem, posset dictam dispensationem equidem fulminare?

Solutio. Respondetur *affirmative*. Dispensationis namque non-usus non importat renuntiationem, qua cæteroquin renuntiatione non cessat rescriptum nisi in quantum fuerit dispensationis auctori intimata et saltem implicitè ab eo acceptata (3).

---

(1) « Attendu qu'en l'état actuel des idées généralement reçues en la matière, et dans une législation qui notamment admet le divorce, la mesure sollicitée parait avoir un caractère quelque peu abusif et suranné; qu'elle implique la reconnaissance d'un véritable droit de revendication et de prise de possession, s'appliquant à une personne comme à une simple chose...; que semblable assimilation est quelque peu choquante et sûrement en désaccord avec l'état des mœurs... ».

(2) « Attendu qu'il se conçoit que semblable droit (de contrainte personnelle) qui n'est du reste pas dans nos mœurs, n'ait pas été admis, puisqu'il n'aurait le plus souvent abouti qu'à un scandale sans résultat utile, la contrainte personnelle devant disparaître dès que l'épouse aura été ramenée de force chez son mari, et rien ne l'empêchant plus, dès lors, de déserter à nouveau le domicile conjugal immédiatement après le départ des agents de la force publique qui l'y auraient conduite... ».

(3) Unde etiam ubi, attentis adjunctis, non-usus dispensationis importat tacitam renuntiationem ex parte dispensandi, non cessat dispensatio ante renuntiationis acceptationem ex parte dispensantis.

Ita si quis, dispensatione Romana obtenta sed nondum fulminata super consanguinitate, mutato consilio, implicitè renuntiat gratiæ concessæ, ea non utendo et aliam mulierem absque dispensatione ducendo; posset postea, defunctâ uxore, olim accepta dispensatio fulminari in ordine ad matrimonium cum priori sponsa consanguinea ineundum.

Nec obstat quod documentum fuerit combustum, uti constat ex responso S. Pœnitentiariæ, 29 Febr. 1904 (1): « facultatem perseverare etiam combustis litteris »; additur autem hujusmodi litteras in casu servari posse, « remoto periculo amissionis, quamdiu probabile sit pœnitentem compariturum »: mandatum nempe litteras dispensationis pro foro interno quamprimum lacerandi vel comburendi, non afficit nisi tempus inde ab executione rescripti (2).

Nota. Propositum dubium non spectat dispensationem *ab Episcopo* concessam, vi potestatis ordinariæ vel delegatæ, in Indulto S. Pœnitentiariæ: solet enim Episcopus Brugensis dispensare, etiam pro foro interno, in forma gratiosa. Quodsi confessarius impetratam dispensationem censuerit non esse communicandam ac documentum laceraverit, posset equidem illam communicationem facere postea, mutatis adjunctis, simul impositis pœnitentia aliisque clausulis in destructo rescripto insertis. Hæc communicatio in casu censetur ad valorem dispensationis necessaria, si, uti ex expositis eruitur, omninò ignoravit pœnitens dispensationis petitionem ac impetrationem: absque enim hac communicatione defuisset omnis etiam implicita gratia acceptatio, quæ videtur ad ipsam gratiæ validam consecutionem requiri (3).

IV

Casus. Titius protestans, dubie baptizatus, concubi-

Contrà, si, valedicens priori sponsæ consobrinæ, aliam consobrinam duceret, nova impetrata dispensatione S. Sedis: tunc S. Sedes, novam concedendo dispensationem, renuntiationem prioris dispensationis acceptare censetur. Cf. Pompen, *Tractatus de Dispensationibus*, Amstelodami, 1897, n. 96.

(1) *Theol. Pr. Quartalschrift*, 1905, p. 382.

(2) Nihil etiam impedit quominus conservetur, etiam post executionem, *copia* rescripti, detracta data et omissa omni indicatione qua posset innotescere pœnitens in cujus gratiam fuit obtentum. Hujus copiæ conservatio maxime opportuna fuisset in casu a Caio proposito.

(3) Cf. De Smet, *De Sponsalibus et Matrimonio*, n. 392 et 396.

narie vivit cum muliere pariter protestantica et dubie baptizata, ex eaque plures proles genuit. In periculo mortis constitutus, sincere converti vult et cum Ecclesia catholica reconciliari, necnon unionem suam coram Deo et Ecclesia legitimare. — Indica processum a parocho sequendum.

Solutio.

I. *Quod spectat* **reconciliationem cum Ecclesia.**

Præsupposita elementaria instructione circa præcipua puncta catholicæ doctrinæ, procedendum est juxta ordinem descriptum a Congr. S. Officii, in decretis 20 Julii 1859 et 2 Dec. 1874. Nimirum, prævie obtenta opportuna facultate Episcopi: a/ excipiatur abjuratio et fidei professio ac absolutio detur a censuris pro foro externo; b/ conditionate conferatur Baptismus; et c/ excipiatur confessio sacramentalis cum absolutione conditionata (1).

Quodsi tempus defecerit Episcopum adeundi, omissa absolutione a censura in foro externo, illicò procedatur ad Baptismi conditionatam iterationem, et ad conditionatam absolutionem sacramentalem a peccatis, cum absolutione a censuris pro foro interno.

II. *Quod spectat* **matrimonium celebrandum.**

A. Quod attinet *dispensationem:*

1° *Si tempus sit,* recurratur ad Episcopum, a quo obtineri curet parochus: a/ dispensationem, vi indulti 20 Febr. 1888 elargiendam, super impedimento disparitatis cultus, in quantum est opus, injunctis prævie et acceptatis clausulis solitis (2); b/ declarationem de

---

(1) Notum est, ad tramites decreti citati 2 Dec. 1874, conditionate baptizandos posse « ad majorem ecclesiasticæ functionis facilitatem, prius audiri sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem; deinde post collationem Baptismi sub conditione, confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum pœnitente iis de quibus jam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter, pariter sub conditione ».

(2) Cum agatur de matrimonio inter cultu dispares vel mixtæ religio-

cessante ex epikeia impedimento mixtæ religionis, quatenus obstet (1); c/ legitimationis decretum in gratiam prolium probabiliter spuriarum; d/ delegationem pro parocho ad dispensandum cum moribundo concubinario super omnibus impedimentis dirimentibus, quæ forte innotescerent ulterius, infra limites indulti anni 1888.

2° *Si tempus urgeat,* ita ut copia non sit Episcopum adeundi: potest parochus per seipsum dispensare ac proles legitimare, vi ejusdem indulti 1888, cujus facultates habitualiter subdelegat Episcopus Brugensis omnibus diœceseos parochis, quotiescumque deest tempus Episcopum adeundi et periculum est in mora; potest etiam parochus declarationem emittere de cessatione impedimenti mixtæ religionis.

B. Quod attinet *ipsam matrimonii celebrationem:*

Parochus assistat *passivè*, i. e. absque ullo ecclesiastico ritu, ea tamen lege ut consensum exquirat et recipiat: quæ consensus exquisitio et exceptio, inde a Decreto *Ne temere*, jam urgetur ad valorem.

Quodsi gravissima rationis momenta obstent testium præsentiæ, posset parochus ad matrimonii celebrationem procedere absque eorum præsentia, prævie dispensando super impedimento clandestinitatis, quod impedimentum noscitur non excipi a facultatibus anni 1888.

Contractum matrimonium curet parochus inscribi in registro matrimoniorum, si huic inscriptioni nihil obstet; secus matrimonii notitiam transmittat ad Cancellariam episcopalem, ut in registro secreto notetur et conservetur.

Nota. 1° In data solutione, in specie sub A, supponimus partem acatholicam consentire in cautelarum observationem ex sua parte. Quodsi nollet earum ob-

---

nis, non est obtinenda dispensatio in bannis, siquidem norma est, in hujusmodi nuptiis, ut fieri prohibeantur proclamationes antenuptiales.

(1) Mixta religio, utpote impedimentum *impediens,* non continetur in facultatibus anni 1888. Opinamur autem illud in extremis cessare ex epikeia. Cf. *Tract. de Sponsalibus et Matrimonio,* n. 357.

servationem spondere, supersedendum esset matrimonii celebrationi, donec S. Sedes adiri ac consuli queat.

Non valet namque, attento præsertim decreto C. S. O., 13 Juni 1912 (*Collat. Brug.*, t. XVII, p. 557 ss.), non valet, inquam, Episcopus (et a fortiori parochus), vi indulti dispensare, vel in ipso mortis articulo, super disparitate cultus, denegatis præscriptis cautionibus, et sic impertita dispensatio declaratur nulla ac valida.

Dilatio matrimonii non prohiberet quominus infirmus aliunde ritè dispositus illicò ad conditionatam Baptismi iterationem ac sacramentalem absolutionem admitteretur. Satis esset ut consenserit cautelas adhibere ad removendum omne periculum peccandi cum concubina, donec, impetrata S. Sedis dispensatione, matrimonium fuerit rite celebratum, utque promiserit sese conformare instructionibus et mandatis accipiendis.

2° Non est cur anxiaretur parochus, in proposito casu, de lege anterioritatis matrimonii civilis. Nimirum, si judicaverit tempus deficere ut matrimonii religiosi celebrationi præmittantur formalitates civiles, potest tutò procedere. Locus namque est applicationi legis a D. Woeste propositæ et die 3 Aug. 1909 sancitæ, vi cujus jam non urgetur sanctio pœnalis contra sacerdotem, qui moribundum ad matrimonium religiosum admiserit absque prævio matrimonio sic dicto civili, quando contingit quod « tout retard apporté à la bénédiction nuptiale eût pu avoir pour effet de rendre le mariage religieux impossible ». Consulendum in casu, licet id in legis tenore non requiratur, ut de temporis angustiis constet medici testimonio (1).

V

Casus. Paulus maritus ab uxore adultera derelictus, petit a parocho licentiam actionem inducendi in divor-

(1) Cf. hujus legis commentarium apud *Collat. Brug.*, t. XV, p. 99 ss.

tium civile. Invocat periculum intrusionis prolis adulterinæ, illudque eo certius ac urgentius quod acceperit nuntium prolis ex adulterino commercio uxoris cum alio viro jam natæ.

Solutio. Causa deferenda est ad Episcopum, ad cujus tribunal deducendæ sunt omnes proprie dictæ causæ matrimoniales; eo vel magis quod controversiæ sit obnoxia quæstio de malitia intrinseca sollicitationis divortii, quodque, etiam admissa sententia benigniori (quam admittendam esse non dubitamus), prudentissime sit procedendum in dijudicanda gravitate causæ hujusmodi sollicitationem legitimantis, et inordinationem ipsi adnexam abstergentis.

Porro causa invocata inter urgentissimas meritò habetur, cum intrusio prolis adulterinæ omni exceptione gravius constituat incommodum ac detrimentum, tam pro viro quam pro legitimis filiis.

Equidem prostat marito facultas prolem illam repudiandi, ad tramites articuli Codicis civilis 312, sub alinea 2°; sed, ut hac facultate utatur, debet probare *physicam* impossibilitatem paternitatis suæ, i. e. probare « que, pendant le temps qui a couru depuis le trois centième jusqu'au cent quatre-vingtième jour avant la naissance de cet enfant, il était dans l'impossibilité *physique* de cohabiter avec sa femme »: quæ probatio, a priori difficillima, a posteriori et ex experientia ostenditur vix possibilis, eo vel magis quod malitiosè enervari possit ab uxore, subrepticiè scil. domum conjugalem frequentante.

Præsto est etiam dispositio art. 313, vi cujus paternitatem repudiare potest idem maritus, adulteræ uxori opponendo *moralem* impossibilitatem cohabitandi cum ea, per tempus legale conceptionis; sed hæc articuli 313 dispositio non applicatur, nisi posita conditione rarò obtinente et in nostro casu non verificata, quod uxor prolis nativitatem occultaverit, quodque de illa occultatione ritè constiterit.

Hæc sunt remedia vix unquam efficacia, quæ, coram jure nostro civili, suffragantur marito, ad vitandam ingratam illam alienæ prolis intrusionem, ad enervendam scil. illam præsumptionem juris: « is pater est quem nuptiæ demonstrant ». Solum remedium efficax est in recursu ad divortium civile, favore cujus vir cessat, coram foro civili, esse maritus; nec juvat, in præsenti disciplina juris civilis hucusque vigente (1), recurrere ad separationem corporum.

Unde non immeritò annuendum censuit Episcopus Brugensis petitioni Pauli, salva tamen hac duplici cautela opportunè servanda, ut nempe a/ Paulus promiserit se non attentaturum novum matrimonium, quousque compars supervixerit, et hujus promissionis scriptum documentum, signo manuali subsignatum, parocho tradiderit; b/ ut declaraverit, in scripto pariter documento, se non induxisse instantiam in divortium nisi auctoritate Episcopi et de ejus licentia formiter postulata et ritè concessa. Quod utrumque factum, promissionis scil. et declarationis, ut opportune vulgaretur, curare debuit parochus.

A. De Smet.

---

(1) Dicitur: « *in præsenti disciplina* »; quia brevi introducenda speratur fausta immutatio. Nimirum a D. Alexandro Braun inducta est, die 7 Aprilis 1905, et, die 16 Martii 1911, salva levi moderatione, a Senatu jam adoptata, propositio legis, juxta quam « en cas de jugement ou même de demande *en séparation de corps*, le mari pourra désavouer l'enfant né trois cents jours après la décision qui aura autorisé la femme à avoir un domicile séparé, et moins de cent quatre-vingts jours depuis le rejet définitif de la demande ou depuis la réconciliation. L'action en désaveu ne sera pas admise si la femme prouve qu'il y a eu réunion de fait entre les époux ».

Quæ dispositio, si in legem sanciri contingat, permittet ut maritus haud ægre repudiet paternitatem, recurrendo ad solam separationem corporum, absque recursu ad divortium civile.

DE GEMINIS NARRATIONIBUS IN S. SCRIPTURIS.

NARRATIO DILUVII.

Occasione variarum quæstionum quas hisce ultimis mensibus Conferentiis nostris sacerdotalibus solvendas proposuimus circa primordia mundi et generis humani, utile diximus penitius inquirere de quæstione quadam quæ potissimum movetur circa hæc priora aliaque capita libri Geneseos. Quæ quæstio dici solet de **geminis seu duplicibus narrationibus** (gallice: *Doublets*, germanice: *Doppelberichte*), eaque intime connexa est cum quæstione de historicitate ejusdem libri Geneseos.

Quæ ut nitide et logice exponantur successive præstanda erunt hæc:

§ I. **Notio** geminarum narrationum expendenda, et **status quæstionis** indicandus;

§ II. Solvenda erit **quæstio juris**, utrum scil. hujusmodi theoria, inspecta doctrina catholica circa inspirationem, tutò teneri possit;

§ III. Una applicatione solvenda erit **quæstio facti**, utrum scil. hujusmodi geminæ narrationes de facto occurrant in sacra Scriptura; quare de narratione diluvii inquiretur.

*
* *

§ I. Notio geminæ narrationis. — Status quæstionis.

Exemplo infra in § III latius examinando et breviter hic relato bene intelligetur notio geminæ narrationis.

Prout licitum dici declaravit Commissio biblica (1),

(1) Decretum 27 Junii 1906. Cfr. *Collat. Brug*, t. XI (1906), pp. 529 ss.

« Moyses ad suum conficiendum opus (Pentateuchum) *fontes adhibuerit*, scripta videlicet documenta vel orales traditiones, ex quibus, secundum peculiarem scopum sibi propositum et sub divinæ inspirationis afflatu, nonnulla hauserit eaque ad verbum vel quoad sententiam, contracta vel amplificata, ipsi operi inseruerit ». Porro, sic dicunt patroni theoriæ in præsenti examinandæ, in istis fontibus, in ista traditione orali, vel potius in istis scriptis documentis, existebat *circa factum diluvii duplex relatio*. Utraque autem relatio, *quoad substantiam facti*, *consentiens* erat : utraque enim referebat ingentem istam cladem qua olim Deus puniverat generis humani corruptionem, et a qua mirabili modo præservaverat Noe et familiam suam ; *quoad adjuncta* vero quædam *accidentalia*, non tantum *nonnulla ex iis bis* referebantur, sed occurrebant inter utramque relationem *divergentiæ:* puta circa numerum animalium in arcam introducendorum : juxta unam narrationem Noe secum ducere debebat *duo* ex omnibus, dum juxta alteram, septem paria ex animalibus mundis et duo paria ex immundis ; — circa durationem diluvii : juxta unam narrationem aquæ creverunt per 150 dies, juxta alteram vero per 40 tantum, etc. Moyses factum istud, tanti valoris moralis, narraturus in libro suo, narrationem suam ex utraque relatione, ex utroque documento composuit, documenta sua vix non talia qualia transscripsit, et quidem nonnulla ex adjunctis istis divergentibus servavit, quin ea mutaret et inter se conciliaret.

Quod hic breviter referimus de narratione diluvii, applicant auctores aliis adhuc *factis* narratis tum in libro Genesecos, tum in aliis libris Veteris Testamenti, tum imo in ipsis Evangeliis synopticis. Idemque applicant certis *dictis* qualia in libris sacris occurrunt.

Ex hucusque expositis jam desumi potest hæc **notio geminæ narrationis :**

In eo est quod duplici vice vel et duplici modo refertur unum idemque factum vel dictum : *duplici vice*, ita ut

quædam saltem adjuncta miro quodam modo *bis* referantur ; *duplici modo*, ita ut etiam inter nonnulla ex istis adjunctis accidentalibus vigeat *divergentia*.

Originem autem hujusmodi geminarum narrationum *pro plerisque casibus* eo modo explicant quem pro narratione diluvii indicavimus : auctor sacer, ad conscribendam narrationem suam, adhibuerit duplicem relationem, scriptam vel oralem, diversam, in quibus præcise factum istud aut dictum cum adjunctis istis divergentibus referebatur. *Interdum* vero, potissimum circa *dicta* quædam, hæc proponitur explicatio : auctor sacer noverit unam tantum relationem cujusdam dicti, puta Christi ; sed istud dictum duplici loco diverso et quasi diverso quadro retulerit (1).

His dictis, jam sponte intelligetur **status quæstionis** :

1. Abstrahendo ab examine librorum sacrorum, adeoque **theoretice** seu **de jure**, inspectis np. iis quæ a priori nobis, catholicis, vi doctrinæ circa inspirationem, tenenda sunt, — an admitti potest hæc theoria ? Nonne enim sic ruit *inerrantia S. Scripturæ*, et in specie nonne pessumdatur veritas ipsius *in rebus historicis ?*

2. Supposita prioris istius quæstionis solutione in favorem legitimitatis theoriæ descriptæ, — an **de facto** in libris sacris occurrunt hujusmodi geminæ narrationes ?

Quam utramque quæstionem successive examinaturi, *prius* tamen *quæstionem juris* assumimus, deinde vero quæstionem facti. Etenim, quidquid non pauci recentiores dicant, putamus *rectam methodum* in hac et aliis hujusmodi disquisitionibus circa naturam et consectaria inspirationis, eam esse quæ *a priori* dicitur ; nimirum putamus præstare ut, antequam *facta quælibet* circa

---

(1) Ita P. Prat quædam duplicata admittit et explicat in Synopticis : « Quelques doublets, surtout dans S. Matthieu, autorisent une autre hypothèse. L'écrivain sacré aurait rapporté une parole de Jésus-Christ à sa place chronologique, ensuite il l'aurait répétée à un autre endroit, dans un cadre artificiel, pour éclairer et compléter un corps de doctrines » (*Revue Biblique*, 1898, p. 541).

libros inspiratos statuas, in antecessum ex principiis revelationis inquisieris utrum facta ista cum inspiratione componi possint. Ita, in casu nostro, si verum esset, ut quidam voluerunt, theoriam de geminis narrationibus cum dogmate inspirationis *non posse componi,* eo ipso quæstio facti soluta esset: quantumvis putare posses te alicubi in libris sacris detegisse geminam narrationem, illud tamen admittere non posses. Imo, nisi ex examine doctrinæ revelatæ positive videris eamdem theoriam cum dogmate inspirationis *posse componi*, *imprudenter ageres* facta a te detecta ut indubia admittendo. Hoc enim putamus esse prudentis catholici ut, in hoc negotio librorum sacrorum, nulla facta admittat nisi prius positive perspexerit ista cum doctrina catholica posse componi (1).

Sententias auctorum catholicorum quod spectat, eæ quidem unanimes nondum factæ sunt, nec imo iidem auctores semper, in variis suis scriptis, constantes sibi sunt. Attamen in dies numero augentur auctores qui theoriam de geminis narrationibus sive theoretice admittunt, sive insuper pluribus factis in S. Scriptura relatis applicant.

Inter auctores catholicos qui hujusmodi geminas narrationes vel theoretice admitti posse putant, vel et de facto in variis libris S. Scripturæ detegi æstimant, citari possunt:

Corluy, S. J., apud *La Science catholique*, t. IX (a. 1895),

---

(1) Multum tamen abest quin *examen ipsorum librorum inspiratorum* inutile dicamus ad habendam rectam notitiam circa ea quæ cum inspiratione compossibilia sunt. Etenim ex hujusmodi examine apparebit quid, *inter plura* quæ a priori videris cum doctrina circa inspirationem posse componi, quid inquam *de facto* locum habuerit. Sed potissimum ex dicto examine attentio tua provocabitur in plures quæstiones de quibus secus forte non cogitares in examine quod circa doctrinam instituere intendis; idem quoque examen factorum efficiet forte ut, quod ubique usu venit, prudentius procedas in examine doctrinæ catholicæ, ne nempe imprudenter decernas esse impossibilia talia quæ forte postea, re melius perspecta, bene compossibilia esse invenies.

p. 946, pro historia Joseph in libro Geneseos; — HUVELIN, S. J., *Mélanges pour l'étude du Pentateuque,* apud *Études,* t. 115 (a. 1908), pp. 766 ss., pro Pentateucho; — ID., *Questions d'Écriture Sainte,* apud *Études,* t. 117 (a. 1900), pp. 55 s.; — ID., *Les doubles récits et la vérité historique de la Genèse,* apud *Études,* t. 121 (a. 1909), pp. 163 ss.; — ID., *Les doubles récits dans la Genèse,* apud *Études,* t. 130 (a. 1912), pp. 79 ss.; — GIGOT, *Special introduction to the Study of the Otd Testament,* (ed. 2ª, a. 1901), parte I, p. 174 s., pro historia diluvii in Genesi; p. 257 s., pro libris Samuel, aliisque pluribus libris historicis Veteris Testamenti; — PETERS, apud *Orientalistische Literatuzeitung,* t. XII, 1 (1909), p. 30, pro narratione diluvii (cit. apud ALLGEIER, *Ueber Doppelberichte in der Genesis,* Freiburg i. B. 1911, p. 20, *nota 1*ª); — ID., *Ein katholischer Kommentar zu den Büchern Samuel auf den Boden der Quellenscheidung (Dhorme),* apud *Theologie und Glaube,* t. II (a. 1910), pp. 179 ss.; — ID., *Der geschichtliche charakter von Gen. I-III, period. cit.,* pp. 42 ss.; — ID., *Glauben und Wissen im ersten biblischen Schöpfungsbericht,* Paderborn, 1907; — PIFFARD, cit. apud *Études.* t. 117 (a. 1908), p. 56, pro libro Machabæorum; — DHORME, O. P., *Les Livres de Samuel,* Paris, 1910, pp. 4 s., pro libris Samuel; — MERKELBACH, *L'inspiration des divines Écritures,* Liége, 1911, pp. 37 s., pro libro Geneseos, libris Judicum, Samuel et Regum (cfr. *Revue ecclésiastique de Liége,* 1911); — RONGY, *Les doubles récits de la création et du déluge,* apud *Revue ecclésiastique de Liége,* 1910-11, pp. 373 ss.; — SCHAEFERS, *I Sam. 1-15 literarkritisch untersucht,* apud *Biblische Zeitschrift,* t. V (1907), pp. 1 ss.; — CONDAMIN, S. J., apud *Revue pratique d'Apologétique,* t. V (a. 1907-08); pp. 586 s.; — *ibid.,* t. VI (a. 1908), pp. 544 s.; — *ibid.,* 1911, pp. 218 ss.; — GÖTTSBERGER, *P. Vetters Stellung zur Pentateuchkritik,* apud *Biblische Zeitschrift,* t. V (1907), pp. 133 ss.; *ibid.,* t. III (1905). Cfr. *Revue biblique,* t. II (a. 1905), p. 621; — VETTER, *period. cit.* et *l. c.;* ID., apud *Theologische Quartalschrift,* t. 87 (1905), p. 116, pro libris Samuel; cfr. ALLGEIER, *o. c.,* p. 137; — SCHULZ, *Dobbelberichte im Pentateuch,* Freiburg i. B., 1908; — ID. *Geschichte und Erbauung im Alten Testament,* Braunsberg, 1911; — LAGRANGE, *Le Livre des Juges,* Paris, 1901; cfr. *Revue biblique,* t. VI (1897), pp. 370 s.; — ALLO, O. P., apud *Revue biblique,* t. II (a. 1905), pp. 620 ss.

Huc refer hæc a BACUEZ-VIGOUROUX, *Manuel biblique*, Paris, 1906, t. I, n. 6, desumpta ex VOLLOT, *Devoirs de la critique envers la Bible,* apud *Correspondant*, 1869, p. 690 s.: Pour l'écrivain d'Orient « un livre est une série de documents plus ou moins reliés ensemble. Avec ces procédés les répétitions... sont inévitables. Un récit se trouve raconté deux ou trois fois avec des détails plus ou moins variés; quant à polir toutes ces aspérités, quant à concilier les divergences [apparentes] (1), l'homme de l'Orient n'y songera pas un instant... ». — DURAND, S. J., *Critique biblique*, apud *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* c. 803, theoriam non repellit. « Faut-il, sic ait, se hâter de barrer le chemin à la théorie littéraire des doublets, au nom de l'inerrance biblique? C'est une méthode expéditive, mais qui n'est pas toujours à l'abri des dangers de la précipitation. Il y a quelques années à peine, des auteurs bien intentionnés, mus par des considérations analogues, se refusaient à admettre que Moïse eût eu recours à des documents écrits pour rédiger le Pentateuque, à l'exception peut-être de la Genèse et des premiers chapîtres de l'Exode. Or, la Commission biblique vient d'autoriser l'hypothèse des sources, orales ou écrites, sans aucune réserve ». — ID., *L'autorité de la bible en matière d'histoire,* apud *Revue du clergé français,* t. 33, 1913, pp. 1 ss.; — PESCH, *De Inspiratione Sacræ Scripturæ*, Friburgi i. B., 1906, pp. 541 ss., ubi ex aliis auctoribus adducit quædam exempla, monens quidem, et merito, ne simus faciliores ad talia admittenda, bene tamen admittens ea posse, vi theoriæ de citationibus implicitis (vide infra) cum inspiratione componi; — JANSSENS, O. S. B., *De Deo Creatore,* Friburgi i. B., 1905, p. 299, tenet in Gen. I-II, 3 et II, 4 ss. haberi quasi duplicationem ejusdem argumenti, quatenus bis rerum origo describitur, modo et ordine diverso; — MANGENOT, *Dict. de théol. catholique,* vº *Genèse*, col. 1203 s. concedit dari posse geminas narrationes tales ut inter eas existant *divergentiæ*, sed negat inter eas dari *contradictiones*: rem tamen non dijudicat quantum ad doctrinam catholicam circa inspirationem et inerrantiam, sed potius sub respectu practico sic loquitur:

---

(1) Hoc vocabulum a Vigouroux fuit insertum in textum Vollot.

« On ne comprend pas que Moïse, ou même un rédacteur quelconque qui lui serait de beaucoup postérieur, n'aurait pas remarqué ces contradictions et ne les aurait pas fait disparaître dans sa combinaison des deux sources consultées... ».

§ II. De geminis narrationibus: quæstio juris.

Illud in sequentibus examinandum nobis proponimus, quomodo dicta theoria se habeat **relate ad doctrinam catholicam circa inspirationem** ejusque consectaria essentialia; qua in re obvia habebimus **quædam decreta** ultimis annis edita a **Commissione pontificia de re biblica.**

Multis, legentibus descriptionem supra datam de geminis narrationibus, sponte ni fallimur, orietur *difficultas:* quomodo potest cum omnimoda **inerrantia** quam sacræ Scripturæ, utpote verbo Dei, agnoscere debemus, componi quod, in ipsis narrationibus historicis ibidem relatis, *occurrant adjuncta quædam quæ non possunt sibi mutuo componi* (1): nonne necessario ex istis adjunctis divergentibus unum vel alterum vel forte utrumque *falsum* esse debet? Nonne ergo ruit inerrantia?

Quæ quæstio ut debite solvatur, generalia quædam prius exponemus circa principium inerrantiæ in genere, et in specie in rebus historicis; eaque generalia deinde applicabimus quæstioni nostræ.

I. Doctrina catholica circa **inerrantiam** S. Scripturæ hac **thesi generali** enuntiari potest (2): In locis authen-

---

(1) Putamus omitti posse quæstionem utrum, salva doctrina circa inspirationem, teneri possit auctores sacros, ad componendos libros suos sacros, *usos esse documentis* sibi præexistentibus. Res nimis evidens est, et Commissio biblica, decreto supra allato, eam solvit in sensum affirmativum. — Item difficultas non oritur formaliter ex eo quod aliquod factum vel quædam adjuncta *bis referantur*, modo non referantur ut quæ bis locum habuerint, si ita non sit. Qui enim bis idem factum verum affirmat, non errat.

(2) Ex industria vitamus omnem *terminologiam* aliquatenus intricatam, qualis sæpe subtilior apud varios auctores, et quod valde dolendum, non semper eadem occurrit.

ticis S. Scripturæ (1), nullus inveniri potest error; scilicet nihil potest affirmari tamquam verum, quod revera, a parte rei, sit falsum, nihil potest negari tamquam falsum, quod revera, a parte rei, sit verum. Seu: illa omnia quæ in textu inspirato affirmantur esse, revera sunt; et eo sensu, et eo gradu, et eo modo quo affirmantur esse, eodem sensu et eodem gradu et eodem modo revera sunt. — Et nihil refert, quantum ad veritatem hujus doctrinæ, utrum agatur de rebus doctrinalibus, an vero de rebus historicis aut physicis; et nihil quoque refert, utrum agatur de rebus magni momenti, an vero de rebus momenti secundarii.

Circa principium istud certum habemus a viro catholico non posse moveri ullum dubium: quidquid enim in sacra Scriptura affirmatur, a Deo affirmatur; et est Dei summe veracis eadem veracitas in omnibus quæ affirmat.

Ast ulterius statim oritur quæstio alterius ordinis: Quid in textu quodam inspirato affirmetur? Nec enim poteris, ob auctoritatem Dei in Scripturis loquentis, aliquid ut de fide tenere, nisi prius stabiliveris quid tali textu inspirato præcise dicatur. — Et hæc est tota **quæstio exegeseos seu interpretationis**; quæ quidem quætio variis mediis et juxta varias regulas in singulo casu solvenda est (2).

Et hanc quidem quæstionem non semper facilem esse solutu nec expedita manu solvi posse, omnibus nobis, sicut cæteroquin retro actis sæculis fuit, praxi quotidiana compertum est (3). Cujus difficultatis hæc quo-

---

(1) Inerrantiam S. Scripturæ sane non possumus extendere nisi ad ea quæ certo constant esse inspirata, adeoque quæ pertinent ad textum authenticum Scripturæ.

(2) Regulæ istæ, ut notum est, pro triplici indole quam referunt nostri libri sacri, utpote qui sunt tum humani tum divini, et libri commissi Ecclesiæ, — reducuntur ad tres species quæ dicuntur: *hermeneutica rationalis, — christiana, — et catholica.*

(3) A longo jam tempore scimus quod Scriptura sacra « *is zeer duister op vele plaatsen, en daarom is het zeer zorgelijk* (periculosum) *voor ongeleerde menschen die te lezen* ».

que, aliis omissis, ratio eâque non levis momenti est quod *nos* et tempore et loco et adjunctis historicis et forte etiam moribus litterariis quam multum distamus a tempore, loco, adjunctis et moribus in quibus libri sacri fuerunt conscripti. Quis enim non novit ad scripta quævis facile et rite intelligenda multum conferre rectam notitiam omnium adjunctorum litterariorum et historicorum quibus scripta ista respondent?

II. Hæc generalia jam applicantes in specie **narrationibus specie saltem historicis,** pariter dicimus: quælibet facta, quæ ab auctore inspirato ut historica affirmantur, vera sunt, nec refert sintne facta ista substantialia, an vero accidentalia et minoris momenti.

Ast iterum oritur quæstio: *quid,* seu quænam auctor inspiratus affirmaverit ut facta historica? Non enim sufficit ut habeas librum aut textum aliquem *specie seu primo aspectu historicum,* ut eo ipso dicere debeas auctorem istius libri aut textus voluisse vere ista facta ibidem relata ut historica referre. Unde

1/ Fieri potest **libros** vel **narrationes integras,** prima specie forte historicas, de facto ab auctore sacro ut historicas non fuisse conscriptas.

Sume paritatem. *Libri nostri romantici* quales quotidie eduntur, alicui hujus generis litterarii ignaro, facile possent ut historici apparere; nos autem, utpote viventes in hisce adjunctis hodiernis et hisce moribus litterariis assueti, nonne facile intelligimus auctores talium librorum noluisse affirmare ista facta ut historica, sed eos, sub ficta specie historiæ, intendisse melius inculcare aliquam thesim doctrinalem aut moralem? — Et ut, aliis omissis, altius ascendamus, nonne *Christus quoque,* turbas docendo, sæpius proposuit narrationes specie utique historicas? Et tamen scimus vel admittere licet non paucas saltem ex ipsis nunquam locum habuisse. Et tamen iterum, Christus nec errabat nec mendax erat, quia iterum non intendebat affirmare ea quæ sic narrabat locum habuisse, sed unice voluit

melius auditorum mentibus infigere veritates suas religiosas. Iterum quoque, auditores Christi, hisce moribus docendi suorum doctorum et ipsius Christi assueti, facile intelligere poterant hanc narrationum sibi propositarum indolem et scopum.

Conclude, eodem omnino modo per se nil obstare, quominus *auctor a Deo inspiratus* interdum potuerit scribere integram narrationem aliquam specietenus historicam, quin tamen intenderit realitatem historicam eorum quæ narrabat affirmare, dum unice voluerit, tali narratione conficta, aptiori modo inculcare veritatem ordinis religiosi. In casu vero quo auctor sacer revera tali artificio usus fuerit, *coætaneis* ipsius et lectoribus ipsius immediatis, quibus proxime liber destinabatur, facile nota esse poterat indoles ista artificiosa: ipsi enim vivebant in iisdem adjunctis cum auctore, assueti iisdem moribus dicendi vel scribendi; ipsis quoque nota esse poterant talia adjuncta ex quibus artificiosa indoles manifesta erat. — *Nobis* autem, aliis temporibus et locis viventibus, aliis forte moribus et consuetudinibus assuetis, et certe multa adjuncta coætaneis librorum nota ignorantibus, — poterit non raro multo difficilius esse hujusmodi fictiones detegere et statuere. Interea tamen, quum recta regula omnis exegeseos sit a sensu obvio verborum non recedere nisi adsint rationes ad illud impellentes, recta ratio postulabit ut libros, qui sensu obvio ut historicos sese exhibent, ut tales habere pergamus.

Quod statim exposuimus, habes brevi formula in decreto *Commissionis biblicæ*, 23 Junii 1905: « Utrum admitti possit tamquam principium rectæ exegeseos sententia quæ tenet S. Scripturæ libros, qui pro historicis habentur, sive *totaliter*, sive ex parte, non historiam proprie dictam et objective veram quandoque narrare, sed speciem tantum historiæ præ se ferre ad aliquid significandum a proprie litterali seu historica verborum significatione alienum? — Resp. *Negative, excepto* tamen

casu, non facile, nec temere admittendo in quo, Ecclesiæ sensu non refragante, ejusque salvo judicio, solidis argumentis probetur Hagiographum voluisse non vere et proprie dictam historiam tradere, sed, sub specie et forma historiæ, parabolam, allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu historica verborum significatione remotum proponere » (1).

Unde: salva doctrina de absoluta inerrantia S. Scripturæ, teneri potest talem vel talem *librum integrum,* specie quidem historicum, de facto tamen historicum non esse; illud teneri potest ea conditione ut ostendatur auctorem sacrum noluisse librum vere et proprie historicum scribere.

2/ Ast quæres ulterius: An *in libro*, non tantum specie, sed vere et ex intentione auctoris sacri *historico*, necessario dicendum est *singula quæque adjuncta*, etiam minoris momenti esse historica? Responsum generale iterum facile est: *ista adjuncta,* istas *partes* narrationis historicæ, ut *Commissio biblica*, decr. cit., loquitur, ut historica admittenda sunt, si auctor sacer ea ut historica affirmare voluit; nec quidquam refert dictorum adjunctorum momentum. *Si vero ostendere vales auctorem sacrum noluisse talia vel talia adjuncta ut historica affirmare, eo ipso jam non teneris ea ut historica habere.* Interea vero iterum, recta ratio postulabit ut in narratione historica, etiam adjuncta inibi relata, ut historica habeas, quousque habeas rationes dictam intentionem historicam auctoris sacri negandi.

Hic quoque recole decretum *Commissionis pontificiæ de re biblica* supra cit., vi cujus, salvis cautelis ibidem relatis admitti potest... S. Scripturæ libros, qui pro historicis habentur, sive totaliter, sive *ex parte*, non historiam proprie dictam et objective veram quandoque narrare.

Varia argumenta quibus auctores catholici hujusmodi

---

(1) *Collat. Brug.*, t X (1905), pp. 635 s.

intentionem Auctoris sacri, pro variis partibus S. Scripturæ stabilire conantur, non est hujus loci exponere, et minus adhuc de eorum valore judicium proferre, vel èxamini subjicere varias conclusiones facti ad quas deveniunt. Unice exempli gratia adducimus *narrationem creationis* qualis occurrit in Gen. I-II, 4. Hanc quidem narrationem habemus ut historicam, quatenus tenemus Auctorem sacrum vere voluisse ibi referre factum istud historicum, Deum initio creasse omnia, inanimata et animata, plantas, animalia, hominem. Nihilominus eam partem narrationis qua specietenus dicitur Deum ista omnia creasse *infra spatium sex dierum*, vel qua specietenus dicitur ista omnia fuisse creata *tali ordine*, habemus ut non historicam, ut non objective veram: tenemus enim, et variis argumentis hic non exponendis probamus auctorem sacrum hanc durationem et hunc ordinem non voluisse ut veram et proprie dictam historiam tradere, sed ipsum hanc distributionem per sex dies et hunc ordinem elegisse unice tamquam vestitum litterarium et metaphoricum quo, ad captum suorum lectorum, apte proponeret factum istud historicum creationis omnium rerum quod ut historicum referre intendebat (1).

(Continuabitur).

A. Vander Heeren.

(1) Cfr. dicta supra, p. 164 sq.

S. Congregatio S. Officii

I

Dispensatio ab interpellatione et a cultus disparitate (1).

Ad pedes *Sanctitatis vestræ* humillime provolutus, CAMILLUS F. VAN RONSLÉ, Episcopus titularis Thymbriensis et Vicarius Apostolicus Congi Belgici, exponit ea quæ sequuntur:

« I. In hisce regionibus haud raro contingit quod mulier (sive catechumena, sive pagana) matrimonio legitimo duxerit nigrum quendam, ex his nempe qui ad certum quoddam tempus, puta biennium vel triennium, ex litoralibus Africæ partibus conducti (Sénégal, Sierra Leone, Açora, etc.) in Statu Congi Belgici allaborant ea lege ut, elapso termino, ad propria redeant. Jamvero contingit etiam mulierem interdum amplecti fidem et recipere baptismum, viro remanente in infidelitate sua. Cum autem elapso termino commorationis, insistit ut uxor ejus illum ad propria comitetur redeuntem, hæc mordicus recusat, sive ob timorem jurgiorum et molestæ cohabitationis, sive ob periculum probabile in quo versabitur quod ad fidem et mores in regione ipsi ignota, in qua fortasse nullus adest catholicus, sive demum ex timore ne vir fiat polygamus, immo, et ipsam primam et legitimam uxorem alteri vendat; unum alterumve ex his motivis objective subsistere plerumque affirmari potest, etsi fortasse mulier illud non aprehendat neque illo moveatur.

Quæro igitur:

A. Utrum, rebus sic stantibus, jus sit simpliciter agnoscendum mulieribus conversis remanendi in Missione Vicariatus Congi Belgici, recusando nempe viros suos sequi ad propria redeuntes.

B. Utrum, supposito facto quod mulieres (sive legitime sive illegitime) remanserint in Missione, separatæ a viris in

(1) Tenor hujus decreti exhibetur apud *De Religiosis-Periodica*. t VII (1914), p. 221 s.

longinquis jam constitutis, aliquod suppetat medium subveniendi gravissimo periculo incontinentiæ in quo versantur. Animadvertendum est enim, ex communiter contingentibus, vel prorsus impossibile esse, vel saltem admodum difficile interpellare virum circa suam intentionem, ac insuper, etiamsi vir interpellatus responderit affirmative, summopere dubitandum esse de sinceritate talis responsi. Ceterum facultates Apostolicæ sive ordinariæ, sive extraordinariæ, quibus sum ditatus, talem hypothesim non cavent.

II. Cum non raro inter conjuges, quorum unus est conversus, altero perseverante in sua infidelitate, fundatus assit timor jurgiorum et molestæ cohabitationis, immo, quod sane gravius est, periculum ne successu temporis pars fidelis, ut loquitur Synodus Limana III a Xysto V approbata (apud *Collectanea de Prop. Fid.*, n. 1358 ad 3), *fidei vel caritatis scandalum patiatur*, humillime postulo facultatem, sacerdotibus delegabilem, dispensandi juxta arbitrium Ordinarii vel ejus delegati, super secundam partem interpellationis, adeoque, interpellationem ad solum punctum limitandi, utrum pars infidelis velit converti. Habito vero responso negativo, vel collectis indiciis quæ moralem dant certitudinem de mala dispositione partis infidelis, permitti valeant parti fideli novæ nuptiæ.

III. Nec infrequenter contingit neophytos, nondum matrimonio junctos, stationem relinquere in qua exsistit Missio catholica et, ratione sive servitii militaris, sive alterius servitii, ad regiones transferri in quibus vel numquam, toto commorationis tempore (fortasse per annos), Missionarium catholicum videbunt, immo nec mulierem catholicam reperient, vel raro Missionarii visitationem recipient, puta sexto quovis mense. Jamvero, cum mulieres parvo numero exsistant hisce in locis, et ideo viri assoleant sibi assecurare unam citissime in uxorem, eam in domuncula sua accipiendo, tales neophyti in gravissima perplexitate versantur, ob dirimens impedimentum disparitatis cultus. Peto igitur, utrum in hisce circumstantiis, possint edoceri neophyti quod cesset impedimentum dirimens juris ecclesiastici, servatis evidenter servandis circa obligationem procurandi conversionem, quantum fieri potest, partis infidelis et educationem christianam totius prolis nascituræ; quod si talis

agendi modus licitus, aut saltem expediens non videatur, peto ut Sedes Apostolica mihi concedat necessarias et opportunas facultates ad prospiciendum casibus hujusmodi.

« Et Deus. »

Feria IV die 6 maii 1903.

In Congregatione Generali S. Romanæ et Universalis Inquisitionis habita ab Emis ac Rmis DD. Cardinalibus Inquisitoribus Generalibus, proposito suprascripto supplici libello, ac præhabito voto DD. Consultorum, iidem Emi ac Rmi DD. respondendum censuerunt:

Ad 1m. Quantum ex processu saltem summario et extrajudiciali in singulis casibus constet justis de causis vere exstantibus, non tantum præsumptis, uxores christianas abnuisse maritum paganum in longinquis, ubi desunt catholici, sequi, et interpellationem esse impossibilem, aut admodum difficilem, aut cum fundamento dubitandum de responsionis affirmativæ sinceritate, dispensari posse ab interpellatione, habita Apostolica facultate. Et si dubium sit in aliquo casu particulari, recurrendum ad S. Sedem.

Ad 2m. Quod ad facultatem interpellandi conjugem infidelem tantum, an velit converti, omissa altera, an velit pacifice habitare, in adjunctis expositis supplicandum SSmo pro gratia juxta petita. Moneat tamen Vicarius Apostolicus Missionarios, quibus facultas subdelegatur, ut ea non utantur, nisi quando prudenter judicent adesse vere periculum perversionis et scandali.

Ad 3m. Supplicandum SSmo ut opportunas facultates Vicario Apostolico concedere dignetur dispensandi neophytum sive per se, sive per suum adjutorem anticipatim, absque nominatione personæ, super impedimento cognationis spiritualis, quatenus mulier convertatur, et, deficiente alia persona catholica, ab ipso baptizata fuerit, quatenus vero converti renuat, ab impedimento disparitatis, sub hisce tamen in hoc altero casu condicionibus eidem neophyto imponendis, ut omni studio curet conversionem mulieris a se electæ, et interim promissionem juratam ab ea exigat, se curaturam ut proles educetur in religione catholica, neque ullum umquam illaturam esse impedimentum sive sibi, hoc est ipsi neophyto, sive proli in religionis christianæ exercitio.

Feria VI, die 8 maii 1903.

SSmus resolutionem Emorum Patrum, in audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, audita de his omnibus relatione, benigne approbavit, et facultates (de quibus in n. 3s) pro quinque casibus concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

(s.) I. Can. Mancini, S. R. et U. I. Not.

Adnotatio. Peculiari attentione dignum est responsum ad IIIm. Nimirum principium est, in œconomia dispensationis matrimonialis admissum, dispensari non posse, vi indulti, nisi cum personis *determinatis,* ad auferendum impedimentum dispensationis actui *præexistens,* in ordine ad matrimonium inter determinatas personas ineundum. Ita Ordinarius instructus indulto dispensandi super impedimento disparitatis cultus, non valet dispensare cum viro fideli ut ducat mulierem infidelem adhuc indeterminatam, postea eligendam. Item Episcopus facultatem habens dispensandi super cognatione spirituali, non potest ea facultate uti nisi erga personas individuatim determinatas, inter quas, antecedenter ad dispensationis actum, existit cognationis spiritualis impedimentum; non vero dispensare valet cum aliqua persona ut matrimonium ineat cum alia persona indeterminata, cum qua exinceps cognationem spiritualem contrahi contigerit.

Porro in præsenti decreto, sub III, conceditur facultas dispensandi anticipative et cum persona indeterminata. Potest nempe Vicarius Apostolicus dispensando permittere viro ad alias regiones transmeanti, ut, si postea contingat eum mulierem infidelem eligere in uxorem ducendam, eam sibi matrimonialiter copulet, non obstante impedimento disparitatis cultus, si in infidelitate manserit, vel non obstante impedimento cognationis spiritualis, si contigerit eam converti et, deficiente alia persona catholica, ab ipso sponso baptizari.

Cum autem facultas hæc planè extraordinaria sit et extra normam posita, limitatur ejus concessio ad restrictas numero vices.

A. De Smet.

II

Preces indulgentiis ditatæ (1).

1° *Prière à Notre Seigneur Jésus-Christ.*

O Jésus, très doux fils de la glorieuse Vierge Marie et Fils unique du Dieu vivant, ensemble avec votre Père, qui vous engendre, au sein de son infinie nature, de toute éternité, et vous communique cette même nature infinie, et avec l'Esprit-Saint, qui procède du Père par vous, et qui est votre Esprit à tous deux, votre Amour subsistant, recevant de vous la même infinie nature, je vous adore et je vous reconnais pour mon Dieu, le seul vrai Dieu, unique et infiniment parfait, qui a créé de rien tout ce qui est hors de lui, et qui le conserve et le gouverne avec une infinie sagesse, une souveraine bonté, une puissance suprême; et je vous demande, au nom des mystères accomplis dans votre Humanité sainte, de me purifier dans votre Sang de tous mes péchés passés; de répandre sur moi l'abondance de votre Esprit-Saint, avec sa grâce, ses vertus, ses dons; de faire que je vous croie, que je vous espère, que je vous aime, que je travaille, par chacun de mes actes, à vous mériter; et de vous donner un jour à moi, dans la splendeur de votre gloire, au milieu de l'assemblée de vos saints. Ainsi soit-il.

Ind. 100 dierum semel in die, defunctis applicabilis (decr. 22 januarii 1914).

2° *Oratio reparationis in honorem B. M. V.*

Virgo benedicta, Dei mater, misericordes oculos de cœlo, regia sede tua, in me miserum peccatorem, servum tuum converte. Conscius quidem indignitatis meæ, ad reparandas injurias per impias ac blasphemas linguas tibi illatas, ex intimo corde tibi benedico, teque exalto, o purissima, o pul-

(1) *Acta Apostol. Sedis*, 1914, t. VI, p. 107-111.

cherrima, o omnium creaturarum sanctissima! Benedico nomini tuo sancto, benedico eximiis tuis prærogativis quibus vera es Mater Dei, Virgo perpetua, concepta sine ulla peccati labe, coredemptrix generis humani. Æternum laudo Patrem qui te peculiari modo in filiam elegit, Incarnatum laudo Verbum quod humanam in sinu tuo purissimo induens naturam matrem suam te fecit; divinum laudo spiritum qui sponsam suam te esse voluit. Augustissimæ benedico Trinitati, Ipsique laudes et gratias dico, quæ tantopere te prælegit ac prædilexit, teque ad sublimissimam supra omnes creaturas dignitatem exaltavit.

O Virgo sacra atque misericors impetra offensoribus tuis conversionis gratiam; accipe hoc servi tui indignum obsequium, ipsique a divino Filio propriorum peccatorum veniam deprecare. Amen.

Ind. 100 dierum toties quoties, defunctis applicabilis. (Decr. 22 jan. 1914).

3° *Binæ jaculatoriæ in honorem B. M. V.*

Sancta Maria, libera nos a pœnis inferni. Sancta Maria liberatrix, ora pro nobis et pro animabus purgantibus.

Ind. 100 dierum toties quoties defunctis applicabilis pro utraque. (Decr. 22 jan. 1914).

4° *Preces post peracta exercitia spiritualia vel peractas Missiones recitandæ.*

Jesu Christe, qui pro me cruci affigi voluisti, gratias Tibi ago pro cunctis amoris tui beneficiis, quæ hisce sacrorum exercitiorum (*vel* sacræ missionis) diebus mihi contulisti. En iterum mihi persuasum est ante omnia oportere, ut salvem animam meam, unicam et immortalem. Ideoque firmiter propono in primis omne peccatum lethale vitare, omnemque voluntariam atque proximam peccati occasionem, maxime vero hanc..., quæ tantopere mihi nocumento fuit. Sed etiam peccato veniali omnique ad ipsum pravo affectui pro viribus obsistere volo. Promitto Tibi me omnia status vel officii mei munera fideliter atque religiose adimpleturum, totamque vitam meam juxta sanctissimam voluntatem tuam instituturum. Insuper promitto Tibi, o bone Jesu, me quotidianis orationibus instare velle, præsertim vero tentatione urgente

ad orationem confugere. Diem Dominicam sanctificare volo et ad mensam sanctam tuam frequenter et devote accedere. Denique totam vitam meam Tibi offero, maxime labores meos atque dolores. Benedic mihi et omnibus qui mecum hisce sacris exercitiis (*vel* huic sacræ missioni) interfuerunt.

O Maria, virgo immaculata, filius tuus (*vel* filia tua) esse volo, Teque per sacratissimi Rosarii devotionem pie venerari libenter intendo. Da mihi, Domine Jesu, Matrem tuam in patronam singularem, et esto solatium et gaudium meum usque ad vitæ meæ beatum finem. Amen (1).

Ind. 300 dierum semel in die defunctis applicabilis. (Decr. 29 jan. 1914).

5° *Jaculatoria in honorem B. M. V. de Perpetuo Succursu.*

Mater (*vel* Domina nostra) de perpetuo succursu ora pro nobis.

Ind. 100 dierum toties quoties defunctis applicabilis. (Decr. 29 jan. 1914).

---

(1) Gebed na de geestelijke afzondering of na de zending.

Heere Jesus-Christus die voor mij hebt willen aan het kruis gehecht zijn, heb dank om al de weldaden die uwe liefde mij schonk binst deze dagen van geestelijke afzondering (*of* der heilige zending). Zie, nog eens heb ik mij overtuigd dat mijn eerste plicht is mijne ziel, mijn eenige en eeuwige onsterfelijke ziel, te redden. Daarom maak ik het vast voornemen vooreerst alle doodzonde te vluchten en alle vrijwillige en naaste gelegenheid van zonde, in 't bijzonder deze.... die mij zooveel kwaad gedaan heeft. Ook aan de dagelijksche zonde en aan alle slechte gehechtheid er aan wil ik verzaken. Voortaan zal ik al de plichten van mijnen staat of van mijne bediening trouw en godsdienstig naleven; voortaan zal ik gansch mijn leven schikken volgens uwen allerheiligsten wil, dat beloof ik. Daarenboven beloof ik u, mijn goede Jesus, dagelijks te bidden, doch vooral in de bekoring tot het gebed mijnen toevlucht te nemen. Den Zondag zal ik heiligen; tot de H. Tafel zal ik dikwijls en godvruchtig naderen. Met een woord, geheel mijn leven draag ik u op, vooral mijn werk en mijn lijden. Zegen mij en zegen al degenen die met mij deelnamen aan deze geestelijke afzonderling (*of* aan deze zending).

O Maria, onbevlekte Maagd, uwe zoon (*of* uwe dochter) wil ik zijn. Geern zal ik u vereeren door de godsvrucht van den heiligen Rozenkrans. Geef mij, Heere Jesus, uwe Moeder tot bijzondere beschermster, en wees mijn troost en mijn vreugde tot aan het zalig einde van mijn leven. Amen.

300 dagen aflaat, ééns daags, toepasselijk aan de zielen van het vagevuur. (Decr. van 29 januari 1914).

S. Congregatio Rituum

DECRETUM

De orationibus Servos Dei cum sanctitatis fama defunctos respicientibus (1).

Proposito sacrorum Rituum Congregationi dubio: « An » Orationes quæ Domino Deo diriguntur ad gratias impe- » trandas ob intercessionem Servorum Dei qui cum sanctita- » tis fama decesserunt, indigeant venia episcopi, ut imprimi » ac inter fideles diffundi valeant? », sacra eadem Congregatio respondendum censuit: *Affirmative* ad normam Constitutionis *Officiorum et munerum;* attamen ad tramitem et mentem decretorum S. U. Inquisitionis et sacrorum Rituum Congregationis episcopus abstinere se debet ab eisdem orationibus commendandis ac præsertim indulgentiis ditandis.

Atque ita rescripsit die 21 martii 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secretarius.*

(1) *Acta Apostol. Sedis,* 1914, t. VI, p. 192.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

A. Gastoué. *Le Graduel et l'Antiphonaire Romains.* Histoire et Description. Lyon, Janin Frères, 1913, in-8°, 302 p. F. 4.

Les mélodies rituelles de l'Église ont été codifiées dans un recueil établi, selon la tradition, par le Pape Saint Grégoire le Grand (590-604) et connu, dès le VIIe siécle, sous le nom d'*Antiphonaire grégorien.* M. Gastoué dans le livre qu'il a fait paraître en 1907 « *Les origines du chant romain* » a refait l'histoire des sources originales de l'Antiphonaire grégorien. Dans le présent volume, il retrace le récit de sa destinée, et des modifications qui, peu à peu, en ont fait le livre actuel de l'édition Vaticane.

Les deux premiers chapitres: *les livres primitifs* et l'*authenticité de l'Antiphonaire grégorien,* condensent ce que l'auteur expose longuement dans *Les Origines du chant romain,* tout en tenant compte des études les plus récentes sur la matière. Les chapitres suivants traitent des additions, modifications, éditions du Graduel et de l'Antiphonaire, à l'époque carolingienne, au moyen âge, après le Concile de Trente et au XIXe siècle, pour finir par l'histoire de l'édition vaticane. Après chaque chapitre, l'auteur décrit d'intéressants spécimens de manuscrits, dont certaines pages sont reproduites en phototypie.

La description de l'édition vaticane est fort remarquable. Elle accumule de nombreux détails sur la rédaction de nos livres liturgiques de chant, sur la provenance et la date des pièces qui y sont contenues. La *Revue de chant grégorien* (1) a publié certaines rectifications au paragraphe concernant les *Variæ preces,* rectifications dont M. Gastoué aura à tenir compte dans une prochaine édition.

Les grégorianistes et liturgistes, auxquels nous recommandons vivement le beau livre de M. Gastoué trouveront sans aucun doute plaisir et profit à la lecture de ce volume érudit et attrayant.

A. De Meester.

Kan. Claeys Bouuaert. *Het Bisdom en het Seminarie van Gent gedurende de laatste jaren der Fransche Overheersching,* uit het fransch vertaald door E. H. J. Vlerick, pastoor van 't begijnhof te Aalst Gent, Vanderschelden ; Antwerpen, Courtin, [1914]. In-8°, 347 bl.

Wij houden er aan aanstonds de keurige vertaling aan te kondigen van het verdienstelijk boek, dat we verleden jaar hier bespraken, (t. XVIII,

(1) 1913-1914, t. XXII, p. 92.

bl. 721) In vele opzichten was eene vlaamsche uitgave dezer geschiedenis van een vlaamsch bisdom wenschelijk: doch dit mag ons vooral verheugen, dat aldus niet alleen aan onze priesters en aan meer ontwikkelde leeken, maar ook aan al onze vlaamsche geloovigen, onderwijzende en stichtende lezing geschonken wordt. Mocht dit boeiend geschiedkundig verhaal in vele handen komen, en opwekken tot eene edelmoedige en standvastige verkleefdheid aan onze Moeder, de H. Kerk, en hare wettige vertegenwoordigers.

Het weze mij toegelaten hier met *Biekorf* (1914, bl. 109-112) een oproep te doen tot al wie nog eenig bescheiden zou hebben nopens de « Levieten van Gent ». Zeker heeft Kan. Claeys Boúúaert op meesterlijke wijze den samenhang der gebeurtenissen weer gegeven; maar zijn er in bijzondere archieven of in familieoverleveringen geen bijzonderheden meer, die 't aanstippen waard zijn? *Colligite, ne pereant! Biekorf* of eenig ander geschiedkundig tijdschrift van Vlaanderen zal ze gretig opnemen.

Beknopte Geschiedenis van de Orde van Citeaux, door een monnik van Thymadeuc, uit het fransch vertaald door Fr. Stephanus Vancraynest, O. C. R., Gulpen, Alberts, 1913. In-8°, 139 bl. Flor. 0,60.

Schrijver had tot doel aan de cisterciënzer novicen een begrip der geschiedenis te geven der geestelijke familie, waartoe zij eens zullen behooren. Het werkje is zeer wel ingedeeld, hoofdzakelijk in vier tijdperken. Het ontstaan (1098-1134); het gouden tijdperk (1134-1342); het verval (1342-1790); de herstelling. Onder deze hoofdstukken wordt in 't kort de geschiedenis der orde langs alle zijden beschouwd, de uitwendige bloei, vooruitgang, splitsing, ondergang, herleving, ook het inwendig leven, regel, liturgie, bezigheden enz. Schrijver putte aan de beste bronnen en bij het lezen is men getroffen door de bondige en zaakrijke voorstelling. Jammer dat hij de gronden waarop hij steunt niet overal aanduidt, dan zou zijn werkje ook de geschiedschrijvers nuttig zijn; nu moeten de lezers, even als de novicen, bij het *Magister dixit* blijven.

R. De Schepper.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Junii.

—

I

Collatis quatuor Evangeliis, ex ordine expone ea quæ in narratione Resurrectionis Christi referuntur de piis mulieribus.

II

Quid in Apologetica valet argumentum desumptum ex pulchritudine doctrinæ christianæ? An hoc argumentum pertinet ad *methodum immanentiæ?*

III

Cum ad contractum ante omnia *consensus* requiratur, explica quid sit in hac materia *error* substantialis et accidentalis, antecedens et concomitans.

IV

Inde determina influxum *erroris* in contractum, jure tum naturali tum positivo.

V

An et quomodo lex pertinet etiam ad voluntatem?

VI

An et quo jure tenentur parochi per seipsos prædicare verbum Dei?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques,* 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

Id. *Tractatus de Casibus reservatis necnon de sollicitatione et absolutione complicis,* in-8, XVI-222 p. Brugis, 1914. Pretium 2,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

De Brabandere-Van Coillie. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium.* Editio octava, curante A. De Meester. T. I, pars prior. Brugis, Desclée et Soc., 1913, in-8, 425 p.

* * *

Is verschenen : **KERKZANGBOEKJE** ten behoeve van de schoolkinderen en van het christen volk. 2e vermeerderde uitgave, bevattende gezangen voor de Mis, het Lof en de Vespers, 72 bl.

Prijs (*netto,* verzendings- en inningskosten niet inbegrepen). 1 tot 10 ex., 0,25 fr. — 10 tot 25 ex., 0,20 fr. — 25 en meer 0,15 fr.

Te verkrijgen bij Z. E. H. De Meester, leeraar Groot Seminarie, Brugge.

Het boekje wordt verkocht ten voordeele van de Missiën.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XIX, pag. 295).

—

Igitur vellet anima, uti docuit Rusbrochius, ipsum divinum fontem attingere, unde scaturit in unitate mentis vena ebulliens luminis divini consilii, sed id non valet, quia nondum reditus factus est ad unitatem ulteriorem, scilicet unitatem secundum essentialem existentiam, quæ cum suprema unitate supra nos in ipso Deo quodammodo una est. Ad hanc enim oportet refluere, ut percipiatur in sublimiori gradu lumen divini consilii, quemadmodum ostendet Auctor infra cap. XXIX.

Itaque jam pergit describere vanos conatus ad attingendum, in hoc inferiore gradu doni consilii, ipsum divinum fontem ; qui quidem conatus, ut statim addet, ducunt ad similitudinem quidem sublimem Trinitatis, nondum vero ad unionem seu unitatem divinam.

« Cernens autem se nihil proficere vel consequi, sed semper omnem perdere operam et conatum, jam sublimis memoria (1) de toto animæ regno cogitat, si quid in eo

(1) Alta memoria, id est, memoria intellectualis, vel intellectus possibilis, vel et ipsa mens, juxta supra notata, pag. 292; et vid. tom. XVII, p. 310, nota (3).

uspiam desit, quod disponi, ordinari, regique oporteat. Quamobrem duos mittit nuntios deorsum in animæ regnum, quorum unus est ratio, divina illuminata sapientia; alter est agilitas seu celeritudo, acta et impulsa tum a Patris contactu sive instinctu, tum ab amoris in anima existentis æstu sive sancta insania. Celeritudo maximopere per regnum omne festinare cogit, idque agente domino a quo missa est, et divini tactus et amoris æstuantis impulsu ac stimulatione. Ratio autem illuminata studiose explorat et considerat; servit enim æternæ sapientiæ. Sicque una currunt in regno celeritudo et ratio illuminata, componuntque, regunt ac moderantur omnia. Inveniunt autem magnam virtutum inopiam et defectum, totumque regnum excellentium ac virtuosarum actionum ornatu vacuum et destitutum (1). Quod licet ratio animadvertere et perspicere possit, non habet tamen unde largiatur, et huic subveniat inopiæ. Simul itaque sursum recurrunt ad unitatem, sublimique id aperiunt ac conqueruntur amori, ob Deum perfecte gustandum præ impatientia æstuanti et languenti. Amor vero hoc percepto nuntio, tantam scilicet in animæ regno bonorum et ornatus virtutum esse penuriam, assumptis pariter duabus filiabus suis, puta misericordia ac liberalitate seu pietate, suaque (2) socia ratione illuminata, atque harum omnium famula celeritate, simul in animæ regnum decurrunt. Et ratio quidem illustrata, secundum justitiam cuncta regit et ordinat; amor vero liberaliter omnia largitur, omnemque ex misericordia miseratur necessitatem; atque hoc pacto homo istiusmodi totum animæ regnum secundum rationem moderatus est et rexit atque composuit, omnemque necessitudinem misericorditer respexit, et indigos ac inopes quosque illius regni liberaliter muneratus est, atque ipsum denique regnum per amorem in unitate possedit. Et hæc dicitur vita affectuosa amans veritatis: et qui tales sunt, illi Dei consilia excellenter exequuntur amantque Deum ex tota anima sua; et ipsi sunt de quibus Christus ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Tales enim vere misericordes sunt,

---

(1) Hæc sunt quæ conferenda diximus, supra p. 295, nota (1) cum dictis de dono fortitudinis, circa deficientiam in laude divina.

(2) Surius dicit: *eorumque.*

quippe quos Deus et divina charitas in animæ regno sursum ac deorsum agunt et impellunt ut omnium necessitates miserentur; ipsamque Dei misericordiam in unitatem usque insecuti sunt, ubi jam non possunt ultra progredi (1). »

Statim hic addit homines in hoc gradu doni consilii opportune comparari cum Dominationibus, eo quod hæ angelorum inferioribus hierarchiis dominantur, eorumque ordines regunt et ordinant, sicuti prædicti homines regnum animæ totum moderantur et componunt.

Deinde pergit:

« Sunt etiam homines isti similes celsissimæ ac fœcundæ naturæ Dei. Præclarissima enim hæc natura, quæ prima et principalis est creaturarum omnium causa, est fœcunda: quapropter non potest se continere in paternitatis unitate ob motionem fœcunditatis, quin absque intermissione æternam generet Sapientiam, quæ est Filius Patris. Semper sine interpolatione Dei Filius genitus est, et generatur, et manet ingenitus. Et tamen unus idemque Filius est. Ubi enim Pater Filium suum, æternam Sapientiam, et in ea simul creata omnia intuetur, ibi genitus est Filius, et est altera a Patre persona. Quoniam autem Pater per eamdem sapientiam eundem Filium contuetur, hoc ipso Filius sine intermissione generatur. Porro cum paternitas semper fœcunda maneat, ibi ingenitus est Filius. Ubi enim natura fœcunda est, inibi Filius in Patre, et Pater in Filio est. Et ubi Pater est generans Filium, ibi Filius est de Patre. Ubi Pater suum adspectat Filium, et in eo simul omnia, illic genitus est Filius. Et hic tamen non nisi unus idemque Filius est ex fœcunda natura, hoc est paternitate. Neque etiam ex hac generatione qua Pater Filium suum gignit, profluit charitas, hoc est Spiritus Sanctus; sed eo quod Filius est genitus altera a Patre persona, ubi eum Pater inspicit genitum, et in eo, et cum eo simul omnia, tamquam vitam aliquam rerum omnium; rursusque Filius Patrem generantem et fœcundum,

(1) Hic, præter unum verbulum, textus est Surii, qui mentem Rusbrochii satis apte interpretatur. Cæterum hoc in loco non tanti refert stricte inhærere litteræ Rusbrochii; neque commentarium addendum esse duximus.

et seipsum et omnia in eo adspectat (hoc est inspicere et reinspicere in una fœcunda natura): ex hoc quidam amor procedit, qui est Spiritus Sanctus, et est nexus Patris ad Filium ac Filii ad Patrem. Et hic amor personas circumplectitur ac penetrat, rursusque intro manare facit in unitatem, ex qua Pater continenter et sine cessatione generat. At, licet intro refluxerint in unitatem, non tamen illic durare possunt ob naturæ fœcunditatem. Et hæc generatio, istaque in unitatem refluxio, sanctæ Trinitatis operatio est: atque ita et Personarum illic Trinitas, et naturæ unitas est. In Trinitate Deus agit omne suum agere; ex unitate est generatio, et refluxio personarum in fame amoris ingentique desiderio. At tamen ibi non est perdurare, eo quod hæc unitas fœcunda sit, et (essentia seu) fundamentum proprium personarum: ideoque est ipsa supremum modi, et infra id quod modi expers est. Et hac ratione non est ipsa fruitiva Dei beatitudo, siquidem unitas hæc jacet in naturæ fœcunditate, ideoque ibi non est fruitivum perdurare; nam Dei fruitiva beatitudo in eo jacet quod est modi nescium, et in personarum secundum personales proprietates in modi nesciam Dei essentiam immersione sive diffluxione. Cum celsissima hæc natura plena sit æterna sapientia ac bonitate et liberalitate, atque abyssali amore et misericordia, Pater omnipotens sese vertens ad inferiora, cuncta quæ condidit per sapientiam, adspectat et ordinat ac regit cum discretione, et attrahit per misericordiam, et liberaliter muneratur, et adjungit sibi per amorem, imprimitque in unitatem quotquot ob virtutes digni sunt (1). »

Quod hanc doctrinam de SS. Trinitate attinet, nihil opus est ut eam interpretemur post fusam explanationem ejusdem doctrinæ de Deo uno ac trino, juxta mentem Rusbrochii, quam fecimus supra tom. XVII, p. 225

(1) Hic rursus textum Surii pressius ad litteram Rusbrochii revocavimus. Neque enim consentimus cum David, putante quinque manuscripta, quibus ipse usus est, hoc loco in quibusdam esse manca; sed censemus Surium, interpretando potius quam vertendo, ea addidisse in sua versione quæ in textu David desunt. Et hic quidem textus optime sibi cohærere nobis videtur, nec indigere complementis interpretativis Surii, cæterum parum feliciter, nostra quidem sententia, adjectis.

et sqq. Hujus autem rei jugiter memor sit lector vellemus, scilicet Rusbrochium in hac sua explicatione efficientiæ doni consilii, duplicem gradum ejusdem efficientiæ distinguere, ut jam sæpe diximus: inferiorem, quo pertingimus ad similitudinem quidem Trinitatis, redeundo ad unitatem supremarum virium seu unitatem activo modo; nondum vero ad unitatem seu unionem cum Deo, uno ac trino, refluendo in unitatem essentialem seu essentiali modo, quod pertinet ad gradum superiorem efficientiæ doni consilii, de qua infra c. XXIX. Hic vero et in proxime sequentibus totus est in eo ut *similitudinem* cum Trinitate, quæ ad *unionem* disponit et ducit, iteratis vicibus et modis declaret.

Sic in cap. seq. XXVI pergit exponere quomodo homines in hoc inferiore gradu consilii similes quoque sunt Christo in sanctissima sua humanitate; ubi distinguit triplex genus hominum, qui excelsæ Trinitati et dignissimæ humanitati Christi similes sunt: alii similes sunt imperfecte et mere naturaliter; hi sine gratia Dei vellent ad divinam unionem pervenire, qui, etiamsi naturaliter redirent ad unitatem, quatenus omnis creatura pendet in sua propria causa tamquam in propria quiete, nihilominus frustra facerent, quoniam sunt dissimiles Christo, et fallerentur, non ascendentes supra se, sed solum sentientes naturalem inclinationem ad suum principium, Deum. « Nemo autem divinam fruitionem gustare potest, nisi similis sit Christo et sanctæ Ecclesiæ, ita ut mediante similitudine, possit uniri (1). »

Aliud genus eorum est qui supernaturaliter et perfecte similes sunt, singuli in suo gradu seu ordine, pro diverso gradu gratiæ et operum supernaturalium virtutis, « attamen manent usque similes, et non sunt unum (seu uniti cum Deo), in hoc gradu » (inferiore doni consilii).

« Tertii generis beati sunt in gloria, qui et ipsi in lumine

---

(1) Ipsum hunc textum de pseudo-mysticis seu falsis otiosis integrum exscripsimus supra, tomo XVII, p. 419-420.

gloriæ similes Christo sunt, singuli ita ut in gratiæ lumine meriti sunt. Cum ergo Christus secundum humanitatem suam in gratia divinisque donis omnium perfectissime Deo similis fuerit, etiam in gloria excellentissimam obtinet similitudinem: utpote de cujus plenitudine nos omnes accepimus quicquid jam in gratia sumus, et post in gloria erimus. Ipse enim sine cessatione Patris attactu ex unitate ad virtutes omnes, cunctorumque tam corporales quam spiritales necessitudines impellebatur; rursumque ex desiderio et amoris impatientia intro refluebat; neque tamen ob Patris attactum in unitate quiescere potuit: quippe qui in hoc gradu et fuit et est etiamnum sacrosanctæ consimilis Trinitati, quæ in seipsa fœcunda est, nec in naturæ unitate persistere vel durare potest. In hoc ergo gradu, inquam, Christus et fuit et est sanctæ Trinitati consimilis, habuitque olim gratiam et nunc habet gloriam pro creatæ capacitatis suæ mensura. In eodemque ipso gradu boni omnes tum in gratia, tum etiam in gloria quamdam Dei referunt similitudinem. Qui cum omnes ista præditi sint similitudine, omnes in unitatem profluunt: non tamen eam possunt attingere unitatem, in qua personæ divinæ sese possident. Isthæc enim creaturarum unitas in virium proprio fundo in supremo creati modi, et infra divinum modum sita est: creatus enim sive creaturarum modus, finitus est; divinarum autem personarum modus, immensus est; atque eam ob rem unitas creaturarum neque creato lumine divinum modum, neque personarum unitatem, hoc est paternitatem, potest contingere: ista enim creaturarum unitas divinæ unitatis quædam similitudo est; ipsaque divina unitas supra istam sese continet unitatem; quæ causa est, ut hæc ipsa creaturarum unitas amoris impatientia teneatur, eo videlicet, quod æterno cogatur manere similis, neque Deum juxta illius modum gustare queat. Atque hæc est istius gradus dignitas et excellentia, siquidem in hoc gradu in creato lumine, puta vel gratiæ vel gloriæ, cognoscit et amat homo: ideoque eam gustare non potest unitatem, in quam personæ cum immensa sapientia, et amore incomprehensibili manant. Semper enim Sancti in hoc gradu, tam in gratia quam in gloria, Dei similes permanent; neque unquam gratia aut gloria tanta esse potest, ut efficiatur immensa. Dei autem unitatem nemo nisi cum immenso amore possidere

valet: ex quo id sequitur, neminem qui Deo similis tantum sit, eam posse apprehendere vel in eam pertingere, ita ut similis maneat. In hoc autem gradu nos perenniter necessario similes manebimus: semper enim in æterna vita permanebit gloria, nec poterit perire unquam. Itaque sive id in gratia sit, sive in gloria, juxta creatum suum modum tam in gloriæ quam gratiæ lumine cognoscit: quæ, ut dixi, hujus gradus excellentia vel dignitas quædem est. Hinc enim affectus seu desiderii fames et impatientia oritur, eo quod neque contingere, neque gustare liceat dilectum, secundum illius modum, plena perfectaque cum satietate. Porro unusquilibet in gratia vel gloria constitutus, creatam unitatem singulari quadam ratione possidet; prout enim quisque a Deo donatus est, et virtutibus ac divino amore instructus, ita etiam hac in unitate gustat, sentit et experitur; nec unitas hæc una est, sed singuli in gratia vel gloria constituti, specialem suam seu singularem in se ipsis unitatem suamque actionem pro dignitate sive pro nobilitate sua habent. Sita autem est hæc unitas in mente seu memoria, et omnium virium per amoris nexum impressione. Atque unusquilibet pro sua excellentia vel dignitate, prout divinitus donatus est se sentit, idque in propria sui fundi unitate, ubi singulis quibusque plus vel minus pro cujusque dignitate donatur. Divina autem personarum unitas supra has omnes sese continet unitates, satisfaciens singulis pro illarum dignitate, videlicet et foras impellendo ad actitandas virtutes omnes, et introrsus trahendo in amoris æstum et impatientiam. Et quo quisque sanctæ Trinitati similior est, tanto et facilius movetur, et majori cum charitate intro refluit. Atque totum hoc tam in gloria quam gratia finitis constat actionibus, eaque de re non nisi sacrosanctæ Trinitatis quædam similitudo est. Sine hac autem similitudine neque in tempore, neque in æternitate quisquam unquam unum cum Deo potest effici (1). »

Hæc, post jam dicta, non videntur interpretatione indigere, eoque vel minus indigent quod, de altero gradu doni consilii agendo, quasi ex opposito denuo illustrabuntur.

---

(1) Hæc, paucis mutatis, est versio Surii.

Interim tantummodo nota quam perfecte sibi constet Rusbrochii doctrina. Etenim pluries repetit: 1/ in hoc gradu inferiore efficientiæ doni consilii, manere *similitudinem* cum divina Trinitate, etiam in beatis cœlitibus et in Christo, nondum vero esse *unitatem* seu unionem cum Deo. Non quidem ita ut omnino non sit, in Christo et in beatis, ista unio, sed quod non sit *vi hujus prioris gradus,* solummodo vero sit vi superioris gradus mox explicandi.

2/ Hanc similitudinem et gradum inferiorem doni consilii esse necessariam dispositionem ad unionem seu superiorem gradum, tum in tempore, tum in æternitate.

Ex his obiter deduces donum consilii, ex mente Rusbrochii, manere etiam quoad hunc gradum inferiorem in patria, et fuisse ac esse in Christo; qui quidem gradus jam pertinet ad actum principalem ac essentialem doni consilii, nempe electionem partis melioris, dum actus ejus prævius, scilicet partium discussio, ratione suæ imperfectionis, non permanet in patria. Et hæc plene conveniunt cum iis quæ olim, ex Principibus scholæ, docuimus de dono consilii (1).

Proxime sequentia apud Auctorem omittimus, utpote minoris momenti ad rerum intelligentiam, ubi addit hominem, qui modo dicto similis factus est celsissimæ Trinitati, merito quoque similem dici firmamento cœli (in fine hujus cap. XXVI), cum septem planetis (cap. XXVII). Hujus capitis solam conclusionem exscribimus: « Sicut hic demonstratum est in toto hoc gradu erit hominis vita erecta, ut pervenire valeat ad superessentialem vitam, hoc est, vitam contemplativam secundum modum divinum. »

Dein, cap. XXVIII, versibus seu oratione metrica doctrinam jam expositam breviter resumit. Quæ quidem omnia utiliter legi possunt, ad interpretandam vero mentem Auctoris non omnino necessaria sunt.

---

(1) Tom. XVIII, p. 554, 556, 558.

Tandem transit ad altiorem gradum doni consilii declarandum, in cap. XXIX, incipiens ab optimo compendio eorum quæ de priore gradu docuit.

Hujus capitis textum (1), documentis mysticis altissimis refertum, lectori exhibemus, paucis præmissis, nulla vero nova interpretatione addita, siquidem haud ægre totum intelliget, quicumque præ oculis habuerit olim fusius explicatam doctrinam Rusbrochii de triplici in nobis unitate (2), supernaturaliter ornata (3), et triplici unione cum Deo (quæ in illa triplici unitate perficitur) cum medio, sine medio et etiam sine differentia (4), item de triplici distinctione hominum in servos fideles, secretos amicos et occultos filios (5).

Videlicet, ut lumen divini consilii in priore gradu, ut supra, percipiatur, oportet redire saltem ad unitatem supremarum virium, seu activo modo consideratam; in qua mentis seu animæ ac spiritus unitate, tamquam in subjecto, est gratia sanctificans prout est principium activitatis supernaturalis, cum virtutibus divinis et donis Spiritus sancti, sibi annexis, ad imaginem seu similitudinem fœcundæ naturæ divinæ celsissimæque Trinitatis. Inibi est unio cum Deo, cum medio, et sumus servi fideles, in vita interna adhuc activa versantes.

Ut vero percipiatur gradus superior, de quo nunc, doni consilii, oportet refluere in unitatem animæ seu spiritus secundum essentialem existentiam seu essentiali modo consideratam. In hac animæ unitate est eadem gratia sanctificans, non jam activo modo inspecta, sed ut essentiam animæ participem reddit consortemque divinæ naturæ seu essentiæ, quo constituimur non jam servi fideles, sed amici secreti Dei.

---

(1) Ex versione Surii, in quibusdam ad litteram Rusbrochii strictius redacta.

(2) Vid. tom. XVII, p. 298 et sqq.

(3) Eod. tom. XVII, p. 309 et sqq.

(4) Ibid., p. 422 et sqq.

(5) Ibid., p. 492 et sqq.

Licet enim omnes qui in gratia Dei sunt, sint simul servi fideles, et secreti amici, imo et occulti filii, non omnes tamen id sentiunt; sicque non sunt amici secreti, nisi qui ad essentialem unitatem refluxerint, unitique sint Deo, sine medio, jamque contemplativi.

Cum vero unitas essentiali modo in nobis, sine medio eadem sit cum suprema unitate quam habemus in Deo supra nos, in qua, disponente nos gratia sanctificante, unimur cum Spiritu sancto, inque Eo et per Eum, cum tota SS. Trinitate, ita ut non tantum amici sed filii Dei adoptivi constituamur: ad hanc supremam unitatem refluentes, sumus Deo uniti sine medio et etiam sine differentia, sumus filii occulti, perfecte contemplativi, in Deum transformati ac absorpti, sumus una cum Deo fruitiva quies seu beatitudo.

His præhabitis, audiamus Rusbrochium nullo jam labore intelligendum:

Caput XXIX. Sed nunc quid majoris dignitatis, præstantiorumque virtutum hoc Consilii donum conferat, videamus. Anima quidem dum ex divino contactu, qui hujus doni origo est, per Patris potentiam ad virtutes omnes incitatur ac impellitur, et per Filii claritudinem illustratur ad cognoscendum illuminata ratione Deum creaturæ modo et in sublimi claritate: ex hoc contactu et ratione illuminata, amoris illi a sancto Spiritu præstatur impatientia gustandi Deum suum in in omprehensibilibus gaudiis. Atque hac ratione excellentissimæ Trinitatis, et fœcundæ unitatis quamdam gerit similitudinem. Et licet quicquid creare posset, ipsi præstaret Deus, seipso tantum excluso, impatiens tamen et insedata permaneret, idque propterea quod Dei habet similitudinem, et ad fruitivam adspirat unionem, atque per ipsam similitudinem, quantum præstare potest, in unitatem se erexit; quod est supremum hujus similitudinis.

Hic jam ejusdem doni Consilii sublimior quidam gradus incipit. Omnes enim creaturæ rationales, tum Angeli tum homines, quas Deus suî fecit similes sive in gratia, sive in gloria, per similitudinem in suæ mentis profluxere unitatem, et naturaliter secundum fundum suum in superessentialem

Dei essentiam tanquam in proprium fundum suum propensæ sunt, eidemque cum collectis ac adunatis viribus fruitive inhærent. Etenim unaquæque mens in suam introversa essentiam, non active sed essentialiter sese habet; omnesque essentiæ simplicem Dei attingunt essentiam, in eaque ceu propria sua causa dependent, nec hic medium aliquod præstat quod creatæ sunt: nam hactenus supra actionem sunt in essentia, et omnis essentia absque medio divinæ essentiæ inhæret; atque ipsæ etiam personæ divinæ in unitate promanarunt, et tum naturaliter, tum fruitive eidem essentiæ inhærent. Tum vero divinitatis abyssus tanquam simplex quædam lux sese habet, quæ est essentia ipsa, in personarum unitate, atque etiam in cujuslibet mentis introversæ, id est, cujusque creaturæ rationalis ad fruitionem in supremo mentis suæ adspirantis unitate, coruscans. Hæc lux incomprehensibilis, mentis introversæ intellectum illustrat, est enim ipsa æterna sapientia, quæ in anima genita est. In hac luce eam licet contemplari simplicitatem, unde ipsa progenita est, quæ est natura divina; non enim nisi in hoc lumine incomprehensibilis Dei essentia potest fruitive videri: istud namque lumen Christus est; et idem ipse est ostium per quod nedum secundum humanitatem, sed etiam divinitatem transeundum est; non enim admittitur quisquam in æternæ fruitionis aulam, nisi vivat convenienter Christi humanitati et per ejusdem immensam claritatem contempletur et intro refluat.

Ista essentiæ hujus simplex lux prorsus interminata, immensa ac modi expers est; divinarumque personarum et ipsius etiam animæ unitatem, cunctasque animæ vires ambit et circumplectitur, idque adeo, ut ipsam naturalem fundi propensionem et fruitivam inhæsionem Dei, et omnium quos sibi in hac luce unitos habet, circumdet atque perlustret: sic que una Dei et amantium spirituum unitas efficiatur. Omnes namque amantes spiritus hic supra seipsos, cum immenso lumine, modo quodam divino in fruitivam unitatem confluunt. Et quia in hac modi nescia luce, per quam ista fit immersio ac influxio, omnis tam Dei, quam creaturarum omnium actio deficit (in hac namque Dei essentia nulla neque Dei, neque creaturæ ullius existit operatio, quandoquidem personæ, secundum personales proprietates, in frui-

tionem demerguntur ac velut absorbentur; non tamen unquam interire possunt, cum sint naturæ sempiternæ; hoc autem totum fit per fruitivam demissionem vel inclinationem in divinæ essentiæ interminatam modi carentiam): idcirco hic Deus cum omnibus sibi unitis, simplicis lucis transformationem sustinet; et hic satis anima experitur advenisse dilectum suum, dum plus accipit in fruitiva unitate, quam vel desiderare queat. Et singulus quisque Deo unitus, in hac transformatione incomprehensibilia percipit gaudia et ineffabilem fruitionem, quanquam non omnes æquali beatitudinis gaudio perfruuntur. Etenim pro cujusque fame, amoris impatientia, et virtutum sublimitate, etiam unusquilibet excelsus, illustris et nobilis est. Et licet commune quoddam bonum præstetur omnibus, sed ut quisque esurit et præ amore impatiens est, ita etiam magis ac magis perfluitur ac inundatur; attamen omnibus superest semper, eo quod inexhaustæ illæ deliciæ, prorsus immensæ ac modi nesciæ sint. Ipse etiam Christus, secundum creatam animam suam, totus est inundatus; plusque illius animæ præstitum est, quam ea vel desiderare queat, siquidem ipsa creata est, istud vero bonum immensum ac infinitum est. Divina quidem charitas, cum sit immensa quædam proprietas, modo immenso et desiderare et amare potest. Istæ autem deliciæ modi expertes sunt, et in ipsa Dei essentia consistunt; personæ vero, cum modo secundum personalitatem operantur, sed secundum essentiam absque modo perfruuntur. Et hic utique etiam ipsæ illo quod modi expers est inundantur, id est, infinitam habent charitatem, plusque percipiunt, quam desiderare queant, puta secundum essentiam. Atque hinc fit ut quicunque in hac fruitione sunt inundati, in modi nescium a seipsis diffluant in hac luce; ista namque lux interminata in hac fruitione modi expers est. Dum autem ita a seipsis in modi expertem essentiam defluxerunt, jam lucem hanc infinitam nusquam, id est, incomprehensibiliter possident: et id ipsorum præcipuum gaudium est. Et quia per fruitionem a seipsis diffluendo sese amiserunt, Deumque ceu quidquam modi nescium, et ut delicias incomprehensibiles possident, ipsi vicissim a Deo in eodem modi nescio possidentur. In hac autem modi nescia essentia omnis tam Dei quam creaturarum actio deficit, cum sit tam Dei quam

Sanctorum omnium fruitio, quæ est Dei cunctorumque amantium spirituum in eadem simplici essentia Dei fruitiva inhæsio. Itaque ut personarum unitas, secundum ipsarum personarum intuitum sive introspectionem et fruitivam inclinationem, continenter in essentia (ut dictum est) perfruitur, ita etiam eadem ipsa unitas fœcunda est, et sine intermissione æternam gignens Sapientiam, ex genitore autem et genito sanctus procedit Spiritus. Et hæc est activitas Dei. Sine cessatione enim operatur, eo quod mera actio est secundum naturæ suæ fœcunditatem: et nisi ageret, nec ipse, nec ulla vel in cœlis vel terris creatura foret. Semper igitur et operatur, et perpetim fruitur. In præcelsa divinæ naturæ unitate Deus fruitive sese possidet, secundum suî in essentiam suam inclinationem, in eademque unitate fœcundus est et sine intermissione suum generat Filium, qui est Sapientia æterna. Isthæc unitas sacrosanctæ Trinitatis thronus est, et paternæ potentiæ divina victoria: siquidem inter fruitionem et actionem excelsa divinitatis natura sese possidet, continenter ac sine interruptione et fruens et agens. Porro ex Patris generatione, quotquot vel in gratia vel gloria similes sunt, attinguntur, singuli pro dignitate seu nobilitate sua, efficiuntque omnes et operantur vitales seu vivos virtutum actus, secundum sacrosanctæ Trinitatis similitudinem; atque etiam sine cessatione æternæ beatitudini fruitive inhærent.

Ipsi sunt, de quibus Dominus ait: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Seipsos enim miserati sunt, tum quod ipsi Deo in sectandis virtutibus et perfecta vita deessent, seu minus satisfacerent, tum quod ipsis Deus secundum deliciarum suarum fruitionem defuturus esset. Hæc duo, una cum divina bonitate, causa sunt quod Dei misericordiam usque in inexhaustam illam fruitionem insecuti sunt, atque a seipsis inibi in divinitatis abyssum diffluxere, et celsissimæ Trinitatis throni et quies effecti sunt. Unde etiam spiritus illi angelici, qui in hoc gradu Dei possident regnum, *Throni* appellantur, quod et ipsi possideant Deum, et vicissim possideantur a Deo, iidemque inter actionem et fruitionem positi, utrique perfecte vacant; et inter cœlestes spiritus septimum obtinent chorum sive ordinem, qui est infimus tertiæ hierarchiæ; cæteris autem

omnibus sex ordinum inferiorum spiritibus et claritate et sublimitate præstant. Et quicumque ea quæ diximus, per Dei dona et virtutum actiones sive in gratia, sive in gloria assecuti sunt, ii omnes Throni sunt, utpote qui inhæsione fruitiva in Dei superessentia Deum possident, et ab illo vicissim tanquam proprii ejus throni et quies possidentur: siquidem in simplici illius essentiæ fruitione unum sunt absque differentia. Atque in hac simplici divinæ essentiæ unitate neque cognitio, neque appetitio, neque actio est, quandoquidem modi nescia quædam abyssus est, quam captus activus nunquam potest assequi vel apprehendere. Eoque orabat Christus, ut nos unum efficeremur, sicut ipse cum Patre unum est, puta per amorem fruitivum, et immersionem sive absorptionem in modi expertem caliginem, ubi et Dei et creaturarum omnium activitas amittitur ac absorbetur.

Pauca in fine hujus cap. XXIX omittimus, utpote minoris momenti, et pariter caput XXX, in quo rursus metrica oratione resumitur præcedens doctrina, atque fit dicendi finis de dono consilii.

(Continuabitur).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Aprilis propositas.

—

I

De unitate generis humani.

Q. *Per summa capita ostende quid ex Sacra Scriptura doceamur circa* unitatem generis humani.

R. Unitas generis humani, quæ intelligitur unitas *physiologica* seu unitas originis (1), quatenus nempe omnes homines ab unis Adamo et Eva originem ducunt, non videtur usque ad sæc. XVII fuisse in dubium vocata (2). Medio autem sæculo XVII°, *La Peyrère,* priùs protestans, ast deinde ad catholicismum conversus, suscitavit hypothesim pluralitatis specierum humanarum et diversitatis originum, illamque in ipsa Scriptura fundatam æstimabat: putabat enim in libro Geneseos, c. I, narrari creationem hominum *præ-adamitarum,* a quibus omnes Gentiles originem duxissent; in c. II vero reperiebat creationem Adami, patris populi judaici. — Sæc. XVIII autem philosophi irreligiosi, duce Voltaire, eamdem Scripturam impugnabant, eique opposuerunt systema juxta quod variæ familiæ *(les races)* humanæ hodie existentes non ab uno Adamo, sed a diversis originibus essent repetendæ (3). — Quæ theoria versa fuit in applicationem practicam, dum s. XIX Americani ipsam allegaverunt ad

---

(1) Unitas alia est *logica,* qua omnes quotquot existunt homines iisdem essentialibus elementis, animæ et corporis, constituuntur.

(2) Uberiora circa *historiam* hujus quæstionis vide apud VIGOUROUX, *Les livres saints et la critique rationaliste* (Paris, 1887), t. III, pp. 301 ss.

(3) « Il n'est permis qu'à un aveugle, sic aiebat Voltaire, de douter que les blancs, les nègres, les Albinos, les Hottentots, les Lapons, les Chinois, les Américains, soient des races entièrement différentes ». *Essai sur les mœurs, Introduction,* II.

tuendam servitutem nigritarum, *la traite des noirs:* sic a. 1844 a ministro Calhoun responsum fuit animadversionibus factis a Statibus Europeanis, nigritos non esse ejusdem speciei ac albos. — De cætero Minister Americanus provocabat ad opinionem *Virey, Desmoulins, Morton*, aliorumque plurium doctorum, qui polygenismum propugnabant, ea potissimum ratione innixi nimias esse organicas differentias inter varias familias humanas; alii contra scientiarum naturalium periti, inter quos eminebant *Linné, Buffon, Cuvier,* etc., monogenismum tuebantur. — Quæstionem vero præprimis agitavit eamque in sensum unitatis originis solvit protestans *De Quatrefages* (1), quem potissimum impugnavit catholicus quidam ex Helvetia oriundus et professor in Universitate Bostoniensi, *Agassiz;* hic enim, profectus a principio varias familias humanas, ob discrimina inter ipsas existentia, non potuisse causis naturalibus ex uno pari primitivo oriri, eas tribuebat specialibus Dei creationibus.

Doctis hucusque inter se disputantibus una eademque fuerat quæstio de unitate speciei et de unitate originis: qui diversitatem originis tuebantur, præprimis arguebant ex diversitate specierum, quos patroni unitatis originis refutabant ostendendo unitatem speciei. Doctrina vero *transformismi,* medio s. XIX exorta, quæstionem mutavit: hæc enim doctrina ipsam existentiam specierum negabat, tenebatque omnes quotquot allegantur species diversas esse omnes inter se vario gradu cognatas, eo quod omnes ab eadem stirpe communi remote vel proxime originem duxissent. Proinde melius nunc est, quidquid de doctrina transformismi censeas, ut, abstrahendo ab unitate speciei humanæ, directe quæratur de unitate originis. Quam quæstionem agitandam habet tum 1/ *theologia,* cui quæstio est positiva: num ex fontibus revelationis probetur unitas originis? — tum 2/ *scientiæ profanæ,* cui quæstio potissimum est negativa: num ex scientiis aliquid eruatur contra eamdem unitatem (2)?

---

(1) *Unité de l'espèce humaine,* Paris, 1864; — *L'espèce humaine,* Paris, 1877; — *Introduction à l'étude des races humaines,* Paris, 1889.

(2) Cfr. Ill. Waffelaert, *Meditationes theologicæ,* apud *Collat. Brug.*, t. IX, p. 236. Inquisitionem scientificam circa scientias naturales vide apud Guibert, *Les origines* (Paris, 1910), pp. 254 ss.; cfr. *Collat. Namurc.*,

Quæstionem theologicam traditio christiana constans et unanimis solvit in sensum affirmativum, uti constat ex scriptis SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum, necnon ex decretis plurium conciliorum particularium (1); unde ipsa commissio theologorum cui in Concilio Vaticano commissum erat munus præparandi textum definitionum ferendarum, hoc præparaverat schema doctrinæ: « Imprimis itaque tam veteris quam novi Testamenti revelationi innixi profitemur et docemus totum humanum genus ab uno primo parente Adam ortum habere. (Sequuntur argumenta scripturistica; — et pergit schema:) Imo, negata hac veritate, etiam alterum revelatum dogma peccati originalis ab uno primo genitore in omnes homines transfusi et redemptionis omnium per unum mediatorem Dei et hominum hominem Christum Jesum violatur... Unde sub anathemate damnamus errorem quo hæc unitas et communis origo totius humani generis negatur » (2).

Hæc sola quæstio theologica nobis incumbit solvenda, pro quanto elementa solutionis **ex S. Scriptura** desumi possunt. Porro hujusmodi argumenta prostant (3), tum in libro Geneseos, tum in aliis libris S. Scripturæ. Hæc ultima breviter recolimus, latius dicturi de doctrina libri Geneseos.

I. In **aliis libris S. Scripturæ** aperte docetur unitas originis generis humani. « Hæc, scil. Sapientia divina — sic ait auctor libri Sapientiæ — illum (Adam) qui primus formatus est a Deo, *pater orbis terrarum, cum solus esset creatus,* (scil. antequam ei daretur conjux

---

t. II (1902-1903), pp. 187 ss. — Temporibus recentioribus præcipui defensores polygenismi reperti fuerunt, quod mirum dictu, inter transformistas.

(1) Cfr. QUILLET, *L'unité de l'espèce humaine*, apud *Les questions ecclésiastiques*, t. VII (1914), pp. 100 ss.

(2) *Schema constitutionis dogmaticæ de doctrina catholica*, c. XV. *Collectio Lacensis*, t. V, col. 516 s.

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, t. II, p. 385.

Eva) custodivit » (1). Et S. Paulus in celebri oratione quam habuit in Areopago Atheniensi affirmat omnes homines ab eodem pari primitivo oriundos esse: « Fecit (Deus) *ex uno omne genus hominum* inhabitare super universam faciem terræ » (2). — Vide quoque quæ habet S. Paulus de peccato originali ab uno Adam infuso toti generi humano: « Sicut *per unum hominem* peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita *in omnes homines* mors intravit, in quo omnes peccaverunt... » (3).

II. In **libro** quoque **Geneseos** aperte docetur unitas generis humani, et merito *Commissio Pontificia de re biblica*, in decreto suo circa indolem historicam trium priorum capitum Geneseos, statuit speciatim sensum litteralem historicum in dubium vocari non posse « ubi agitur de factis in eisdem capitibus enarratis, quæ christianæ religionis fundamenta attingunt, uti sunt, inter cætera,... *generis humani unitas* ».

Revera in priore narratione creationis, I-II, 4, relata prius creatione omnium aliorum entium, Deus exhibetur creans *hominem* (græce et hebraice cum articulo: τὸν ἄνθρωπον, proindeque ipsam humanitatem); — *masculum et feminam (unumque proinde par)* creavit eos (I, 26 s.); — in altera quoque narratione (II, 5-25), notatur *ante Adam nullum exstitisse hominem:* « Homo non erat qui operaretur eam (terram) » (II, 5); — deinde describitur productio primi hominis (II, 7), et notatur hominem istum ante productionem primæ mulieris fuisse *solum:* « Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum esse

---

(1) Sap. X, 1; imo textus græcus non immerito verti potest: « Hæc (Sapientia divina) eum qui primus formatus fuerat, qui *creatus fuerat ut solus pater orbis terrarum* custodivit ».

(2) Act. Ap. XVII, 26. *Ex uno*, i. e. ex uno homine; (minus probabilis est lectio quam quidam codices græci addunt: αἵματος, *ex uno sanguine;* sed sensus redit in idem). — Cfr. Eccli. XVII, XL, 1; Sap. VII, 1; Matth. XIX, 4.

(3) Rom. V, 12 ss.; I Cor. V, 21.

hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi » (II, 18); porro inter omnia animantia a Deo producta « Adæ non inveniebatur adjutor similis ejus » (II, 20); quare Deus producit mulierem de viro (II, 21 ss.), quæ vocatur « Eva, eo quod *mater* esset *cunctorum viventium* » (III, 16). — Istis incumberet ut crescerent et multiplicarentur et *replerent terram* (I, 28). — Hanc quoque humanitatem describit esse lapsam, et mortem omnium quotquot existunt hominum ab eo lapsu repetit (III). — His omnibus inspectis indubium est auctorem Geneseos sibi ipsi persuasum habuisse voluisseque affirmare unitatem generis humani.

Absoletæ sunt jam **difficultates** quæ olim movebantur contra hanc conclusionem ex libro Geneseos (1):

a/ « Ipsa Genesis *duplicem creationem hominis* narrat, tum in c. I tum in c. II; ergo a duplici saltem diversa origine deducendi sunt homines ». — *Ast* indubium est utraque narratione referri creationem ejusdem hominis, sive dicas Moysen post primam relationem generaliorem c. I[i], voluisse magis accurate describere creationem hominis in c. II[o], sive admittas, quod omnino præferendum est, ipsum idem factum creationis retulisse juxta duplicem fontem diversum, ubi præcise idem illud factum substantiale referebatur modo et ordine diverso (2).

b/ « Cain et Seth inveniuntur duxisse uxorem, ex eaque procreasse sibi posteros; num putandum eos cum propriis sororibus nupsisse, dum Genesis nullam mentionem habet de hujusmodi unionibus incestuosis? Nonne ergo supponendum est eos uxores sumpsisse ex mulieribus alius originis »? — *Ast,* missa quæstione de indole licita vel illicita hujusmodi connubiorum, indubium est Auctorem sacrum vere intellexisse connubia inter fratres et sorores, quum secus absurda fieret tota

(1) Cfr. Vigouroux, *o. c.*, pp. 311 ss.
(2) Cfr. Janssens, *De Deo Creatore* (Friburgi i. B. 1905), p. 299.

ejus doctrina essentialis circa unitatem generis humani. Sane non facit ullam mentionem filiarum ex Adam et Eva procreatarum, sed manifeste earum existentiam supponit, quum hominibus non ex Adamo et Eva deductis nullum relinquat locum.

c/ « Sed Cain, occiso Abel, timet ne occidatur ab aliis hominibus: Omnis qui invenerit me, occidet me (IV, 14). Nonne hæc narratio supponit terram jam esse habitatam? Jamvero, ex familia Adam nullus erat nisi ipse Cain: Seth enim cæterique liberi Adami et Evæ nondum nati erant ». — Ast nihil obstat quominus admittas tempore quo occisus est Abel jam plures exstitisse posteros Adami, nec enim debuit Auctor sacer omnes enumerare, potuitque multos omittere, sicut omisit referre nativitatem uxoris Cain, notæ ex IV, 17 (1).

d/ « Et quomodo Cain potuit *ædificare civitatem* » (2)? — *Ast* vocabulum hebr. *'îr*, quod Vulgata vertit: *civitatem*, acceptionis quam latissimæ est, et nil impedit quominus intelligatur hic de loco quodam refugii ad quod sibi et suis construendum, Cain et sui facile sufficere poterant.

e/ Nec dicas: « Sicut supra (3) dictum est in narratione diluvii expressionem « *Omnes homines* » non necessario intelligendam esse *sensu absoluto,* ita ut complectatur etiam istos homines qui vivebant forte in America vel Oceania, sed bene intelligi posse de iis hominibus quorum existentiam cognoscere vel suspicari poterat sive Noe sive auctor Geneseos, — eodem modo dici potest Adamum et Evam exhiberi ab auctore sacro ut parentes *generis humani*, i. e. illorum hominum quorum

---

(1) Satis manifestum est genealogias Geneseos esse incompletas.

(2) Voltaire, *La Bible expliquée, Œuvres,* t. VI, p. 359: « Caïn bâtit une ville aussitôt après avoir tué son frère. On demande quels ouvriers il avait pour bâtir sa ville, quels citoyens pour la peupler, quels instruments pour construire des maisons ».

(3) Pag. 301 s.

existentiam auctor sacer cognoscere aut suspicari poterat; et sic nil impedit quominus Adam et Eva fuerint genitores *partis determinatæ hominum,* dum alibi, puta in Oceania, vivere poterant homines ex aliis parentibus oriundi ». — *Ast* negandum assertum et neganda paritas: dum enim intelligi potest narratorem in relatione diluvii præ oculis habuisse factum istud historicum *prout sibi notum erat,* extensum np. ad eas regiones quas ipse terram totam, et ad ea animalia et ad istos homines quos ipse omnium universitatem reputabat, — hic contra manifestum est auctorem sacrum in I cap. Geneseos referre originem *cœli et terræ*, i. e. *omnium omnino rerum, præter ipsum Deum*, et absurdum esset ipsum intelligere quasi de solis entibus sibi notis dicere voluerit; porro in hac relatione originem omnium hominum, originem nec hominis, repetit a solis Adamo et Eva (1).

A. Vander Heeren.

II

De ineptitudine methodi immanentiæ ad præparandum hominem ad fidem.

Q. *An methodus immanentiæ prout exposita fuit* (*Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 619) *est apta qua incredulus, qui recte utitur ratione*, præparetur *ad fidem catholicam?*

R. Negative.

I. **Prænotandum.** 1. Si ageretur de sola expositione doctrinæ catholicæ circa existentiam et necessitatem tum Revelationis divinæ tum gratiæ internæ, hæc posset aliqua remota esse *præparatio intellectus* ad fidem,

(1) Ex his intelliges quare ad adstruendam unitatem generis humani non provocemus ad narrationem diluvii, quasi diluvium vere fuisset universale relate ad genus humanum. Dum enim indubium est auctorem sacrum affirmasse omnium hominum originem *ab Adamo et Eva*, non est certum ipsum vere affirmasse universalitatem istam diluvii, proindeque omnium hominum originem *a Noe*.

quatenus sola doctrinæ admittendæ expositio, si recte fiat, jam notiones præbet, asserta proponit eorumque manifestat logicam connexionem, quibus omnibus adjuvatur homo vel ad falsa præjudicia deponenda, quæ erga doctrinam catholicam conceperat, vel ad percipienda quædam ut probabilia.

Sed immanentiæ methodo, de qua agimus, proprium non est exponere quæ doctrina catholica tenet circa necessitatem Revelationis et gratiæ divinæ internæ, sed est efficere ut homo incredulus, in statu transnaturali positus (1), percipiat semetipsum indigere aliquo (un surcroît) quod postea ipsi demonstrabitur esse revelationem christianam et gratiam Christi (2). Hoc autem se indigere detegere deberet homo in motibus psychologicis quos experitur et qui sunt effectus gratiæ : nempe his motibus deberet homo detegere se indigere aliquo, cujus essentia et natura non cognoscitur, sed quæ postea ipsi revelabitur v. gr. per methodum apologeticæ traditionalem : ideo censet auctor citatus methodum immanentiæ valere tantum ut *præparationem* hominis ad ipsam cognitionem claram de ordine supernaturali ; censet esse, uti dicitur, *une apologétique du seuil.*

2. Supponamus hominem morbo affectum et se morbo affici percipientem ex dolore quem sentit, illumque adire medicum a quo plena fiducia sperat obtinendum

---

(1) Cf. suprà, p. 303 ss.

(2) « En vérité, il s'agit de prendre comme matière de l'analyse, comme terrain de la recherche, la vie elle-même dans sa complexité synthétique, cette vie transnaturée qu'emplit, sans qu'on ait besoin de le savoir expressément pour en profiter, l'œuvre comme du sujet et de l'objet... Tout le ressort de cette méthode consiste dans la mise en évidence d'une nécessité : celle où est l'homme d'égaler son libre vouloir au vœu profond de tout son être... C'est pourquoi on peut justement l'appeler une méthode d'immanence. Rien d'extérieur, en effet, n'y doit entrer en ligne de compte : *chercher par sa volonté propre sa volonté vraie ; découvrir, sous se qu'on croit vouloir, ce qu'on veut, sous ce qu'on croit penser ce qu'on pense, sous ce qu'on croit être, ce qu'on est,* voila tout uniment ce à quoi elle vise, ce qui constitue sa définition même ». Aug. Valensin, ap. d'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Immanence,* col. 589 s.

remedium sanitatis recuperandæ: ille homo declarat quali dolore, quibusnam laborat incommodis; medicus autem peritissimus ex expositis et examine necessario recte infert et plena certitudine, ut suppono, qualis sit morbus quo homo laborat, deinde ægroto asserit talem esse naturam morbi, talemque connexionem ipsius morbi cum symptomatibus quæ experitur ægrotans, et tandem indicat remedium quo indiget homo ut sanitatem recuperet. *Credit* homo omnia quæ dixit medicus et inde cognoscit in ipsis signis morbum existentem et necessitatem remedii. Sed patet hanc cognitionem non fuisse acquisitam per hoc quod *in ipsis symptomatibus* detexerit homo id quo indigeret, sed per hoc quod *crediderit* medico. Remanet tota quæstio utrum homo rationabiliter crediderit, vel non.

Hoc exemplo usus sum ut melius innotescat quo tendat methodus immanentiæ: hæc non tendit immediate ad hoc ut homo *credat* alicui docenti et credendo cognoscat se indigere ordine supernaturali, sed tendit ad hoc ut homo ipse immediate in motibus psychologicis detegat se moveri a Deo ad aliquid quo indiget.

3. Principia quibus nititur prædicta methodus sunt: a/ generale immanentiæ principium: homini nihil ingreditur quod non correspondet alicui indigentiæ ejus, inde concluditur: in tantum aliquid erit cognoscibile vel appetibile homini, in quantum illud indigentiæ ipsius correspondet, indigentiæ scilicet *psychologicæ* (1); b/ doctrina catholica de necessitate Revelationis et gratiæ divinæ internæ (2).

II. Prædictam methodum non esse aptam qua præparetur ad fidem homo qui recte ratione utitur, sic ostenditur:

Si prædicta methodus esset apta præparatio ad fidem, deberet vel refutare errores incompossibiles cum fide,

---

(1) Cf *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 619 ss.; t. XIX, p. 103 ss., 303 ss.
(2) Cf. *op. cit.*, t. XIX, p. 170 ss.

vel demonstrare aut saltem rite exponere veritates quæ remote vel proxime connectuntur cum fide; atqui neutrum efficitur hac methodo; ergo hæc non est apta qua præparetur homo ad fidem.

Declaratur antecedens. Quælibet remota hominis ad fidem præparatio active spectata, nempe quælibet actio vel series actionum qua aliquis homo præparat remote incredulum ad fidem, consistit in hoc quod primus docendo alteri dispositionem infert qua alter *velit* considerare et examinare motiva credibilitatis et credenditatis et etiam *capax in intellectu reddatur* ut rite cognoscat illa motiva. Jamvero ut unus homo docendo valeat movere alterum ad volendum aliquid, oportet ut primus intellectui alterius proponat bonum (sive utile, sive delectabile, sive honestum) esse hoc velle: ut autem tamquam bonum aliquid efficaciter proponat oportet ut inducat *intellectum* alterius ad judicandum hoc esse bonum. Quapropter, in præsenti re de qua agimus, requiritur et sufficit ut examinemus influxum methodi immanentiæ in intellectum illius cui proponitur. Cæteroquin hæc traditur a defensoribus ipsius tamquam apta ut per illam *cognoscat* homo quid velit et velle debeat.

Jamvero ut in ordine logico valeat aliquid prædicta methodus oportet ut vel errores dissipet, vel veritates adstruat: etenim intellectus humanus essentialiter ordinatur ad verum cognoscendum: in tantum agit seu cognoscit in quantum aliquod objectum percipit sub formali ratione *veri:* proinde methodus in ordine logico valet eatenus quatenus facit detegere rationem formalem veri in objectis, hoc autem facit vel quatenus aliquod propositum ostendit esse falsum et sic contradictorium ejus manifestat ut verum, vel quatenus directe ut verum ostendit aliquid. Proinde ut methodus immanentiæ posset præparare, etiam remote, hominem ad fidem christianam, requiritur ut valida sit ad refutandos seu dissipandos errores circa fidem hanc (objective spectatam) vel ad stabiliendas aut explicandas veritates

quarum cognitio logice præsupponitur ad judicium credibilitatis et credenditatis.

Declaratur minor. 1. Prædicta methodus nullum refutat errorem: quod satis patet ex data expositione: nullum errorem circa Dei existentiam vel possibilitatem et cognoscibilitatem revelationis, etc. (1), nec circa demonstrationem facti revelationis christianæ; videntur, e contrario, admittere fautores prædictæ methodi posse quoslibet errores supponi in homine cui applicatur.

2. Veritates autem nullas proprie demonstrat: non enim demonstrat hominem a Deo creari, proinde humanam naturam esse rectam ac consequenter omnem tendentiam proprie naturalem, seu quæ ad naturam complete spectatam pertinet, tendere ad objectum reale quod tendentiæ correspondeat; sed considerat tantum *individua*, et contendit singulos homines in voluntatis appetitionibus detegere posse necessitatem alicujus incogniti, quod postea demonstraretur esse revelationem christianam et gratiam Christi.

In hoc autem nedum vera demonstret, falsa potius adstruit. Etenim motus psychologici, qui spontanei surgunt, v. gr. desideria cognoscendi religionem, fruendi pace animæ, aut felicitate qua gaudere videntur homines religiosi etc., in se ipsis considerati, nec ut ordinati nec ut inordinati possunt cognosci; ad hoc discernendum prærequiruntur *intellectualia principia*. Hoc etiam

---

(1) Notemus defensores prædictæ methodi hucusque nunquam modo *practico* exposuisse methodum, quantum sciam: nempe nunquam exposuerunt qua ratione adhibenda esset methodus v. gr. pro atheo, vel pro materialista vel pro pantheista, vel pro rationalista qui admittit existentiam Dei, quatenus rite a naturali ratione cognosci potest; nunquam determinaverunt qualem præcise mentis dispositionem præsupponunt in homine quem ducere ad fidem intendunt. — Valde etiam obscura sunt asserta hujus generis: Il faut que la recherche religieuse *parte du sujet*... »: quid est hoc; *partir du sujet?* — Probationes de immortalitate animæ et de relationibus Dei cum hominibus, quas exponit R. P. DE POULPIQUET, *L'objet intégral de l'Apologétique*, Paris, 1912, p. 343, non pertinent ad methodum immanentiæ de qua agimus.

valet de motibus gratiæ in anima suscitatis: illi enim non possunt in se cognosci ut supernaturales vel ut a Deo immissi: quapropter si homo non habeat veram cognitionem circa Dei existentiam, rectitudinem moralem, beatitudinem humanam, etc., non poterit cognoscere utrum illi motus sint ordinati, necne, utrum sint manifestatio ipsius naturæ necne, utrum libere sint sequendi necne. Eo vel magis quod homo percipit in se alios motus, etiam spontaneos, quibus desiderat voluptatem, divitias, honorem: si non habet principia intellectualia quibus dijudicet de origine, valore morali talium motuum, non poterit in ipsis motibus detegere id quo indiget ut sit perfectus et beatus homo (1). Appetitiones psychologicæ possunt esse *occasio* qua homo adducatur ad inquirendum intellectu circa Deum et res religiosas, non possunt esse *medium objectivum* detegendi aliquid quo indigeat homo ut sit simpliciter perfectus in ordine ad finem ultimum.

Igitur falsum est asserere quod ex sola consideratione vel analysi motuum voluntatis potest homo cognoscere illos motus tendere ad *id quo revera indiget ut sit perfecte homo* (2): nam exsurgere possunt motus inordinati tendentes ad id quod homini est malum. Quapropter si homini, recte utenti sua ratione, proponuntur talia quæ in methodo prædicta exhibentur, ille non sinet se obcæcari illis falsis assertis et sophisticis argumentis, e contrario periculum est ut aversionem percipiat erga religionem ipsam cujus apologetæ talia adhibent media. Sed dicet aliquis: dantur homines qui censeant nihil homini ingredi posse nisi id quod respondet indigentiæ ipsius et proinde concludant nullam esse faciendam inquisitionem, in specie circa religionem, vel nullam

---

(1) Cf. S. Thomas, *Sum. theol.*, I-II, Q. II, a. 2-6, quibus *demonstrat* non in divitiis etc., consistere hominis beatitudinem.

(2) Circa connexionem inter valorem methodi immanentiæ et doctrinam catholicam de necessitate gratiæ specialiter loquemur in proxima responsione.

esse appetendam religionem nisi ipsa inquisitio vel ipsa religio appareat tamquam correspondens indigentiæ; ergo talibus hominibus ostendendum est se indigere vel inquisitione facienda circa religionem, vel ipsa religione.

Respondetur: tali homini, si non opportunum videtur illud assertum refutare, directe demonstretur primam et omnino fundamentalem hominis indigentiam esse de *cognoscendo vero*, nec unquam posse hominem gaudere quiete nisi dissipentur dubia, præsertim circa illas res quæ spectant hominis finem, obligationem moralem, alteram vitam, etc. Illa autem indigentia cognoscendi veri perspecta, ostendentur media adhibenda ut acquirat homo cognitionem veri, nominatim circa existentiam Dei, etc.

Quodsi ille homo cognitionis humanæ valorem objectivum non admittit, hic imprimis error est auferendus: si remaneat, nulla datur via ad religionem naturalem, nec ad fidem catholicam.

J. Van der Meersch.

III-IV

De Præscriptione III.

Q. *Titius nomine patris peregrinans commercii causa, ut mercatoribus et tabernariis offerat merces patris sui, quadam vice offert Paulo tabernario optima textilia pro pretio adeo modico ut Paulus suspicetur aliquam agi injustitiam; sed mendaciter affirmat Titius patrem suum in Anglia hæc emisse textilia, felici quadam occasione, pro pretio ridiculo; et sic emit Paulus solvitque pretium, quod Titius cito dilapidat. Sed post 10 dies advenit pater, acriter repetens merces Pauloque tribunal minans: quia, ut ait, derisorium mercis pretium satis superque clamabat dolum dilapidationemque filii. — Ad quid tenetur Paulus?*

R. Præsens casus, ut statim apparet, solvi nequit

recurrendo ad aliquam proprie dictam præscriptionem acquisitivam seu usucapionem : cum omnis veri nominis præscriptio determinatum quoddam temporis spatium essentialiter requirat, illudque in causa nostra non verificetur. Sed quæstio est utrum applicabile sit in casu art. 2279 Cod. Civ.: *en fait de meubles la possession vaut titre* etc., adeo ut in conscientia non secus ac in foro civili immunis sit Paulus qua *tertius detentor* ab omni justitiæ obligatione restituendi merces, sarciendive damna.

Elementa solutionis.

a/ Jamvero, advertamus primum agi revera de *re mobili* in ambitu supradicti principii comprehensa. Non omnia quidem bona mobilia tangit art. 2279; sed ea tantum « quæ consistunt in rebus *corporalibus* et *singularibus* quidem, quæque *principaliter* haud vero ut accessoriæ rei immobilis repetuntur; vel etiam quæ consistunt in *creditis* (créances) et *censibus* (rentes) *exhibenti solubilibus* (constatées par des titres au porteur) » (1). Merces autem a Paulo emptas mobiles esse corporales, singulares et principales nemo non videt.

b/ Insuper, certum etiam apparet exceptionem de *rebus amissis et furtivis* eidem art. 2279 appositam, et vi cujus per 3 annos proprietarius rem suam a quocumque detentore repetere potest, heic non esse considerandam. Merces enim a Paulo emptæ nec a patre Titii amissæ, nec a Titio furto stricte dicto sublatæ fuerunt: sed cum pater eas Titio voluntarie commisisset ad negotium suo nomine peragendum, ipse Titius eas injuste minimo pretio vendidit tradiditque, sic per *abusum fiduciæ* limites mandati sui prætergrediendo. Jamvero « l'exception relative au cas de vol doit être restreinte au vol proprement dit... Ainsi celui qui aurait été privé d'une chose mobilière par un abus de confiance, par une violation de dépôt, ou même par suite

(1) Cf. Illmum Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 243.

d'une escroquerie, ne jouirait pas de l'action en revendication contre le tiers possesseur de cette chose » (1).

c/ *Sensus* autem art. 2279, uti jam logice ex ipsius verbis concluditur, est *possessionem* mobilium, debitis vestitam conditionibus, ex mente legislatoris haberi qua *verum titulum dominii* ad instar cujusvis tituli translativi proprietatis, ut esset donatio, emptio, legitima usucapio; aliis verbis legislatorem hoc casu dominium instantanee transferre *voluisse*. Quod autem hoc etiam ex jure naturæ *potuerit*, nimirum propter securitatem commercii et pactionum stabilitatem in illis rebus mobilibus quæ de manu ad manum facillime transmittuntur, sententia est tum extrinsece tum intrinsece probabilis, et practice tuta (2).

d/ Proinde ad solutionem casus investigandum solummodo remanet quænam a lege civili et in conscientia requiratur *possessio* ad hanc juris translationem.

Intelligitur autem possessio stricte dicta seu *animo*

---

(1) Cf. Aubry et Rau, *Cours de Droit Civil Français*, II, par. 183; Thiry, *Cours de Droit Civil*, IV, n. 648; Planiol, *Traité élémentaire de Droit Civil*, I, n. 2482.

(2) Cf. Illmum Waffelaert, *De l'obligation en conscience des lois civiles*, p. 246-257. — Thiry, l. c., n. 645: « Les choses mobilières corporelles sont celles qui ont la propriété de satisfaire aux besoins si nombreux et si variés de la vie; pour cette cause elles passent fréquemment d'une main dans une autre, elles sont l'objet de transmissions multipliées se succédant à de courts intervalles; elles forment la matière du commerce. Il eût été absurde d'exiger, pour leur acquisition, les mêmes formalités lentes et coûteuses que pour celle des immeubles. En le faisant, on eût rendu le commerce impossible; il fallait adopter le mode de transmission le plus simple, la tradition. D'un autre côté, l'identité des meubles est souvent difficile à constater, à cause de leur similitude avec d'autres du même genre; on ne pouvait dès lors admettre, à leur égard, le droit de suite, ni par conséquent le droit d'hypothèque. D'ailleurs, l'exercice de l'action en revendication ou de l'action hypothécaire eussent été des entraves mortelles pour le négoce. Donc, le principe qu'en fait de meubles la possession vaut titre, celui que les meubles ne sont pas susceptibles d'hypothèque, ces principes, avec leurs conséquences, découlent logiquement de la nature des choses; leur absence dans la législation nuirait gravement à l'intérêt général ».

domini, non vero titulo precario seu nomine alterius habita; et insuper possessio *bona fide* seu practice a tertio detentore habita cum persuasione juris sui. Quæ bona fides, scil. possidentis persuasio inculpabilis vel non graviter culpabilis se jure suo agere, a lege quidem requiritur ad validam in casu translationem dominii, sed in foro externo adesse præsumitur quoties non demonstratur contrarium; in conscientia vero omnino necessaria apparet.

Solutio.

Si ergo Paulus, audita mendosa Titii explicatione, revera deceptus ipsi credidit, et absque serio dubio persuasus evasit nullam a Titio et proinde a seipso committi injustitiam, instantanee emendo et accipiendo merces ut suas factus est earum dominus tum secundum legem tum etiam in conscientia; nec quidquam patri postea reclamanti ex justitia restituere aut resarcire tenetur (1).

Quæstio autem facti a circumstantiis pendet: a qualitate nimirum et pretio mercium, a modo plus minus ingenioso plus minusve verisimili quo Titius explicationes suas composuit, ab ipsius fama bona vel forsan suspecta, aliquando a circumstantia solutionis stante pede petitæ, ab indole etiam Pauli etc. Sed profecto requiritur ut in mente ementis probabile dubium de injustitia non superfuerit.

Quodsi ad hanc moralem persuasionem Paulus non pervenerit, in conscientia tenetur ad merces exigenti patri reddendas, cum illas nec debita possessione fecerit suas, nec valide emerit a filio, quippe qui limites mandati sui contra voluntatem patris prætergressus

(1) Idem etiam valere videtur, si momento quidem emptionis suæ in dubia fide erat Paulus, merces tamen absque gravi conscientiæ culpa accepit; mox vero postea, dum rem ulterius considerabat, moraliter persuasus evaserit de justitia totius rei; etenim possessio bonæ fidei illo tunc momento ipsum fecit dominum.

est (1); recursum autem pro pretio soluto contra filium tantum habebit, non vero contra patrem (2).

Tandem, vix cum spe fructus pater judicem appellaret in casu, cum malam Pauli fidem non nisi difficillime demonstrare posset; imo nec in conscientia valeret sententia judicis Paulum ad restituendum damnantis propter malam fidem, si de facto Paulus bona fide egisset (3).

Q. *Maria cum operario nupta parvumque incipiens commercium, propter varia infortunia ex improviso concurrentia non potuit debitum 500 f. quod contraxerat solvere; sicque e domo etiam expulsa pauperem per 35 annos vitam egit. Vidua nunc vetulaque effecta, rem domesticam adhuc pro posse regit, stipendiaque sat pinguia quæ nunc tandem lucrantur filii apud se in communi servat marsupio. Anxie autem sibi rogat Maria utrum de antiquo suo debito adhuc coram Deo teneatur, cum nunc primum solvere valeat. — Solve casum.*

R. **Solutio.**

Seclusa hypothesi parum probabili *condonationis* de-

---

(1) Nempe consensus patris, de jure naturæ requisitus ad validam emptionem-venditionem, hic non existit. Similiter de jure civili: « Si le mandataire a excédé les limites de son mandat, le mandant n'est pas tenu de ce qui a été fait au-delà (art. 1998, alin. 2); tout ce qui dépasse les limites du mandat est pour lui nul et non avenu par la raison que, pour ces actes, le mandat n'existe pas. Le point de savoir si le mandataire a excédé les limites du mandat, est une question de fait abandonnée à l'appréciation des juges, par exemple s'il a payé un prix plus élevé que celui fixé par le mandat, etc. ». THIRY, l. c., n. 231.

(2) Possibilis tamen esset casus in quo Paulus ab ipso patre pretium a se solutum repetere posset: si nimirum, dolum Titii perspiciens, merces emisset animo reddendi eas domino, prudenter reputans patrem secus nunquam illas recuperaturum esse. Tunc enim nomine domini egisse censetur, et exurgit *quasi-contractus gestionis rerum,* ad normam art. 1371-1381 Cod. Civ.; verum hanc fuisse Pauli intentionem causa nostra ferre non videtur.

(3) Ideo tunc Paulus, si sententiæ executionem evadere non valeret, contra patrem occulta compensatione uti posset.

biti prudenter præsumptæ, non extinguitur quidem in conscientia debitum de quo agitur *ope præscriptionis liberativæ 30 annorum;* sed porro *excusatur* Maria ob impotentiam solvendi, per se loquendo. Quæ excusatio eodem modo ad ipsum *auctarium* — si forte debeatur — principalis summæ extenditur; insuper quoad hanc partem facilius Mariæ usuvenit valida *præscriptio 5 annorum*. Imo secundum sententiam quæ probabilis videtur, certo hæc præscriptio in casu applicatur ad auctarium.

Explicatio.

1/ Parum quidem probabile apparet extingui debitum Mariæ ope *condonationis* prudenter præsumptæ. Etsi nempe illud valde antiquum sit, inde tamen nondum censeri potest creditor spontanee et libere — ut oporteret — juri suo renuntiare, pro casu quo debitrix aliquando solvere possit; (maxime cum ex circumstantiis causæ nec consanguinea nec conjuncta nec specialiter amica creditoris Maria esse videatur). « Quilibet enim, donec de contrario constet, præsumendus est nolle se re sua privari » (1). Proinde non poterit æs alienum censeri remissum, nisi forte creditor vel heredes ejus æquivalenter manifestaverint suam condonandi voluntatem : ut si meliorem debitricis fortunam cognoscentes eamque facile monere valentes, ipsam tamen in pace reliquerint (2).

---

(1) Cf. *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 455.

(2) Obiter adverte aliam quamdam hypothesim extinctionis aut diminutionis debiti, nempe *ope dissolutionis communitatis inopis*, pariter in casu esse removendam. Posset namque quis suspicari Mariam, mortuo marito quocum sub regimine communitatis legalis — ut pronum est pro operariis — vixerat, et proinde dissoluta communitate nullis relictis bonis, jam de dimidio tantum debito aut imo de nullo amplius teneri. Verum circumstantiæ casus ostendunt Mariam *personaliter* ad totam summam adstringi, quia ipsa inceperat commercium, nempe separatum, dum maritus operarius erat, non mercator; unde ipsa personaliter debitum 500 f. *pro commercio suo* contraxit. — Cf. art. 10 Cod. Comm.; art. 220 Cod. Civ. — Aliter dicendum esset si ageretur *de debitis proprie communibus*,

2/ Nec magis Mariæ proficit in conscientia *præscriptio liberativa 30 annorum* (1). Profecto permittit ipsi lex civilis ut hunc modum se liberandi creditori opponat, imo expresse sancit art. 2262 malam fidem taliter præscribentis objici non posse. Sed in casu, propter *defectum bonæ fidei theologicæ*, valet tantum hæc dispositio legis qua actionis exclusiva, cum jus naturæ heic majori efficaciæ in foro interno contradicat (2). Bonam scilicet fidem Auctores in hac materia vulgo intelligunt « inculpatam vel non serio culpatam ignorantiam debiti, sive sit erronea sed prudens persuasio debitum fuisse solutum vel condonatum ; sive sit debiti oblivio, quæ in

---

v. g. pro locatione conjugalis domus contractis. Hæc enim debita, mortuo marito, regulariter ex jure nostro uxorem solummodo gravant pro dimidia parte; nec imo solvenda sunt ultra vires bonorum *communium* quæ vidua ex dissoluta communitate accepit, si tamen ipsa *inventarium bonorum* tempestive confecerit; insuper ad nihil generatim tenetur uxor quæ communitati *renuntiat* (art. 1494). In aliis vero casibus, ex propriis etiam bonis de dimidia parte debitorum communium regulariter tenetur (art. 1482-1486). Quæ dispositiones in conscientia vim habent; notando tamen 1°/ uxorem ad totum istud debitum in foro interno manere adstrictam *titulo damni injuste illati*, si debita injuste fuerint contracta, puta ob emptiones superfluas factas cum scientia impossibilitatis solutionis, modo tamen uxor illius injustitiæ fuerit causa primaria vel saltem qua participans injuriæ in solidum obligetur; 2°/ e contrario probabile esse, secluso casu præcedenti, ipsam in conscientia et ex stricta justitia ad istud dimidium ultro solvendum non teneri *ex propriis bonis*, etiamsi communitatem acceptaverit nec fecerit inventarium. — Cf. MARRES, *De Justitia*, l. III, n. 333-343.

(1) Tres sunt species præscriptionis liberativæ a lege determinatæ, quæ in casu pro natura debiti possunt esse considerandæ: nimirum præscriptio universalis 30 annorum (art. 2262), præscriptio 5 annorum circa debita periodica (art. 2277) de qua infra, et tandem præscriptio brevissima 6 mensium, 1 anni etc. (art. 2271-2273). Sed hanc ultimam prætermittimus, quia nunquam in conscientia liberat. — Cf. *Collat. Brug.*, t II, p. 72.

(2) Excipiuntur debita quæ tantum solvenda sunt si infra certum tempus exigantur, ut mulctæ pecuniariæ a judice impositæ in pœnam delicti ; ad quæ in foro interno vere præscribenda sufficit ut infra tempus utile non fuerint petita, exclusa utique fraude debitoris. Item excipiuntur servitutes, ad quas in conscientia extinguendas sufficit nonusus 30 annorum, semota iterum fraude præscribentis.

successoribus debitoris contingere potest, vix autem in ipso debitore » (1). Jamvero, cum debiti sui nec ignara nec oblita, nec de solutione sive condonatione persuasa ex ipsa jam anxia sua deliberatione appareat Maria, concluditur ipsi in foro interno præscriptionem tricenariam nullatenus opem ferre.

3/ Verum, si hucusque vera debitricis paupertas ipsam a solvendo pro tempore *excusavit*, profecto valida manet excusatio quamdiu paupertas perdurat. Jamvero, nihil nunc Maria lucratur ipsa; sed laborant filii ejus, qui pro circumstantiis casus majorennes et industria separata extra domum laborantes supponendi sunt, et ad quos proinde jure tum naturali tum civili pertinet salarium quod lucrantur (2). Ipsius autem matris vetulæ compensatur parva quam rei domesticæ fert pro posse cura per propriam alimoniam; quodsi labor ejus victum non adæquet, filiorum pecunia pie sustentatur. Exinde ergo habemus matrem a solutione quidem non definitive liberari, sed ob impotentiam porro excusari, per se loquendo: id est, nisi tamen ipsa communis pecuniæ non custos sed vere *domina* dicenda sit.

Contingit enim filiosfamilias etiam majorennes et propria laborantes industria proprietatem lucri sui, quamdiu domi degunt, parentibus per veram cessionem et absque restrictione tribuere. Quæ cessio et intentio non est quidem a priori supponenda, sed in singulis casibus ex verbis expressis aut certe ex circumstantiis manifestantibus determinetur oportet, inspectis nempe consuetudine regionis, indole modoque agendi filiorum, quantitate respectiva lucri singulorum etc.; et facilius extra quam intra classem operariorum inveniri nata est.

---

(1) Illmus Waffelaert, l. c., n. 252.

(2) Quodsi vero minorennes essent vel commercii participes materni, tunc ad normam principiorum in *Collat. Brug.*, t. VIII, p. 616 s. et t. XVIII, p. 671 s. expositorum videndum esset utrum et quanti lucri mater habeat proprietatem, et si inde paupertatis excusatio Mariæ evanescat; tunc enim urgeret solutio debiti.

Filii enim opificum, ut communius, parentibus ægre concederent proprietatem lucri sui absque hac saltem implicita restrictione ne magna ejusdem pars insumatur in solvendis antiquis debitis, de quibus nec ipsi nec sine ipsis parentes practice tenentur (1).

Quidquid sit, si Mariæ de plena cessione proprietatis aut de voluntate filiorum solvendi ex pietate debitum adhuc existens sufficienter constet, evanescit pro ipsa excusatio paupertatis et ad solvendum tenetur. Item si ipsa ex improviso, puta ob acceptam forte hereditatem, solvendi per se solam capax fieret (2).

4/ Tandem, debitum illud pecuniæ secum etiam trahere *potuit* obligationem justitiæ *auctarium* solvendi (3),

---

(1) *Ex justitia* nempe filii ad parentum debita solvenda non tenentur qua filii sed tantum qua heredes; quæ hypothesis extra causam nostram versatur. *Ex pietate* autem obligantur tantum ut in casu necessitatis ipsos parentes sublevent, non vero ut creditoribus faveant; et proinde heic in quantum infamiam aut carcerem etc. parentibus imminentem aut illos reapse jam gravantem absque proprio proportionato incommodo vere auferre valeant. Unde improbabilissima in casu est vel solius pietatis obligatio: cum ex una parte debitum adeo antiquum vix adhuc infamiæ saltem gravi obnoxium maneat, et ex alia parte notabile incommodum filiis Mariæ ex solutione debitæ summæ facile proveniret. Unde etiam pronum est concludere illos, si horum omnium conscii essent et simul excusationis quæ per se matri pauperi favet, in solutionem non esse consensuros. Quamquam possibile remanet eos nobilius atque generosius esse dispositos; et certe, ut notat MARRES, *De Justitia*, II, n. 377 « eximium pietatis opus præstant liberi, qui ut parentum, sive adhuc vivant, sive jam defuncti sint, honorem servent, integre illorum debita solvunt », etiam ultra obligationes conscientiæ proprie dictas.

(2) Tunc ergo debita investigatio instituenda esset ad antiquum creditorem sive heredes ejus inveniendos; quæ si frustra fieret, iterum liberaretur Maria.

(3) Scilicet quando debitor alicujus *summæ pecuniæ* tempore debito solvere omisit *absque sua culpa theologica*, in conscientia adstrictus manet ad *interesse moratorium* ultra principalem summam creditori solvendum si ita conventum fuerit inter partes; vel secus *post sententiam judicis* si in *mora juridica* constituatur Ad illam autem moram requiritur generatim debita petitio creditoris (v. g. sommation par huissier); quandoque tamen sufficit solus lapsus temporis; aut etiam certum tempus et simul: l'envoi de la note Cf. Legem 1 Maii 1913.

Non tamen applicatur a judice effectus moræ juridicæ, ubi probat

semota iterum hypothesi condonationis ejusdem. Verum, de debitis *periodicis* ut sunt auctaria, pensiones solvendæ, pretia locationis etc. sancit lex *præscriptionem liberativam per 5 annos* (art. 2277). Facilius sane quoad hanc debiti partem fuerit Maria in *bona fide* theologica de qua supra, inculpabiliter nempe reputans se de auctario non teneri aut saltem dispensari, vel forsan de fœnore isto nullatenus cogitans; quo casu in conscientia præscribetur omne auctarium exceptis 5 ultimis annis (1).

Sed ulterius heic progreditur P. VERMEERSCH (2),

---

debitor non potuisse se solvere « par suite d'une force majeure ou d'un cas fortuit » (art. 1148).

(1) Supponitur creditor hanc præscriptionem non legaliter interrupisse, per debitam reclamationem.

(2) *Quæstiones de Justitia*, n. 278 : « Præscriptio quinquennalis usurarum, pensionum quotannis solvendarum, hac boni communis ratione in jure gallico fulcitur, ne accumulatis usuris seu præstationibus, per desidiam plerumque creditoris, debitor ad inopiam redigatur. Ut enim sunt homines, annuæ debitorum pecuniæ, nisi suo tempore exigantur, in rem familiarem, vel alia ratione, plerumque non fructuosa, expenduntur, ita ut longe gravius sit decem annorum solvere *semel* usurarum summas, quam eas *annalibus vicibus* præstare. Creditoris ergo negligentia non raro foret debitori exitiosa, nisi hac protegeretur præscriptione.... Ideoque speciali favore leges nostræ hanc prosequuntur præscriptionem, ita ut currat etiam adversus eos qui ætate sunt minores. Quare, etsi non pauci aliter sentiant, non videmus cur, seclusis dolosis artibus quibus consulto solutionem neglexerit ut præscriptione se liberet, non possit per se debitor tuta conscientia frui legis beneficio ».

Ad rem DE LUGO, *De Justitia et Jure*, I, disp. 7, n. 48 : « Si lex inducat præscriptionem in favorem possessoris malæ fidei, et injusti, id videtur omnino illicitum; hoc enim esset fovere injurias proposito illis præmio præscriptionis, et de his videtur loqui prohibitio Ecclesiæ (Concilii Lateranensis IV). Si vero lex introduceret ob bonum publicum, quod aliquis sine possessione bonæ fidei positivæ, sed tamen absque mala fide præscribere, vel quasi præscribere posset, non videtur id ex natura rei illicitum; imo de facto videtur ita lege sancitum, ut servitutes rusticæ.... Cur ergo similiter non posset aliquando lex civilis ob aliquod publicum bonum introducere, ut qui absque culpa debitum aliquod pecuniarum per decennium non solvit, eo ipso liber remaneat, licet toto illo tempore sui debiti conscius fuisset; non enim apparet differentia quoad hoc inter servitutem rusticam et debitum pecuniarium, ut lex non posset, si ita ad bonum publicum expediret, concedere utriusque debiti præscriptionem debitori absque sua culpa..... ».

ob *specialem* rationem boni communis qua fulcitur hæc quinquennalis præscriptio: nimirum ne per accumulata aûctaria et præstationes periodicas debitores ad inopiam redigantur; tenetque sufficere ad hujus præscriptionis validitatem in conscientia illam bonam fidem qua debitor, conscius quidem debiti sui sed ob motivum v. g. paupertatis rite excusatus, per 5 annos ita permanserit quin fraudulenter seu consulto neglexerit solutionem. Et hæc quidem sententia, propter speciale motivum boni communis et sub datis conditionibus asserens postulari, concorditer cum jure naturæ efficaciorem istius præscriptionis valorem præ simplici denegatione actionis, probabilis videtur. Quamobrem practice de auctario 5 ultimorum tantum annorum — si existat in casu obligatio fœnus solvendi — Maria teneri posset.

Quinimo, dato casu quo ipsum debitum principale ex illis fuisset quæ per 5 annos præscribuntur, ut v. g. pretium locationis, omnis omnino obligatio justitiæ, secundum hanc sententiam, præscriptione extincta dici posset.

E. Hosten.

V

Notio et divisio legis universim sumptæ.

Q. *Data notione legis universim sumptæ, explica distinctionem inter legem physicam, legem artis et legem moralem.*

R. Pluris refert in limine tractatus theologici, qui inscribitur « De Legibus », determinare de quanam lege ibi sermo sit. Legis enim nomine venit universim quodvis *principium directivum actionum in finem* (1), et

(1) De Jaegher, *Institutiones Philosophicæ*, ed. 1900, n. 461.

ita multæ enumerari solent leges, præsertim, juxta tripartitam ac vulgatam divisionem ex Platone desumptam, leges *physicæ*, leges *artium* et leges *morum* (1). Sane ex hac divisione moralista solam legem moralem retinere debet, illam nimirum qua homo, libero arbitrio præditus, efficaciter sed modo suæ naturæ conformi, dirigitur ad finem suum ultimum. Hæc cæteroquin lex sola *proprie* et *absolute* legis denominatione donatur, dum leges, quas physicas dicimus, insita nempe illa corporeis naturis principia quibus urgentur singulæ in proprios fines, *analogice* tantum dici possunt leges, et regulæ quæ liberam hominis activitatem dirigunt in operibus artis, leges tantum sunt *secundum quid*. Sed prius quam, ut nobis propositum est, inquiramus de natura legis proprie dictæ, non inutile erit determinare quomodo hæc se habeat ad alias species supra indicatas, ut ita procedatur a notioribus ad minus nota (2). Jamvero :

I. In hoc **conveniunt** leges physicæ et leges artium cum lege morali, quod sunt etiam *principia directiva* seu regulæ et mensuræ agenti cuidam præstitutæ ne in agendo declinet a fine. Porro, sicut mensura aut in mensurante aut in mensurato considerari potest, sic et lex quævis aut in ipso legem ferente consideratur, a cujus ordinativa sapientia procedit, aut in subditis seu subjectis quibus gubernantis ordinatio imprimitur. Priori modo spectata est quoddam dictamen practicæ rationis divinæ vel humanæ et dicitur *formaliter* lex ; si vero altero modo consideretur, seu quatenus est subditis a gubernante impressa inclinatio qua recta vadant in finem, lex

---

(1) Suarezius, *De Legibus*, lib. I, cap. I, n. 2.

(2) « Quantum *ad nomen*, volunt alii etymologiam legis trahi a *legendo*, quia ferebatur lex quando legebatur ut populo innotesceret, ità *Varro* ; alii ab *eligendo*, quia lex eligit quod melius est, ita *Cicero* ; alii a ligando, eo quod lex obligat ad agendum, ità *S. Thomas*. Hodierni vero philologi censent legem provenire a radice communi cum verbo græco λέγειν, dicere ». Lehu, *Philosophia moralis et socialis*. Parisiis, 1914, p. 224.

dicitur *participative*, quasi participatio legis formaliter sumptæ (1).

Utut autem consideretur, sive in ferente, sive in recipiente, lex, etiam generalissime sumpta, duplex habet officium: 1°/ apte disponit ad finem et inde habetur *rectitudo* in operatione; 2°/ efficaciter dirigit seu inducit constrictionem, determinationem nempe ad unum, unde operatio fiat antecedenter *necessaria*.

II. Sed hæc *aliter et aliter* in speciebus supra indicatis verificantur, tum propter diversam naturam agentium, quæ diriguntur, tum propter diversum finem intentum; inde essentialis earum **differentia**. Ita:

A/ *Ratione diversæ naturæ agentium* toto cœlo distant leges physicæ quæ res ratione carentes dirigunt, a legibus moralibus pro creaturis rationalibus constitutis.

Sane si active considerentur, nempe uti sunt in Deo, principe legifero, ambæ reducuntur ad illud Divinæ mentis dictamen, cuncta ab æterno in finem ordinans, quod *Legem æternam* dicimus et cui cuncta creata suo modo subsunt. Sed adverte quam diversum teneat modum *Legis æternæ participatio*, prout ea vel a rationali natura habetur, vel ab irrationali. Rationalis enim creatura Legis æternæ motionem in se percipit *intellectualiter* et *rationaliter*, ita nempe ut tum *cognoscat eam formaliter* prout est a Summo Principe impressa directio in finem, absoluto morali officio obligans physicam subditorum libertatem, tum quoque valeat illi *libere* aut obaudire aut reluctari. Irrationalia vero sic ex impressæ sibi Legis æternæ motione urgentur in finem, ut neque hujus motionis cognoscere valeant formalia principia, neque physice possint illi resistere (2).

Hinc cum S. Thoma concluditur: « Quia rationalis creatura participat eam intellectualiter et rationaliter, ideo participatio Legis æternæ in creatura rationali

---

(1) De Jaegher, *l. c.*, juxta S. Thomam 1-2, q. 90, a. 1.
(2) Ibid.

proprie lex vocatur: nam lex est aliquid rationis; in creatura vero irrationali non participatur rationaliter, unde non potest dici lex, *nisi per similitudinem* » (1).

Si nunc rursus ascendamus ad ipsam Legem æternam, in Deo spectatam, eam etiam *quatenus creaturas irrationales respicit,* improprie et analogice tantum legem dicere possumus, siquidem res ratione carentes, quæ non agant seipsas sed ab aliis aguntur, non sunt, ut statim vidimus, legis capaces. Ad rem S. Thomas: « Cum lex nihil aliud sit quam quædam ratio et regula operandi, illis solis convenit dari legem, qui sui operis rationem cognoscunt » (2).

B/ *Ratione finis intenti* essentialiter a lege morali distinguuntur leges artium.

Hic quidem acceptatio legis jam est magis propria, siquidem ars est etiam opus rationis et ejus regulæ, puta leges militiæ, leges grammaticæ aliæque hujusmodi, liberam etiam hominum activitatem dirigunt atque normæ sunt alicujus actuum humanorum rectitudinis (3). Sed in hoc differunt a legibus moralibus quod non sunt normæ *rectitudinis proprie et plene dictæ.* Hæc in sola habitudine convenientiæ cum omnium rerum ultima norma et *ultimo fine* consistit et ideo in solis actionibus moraliter rectis reperitur (4).

---

(1) S. Thom., 1-2, q. 91, a. 2.

(2) S. Thom., *Contra Gentiles,* lib. III, c. 114, n. 3. Cfr. Suarez, *o. c.,* lib. I, c. II, n. 13; Van den Berghe, *De Legibus,* n. 16.

Hic cæteroquin adverte leges, quas in ordinario modo loquendi *physicas* dicimus, (uti v. gr. leges gravitatis, æquilibrii etc. in disciplinis naturalis scientiæ) considerari in ipsis rebus motis, ideoque illas non tantum *analogice* sed etiam *derivate* leges dici. Imo locutione magis adhuc impropria utimur, quando, nomen legis transferentes ad legum physicarum *effectum* et *manifestationem,* leges dicimus « modos constantes quos in operando natura tenet ». Cfr. De Jaegher, *o. c.,* n. 462, sub 4°.

(3) Suarez, *o. c.,* lib. I, cap. I, n. 5; juxta S. Thomam, in I post. anal. l. I, ars est « certa ordinatio rationis qua per determinata media ad debitum finem *actus humani* perveniunt ». Cfr. De Jaegher, *o. c.,* n. 4, in nota.

(4) Suarez, *l. c.;* Lehmkuhl, *Theol. mor.,* t. I, n. 70.

Dein ex hac prima differentia etiam altera sequitur essentialis, nimirum: nullam haberi ex lege artis absolutam necessitatem agendi sed tantum *hypotheticam* seu a subjecti voluntate dependentem. Unus enim finis est simpliciter et absolute necessarius, scilicet finis ultimus.

Inde recte concluditur: sicut rectitudo artis respectu creaturæ rationalis est rectitudo secundum quid, sicut etiam necessitas debitæ conformitatis ad normam artis est tantum necessitas secundum quid, ita lex artis solum potest dici *lex secundum quid* (1).

Conclusio generalis ex supra dictis habetur: legem moralem, quæ sola proprie et absolute lex dici potest, in hoc differre tum a legibus physicis, tum a legibus artium quod inducit stricte dictam *obligationem*, aliis verbis: agendi necessitatem (non quidem physicam, sed moralem) *ratione cognitam*, exsurgentem ex necessaria actionis connexione cum *ultimo fine*.

R. De Schepper.

VI

De benedictione nuptiali

Q. *Quid est et quandonam absolute prohibetur « benedictio nuptialis » ?*

R. I. Nomine *benedictionis nuptialis* seu *nuptiarum* non intelligitur ipsa matrimonii celebratio, ut non raro putant et scribunt laici, nec designatur signum crucis quo sacerdos contrahentes benedicit dicens: Ego conjungo vos in matrimonium. In nomine Patris † et Filii...

Hoc nomine veniunt preces illæ speciales quas exhibet

(1) Ita etiam habitus scientiæ et artis quandoque *virtutes* dicuntur, non autem virtutes *simpliciter*, « quia non reddunt bonum opus, nisi in quadam facultate, nec simpliciter faciunt bonum habentem; non enim dicitur simpliciter aliquis homo *bonus* ex hoc quod est sciens, vel artifex, sed dicitur *bonus* solum secundum quid: puta *bonus grammaticus, bonus faber* » S. Thom., 1. 2, q. 56, a. 3.

Missale in missa votiva « pro sponso et sponsa », quæque occasione contracti matrimonii recitandæ sunt infra missam super conjuges, ut Deus gatia sua matrimonio conjunctos et præprimis quidem uxorem « benignus assistat » et in eis « adimpleat suam benedictionem ».

Antiquissimus est in Ecclesia usus benedicendi nuptias infra missarum solemnia, laudante jam Tertulliano « felicitatem hujus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat *oblatio* [sacrificii] et *obsignat benedictio...* » (1). Jam in sacramentario Leoniano, quod est inter sacramentaria latina vetustissimum, orationibus quas hodiedum recitamus in missa pro sponso et sponsa, adduntur duæ formulæ benedictionis valde similes hodiernis formulis *Propitiare* et *Deus qui potestate.. ;* in hac altera recurrit ad verbum tota pericopa: *fidelis et casta nubat in Christo...* usque ad: *ad cœlestia regna perveniat* (2).

Benedictiones illæ dicendæ sunt partim post *Pater noster*, partim post *Benedicamus Domino*. Sacerdos enim qui missam celebrat « antequam dicat *Libera nos quæsumus Domine,* stans in cornu Epistolæ versus sponsum et sponsam ante altare [in gradu] genuflexos dicit super eos sequentes orationes: *Propitiare Domine...* et *Deus qui potestate* ». Item « dicto *Benedicamus Domino* vel, si missæ illius diei conveniat, *Ite missa est,* antequam populo benedicat, conversus ad sponsum et sponsam dicat: *Deus Abraham...* ».

In antiqua Ecclesia fere omnes benedictiones aut consecrationes fiebant intra missarum solemnia, sicut hodiedum ordinantur sacerdotes aut benedicuntur S. olea in missa pontificali (3).

---

(1) *Ad uxorem,* II, 8.

(2) Edit. Feltoe p. 141. Ultima formula, *Pater mundi Conditor,* invenitur etiam in Sacramentariis Gelasiano et Gregorianis. Sed in Sacramentario Gregoriano edito a Muratori exstant duæ orationes *Propitiare* et *Deus qui potestate* ut in Missali.

(3) Cf. quæ exposuimus de hac re in *Eucharistisch Congres te Rousselare, Besluiten,* p. 61 ss.

Præterea in Africa jam tempore S. Augustini, et in regionibus ritus gallicani, in Gallia, in Hispania, in Italia septentrionali obtinebat usus ut Episcopus missam celebrans, inter *Pater noster* et S. Communionem benediceret populo præsenti et caput inclinanti, recitando formulas quæ diversæ erant pro diversitate mysterii vel festi quod celebrabatur. Sacerdotes autem celebrantes, in Gallia uti non poterant « benedictionibus episcopalibus », sed formulam quamdam breviorem adhibebant. Romæ vero non videtur fuisse in usu benedictio episcopalis post *Pater noster;* sed post Postcommunionem recitabatur similis benedictionis formula, cujus vestigium hodie asservatur in feriis Quadragesimæ in oratione *super populum*, ad quam invitantur fideles ut « humilient capita sua » (1).

Ex dictis facilius intelligitur cur benedictio nuptialis inserta fuerit momentis supra indicatis, et quanta sit excellentia illius benedictionis quæ sola ab Ecclesia in his locis missæ fuit servata.

Quum, ut ex præfatis liquet, hæc benedictio pertineat ad ipsum missæ ritum, sponte intelligitur a/ eam dandam esse ab eodem sacerdote qui missam celebrat; b/ eam nunquam dari posse, nonobstante consuetudine contraria, extra missam (S. R. C., nn. 3016, 1; 2; 3079, 2; 3380, 1; 4232); c/ nec missam votivam « pro sponso et sponsa » posse celebrari absque illa benedictione (n. 3922, 6).

II. Hæc benedictio est una ex præcipuis solemnitatibus quibus Ecclesia dignitatem matrimonii christiani exaltat ejusque celebrationem condecorat. Et ideo vehementer exoptat ut omnes sponsi catholici eam recipiant (2).

Nihilominus benedictionem nuptialem adeoque et

---

(1) De quibus omnibus vide *Dictionnaire d'archéologie et de liturgie* de Dom Cabrol, v° « Bénédictions épiscopales » et « Bénédictionnaires » (A. Baudot, O. S B.); D. Germ. Morin, *Un recueil gallican de* Benedictiones episcopales *en usage à Freising aux VII-IXe siècles,* dans *Revue Bénédict.,* 1912, p. 168-194.

(2) Vide Rit. Rom. VII, 1, 15.

ipsam missam votivam « pro sponso et sponsa » *absolute prohibet:*

1/ in *matrimoniis mixtis:* illa enim ab Ecclesia tolerantur quidem sed reprobantur.

2/ in *secundis nuptiis*, quando vir aut mulier in primis nuptiis benedictionem accepit. Hæc tamen prohibitio restingitur, in locis ubi ea viget consuetudo, ad solum casum quo *mulier* sit « vidua quæ in primis nuptiis jam benedictionem acceperit ». Dicta autem consuetudo viget in diœcesi Brugensi.

In nova editione typica Ritualis Romani, tit. VII, c. I, n. 16 legitur : « Caveat tamen parochus, ne, quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, *sive mulier sive etiam vir* ad secundas nuptias transeat (1). Sed *ubi ea viget consuetudo,* ut, *si mulier* nemini unquam nupserit, etiamsi vir aliam uxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est; sed viduæ, quæ in primis nuptiis jam benedictionem acceperit (2 , novas nuptias non benedicat etiamsi ejus vir nunquam uxorem duxerit ».

Ratio hujus prohibitionis desumenda videtur ex disciplina primitiva Ecclesiæ, quæ licet secundas nuptias ut validas haberet, eis tamen non favebat. Quare scribebat Hilarius diaconus in c. IV, epist. ad Timoth.: « Homini enim unam uxorem decrevit Deus, cum qua benedicatur ; nemo enim cum secunda benedicitur » (3). Quod autem in nonnullis locis hæc prohibitio restringatur ad solam mulierem jam in primis nuptiis benedictam, declarandum videtur ex eo quod longior benedictionis

---

(1) Contra hunc textum olim forte (cf. *Collat. Brugen.*, I, p. 97; A. Desmet *De sponsalibus et matrimonio,* n. 119, nota 1) opponi poterat textus decreti S. R. et U. Inquis. 31 augusti 1881, in quo sola ponebatur restrictio : « dummodo *mulier,* si vidua, benedictionem in aliis nuptiis non acceperit ». Sed in nova editione typica Ritualis, sub n. 15, refertur fere ad verbum textus laudati decreti : ast præcise omittuntur, ex industria sane, citata verba, quæ textui Ritualis opponi poterant.

(2) Verba : *quæ in primis... acceperit,* noviter fuerunt inserta.

(3) Cit. ap. Migne, Patr. Lat. t. 72, c. 580.

formula, *Deus qui potestate*, directe respicit solam uxorem; et idem dicendum de pluribus antiquis formulis (1).

3/ In *tempore clauso* seu *feriato* h. e. « a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniæ [inclusive] et a feria quarta Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive » (Rit. Rom. VII, 1, 18).

Ratio est quia vult Ecclesia ut his temporibus fideles toto animo intenti sint vel pœnitentiali ac purificatoriæ *præparationi* (in Adventu et Quadragesima) vel solemni *celebrationi* maximorum mysteriorum Nativitatis, Mortis ac Resurrectionis Amantissimi Salvatoris. Et ideo prohibet non quidem matrimonii celebrationem (nisi ex jure particulari, ut apud nos viget) sed « solemnitates nuptiarum, ut *nuptias benedicere*, sponsam traducere, nuptialia celebrare convivia » (Rit. Rom. VII, 1, 18). In hoc casu benedictio nuptialis impertienda est postea « extra tempus feriatum, missaque *pro sponso et sponsa* simul celebranda » diebus quibus juxta rubricas hæc missa permittitur (n. 3922, VI).

C. Callewaert.

(1) Cf. v. g. Sacramentarium Gelasianum III; 52: *Actio nuptialis*, sub quo titulo exhibentur orationes, præfatio propria, duæ orationes. *Hanc igitur oblationem* infra canonem etiam propriæ missæ et tres formulæ benedictionis nuptialis.

DE GEMINIS NARRATIONIBUS IN S. SCRIPTURIS.

NARRATIO DILUVII.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XIX, pag. 350).

—

III. Hisce jam gressum facimus ad quæstionem nostram de **geminis narrationibus**: an teneri potest unum idemque factum aut dictum referri duplici vice et duplici modo, ita ut inter utramque relationem habeantur divergentiæ accidentales incompossibiles?

Abstrahendo ab omni quæstione facti (de qua vide infra), et mere hypothetice loquendo, tenemus — salvo utique judicio Ecclesiæ — theoriam istam cum doctrina de inspiratione et inerrantia S. Scripturæ optime posse componi. Quod jam probandum assumimus, infra, sub **IV**, præcipuas quasdam difficultates contra theoriam motas examinaturi.

1/ Revera præcise hic verificatur quod statim supra sub 2°/ statuebamus: *constat* in hisce narrationibus, de cætero historicis, occurrere **adjuncta** quæ **auctor sacer non intendit dare ut historica,** seu, ut utamur verbis *Commissionis Biblicæ,* probatur Hagiographum voluisse ista adjuncta ut non vere et proprie historica tradere.

Quod ut pateat liceat afferre *vulgarem comparationem.* Fac me heri ab amico recepisse litteras in quibus narrat mihi factum aliquod, puta incendium talis domus, cujus facti substantiam, cum essentialibus suis adjunctis bene scio locum habuisse. Sed in ista epistola amici mei nonnulla occurrunt adjuncta accidentalia quæ ignorabam et quorum accurationem historicam pro momento vel nolo vel nequeo ulterius examinare. — Interrogatus a te num nihil novi sub sole contigerit, narro tibi factum istud, præcise sicut illud legi, simul tamen *expressis*

verbis te monens me nolle assecurare variorum adjunctorum accurationem historicam, de cætero tamen affirmans substantiam facti cum magnis suis lineamentis esse veram. — En habes casum alicujus narrationis, ex intentione auctoris sui, mea scilicet, vere historicæ, quin tamen intenderim affirmare singula quæque adjuncta locum habuisse eo modo quo ea refero. Et in hoc casu, etiamsi tale vel tale adjunctum a me relatum postea tibi constaret non fuisse objectivum, me tamen nec de mendacio nec de errore accusares.

Sed quæro: num semper necesse esset ut *expressis verbis* moneam te me nolle talia vel talia adjuncta accidentalia assecurare? Fac me recepisse *duplicem* relationem istius incendii, et tales quidem ut inter utramque vigeant patentes et incompossibiles divergentiæ: si tibi refero factum incendii prius: « En quomodo a Petro legi narratum »; deinde: « En quomodo Paulus retulit », et tibi refero etiam ista adjuncta divergentia, nonne, absque ulla monitione ex mea parte, intelliges me nolle affirmare accurationem historicam istorum adjunctorum? Facile enim, ut spero, intelliges me nolle adjuncta incompossibilia eodem modo ut vera affirmare.

Et ecce præcise quomodo theoria de geminis narrationibus possit defendi. *Si* verum est auctorem sacrum unius ejusdemque facti plura adjuncta bis referre, et insuper eum plura adjuncta accidentalia referre quæ facile apparent inter se non posse componi, nonne eo ipso sufficienti modo manifestavit intentionem suam non esse adjuncta ista accidentalia divergentia ut historica et objectiva affirmare? Nonne eo ipso apparet hunc fuisse processum et scopum ejus in exaranda sua narratione: factum istud, puta diluvii, invenit relatum in duplici documento scripto diverso (vel in duplici traditione orali diversa), utraque relatio erat consentiens quoad substantiam facti ejusque summa lineamenta, at quoad accidentalia adjuncta occurrebant divergentiæ;

narrationem suam ex utraque composuit, quin potuerit aut quin voluerit (1) divergentias istas tollere, sic, ut diximus, clare manifestans intentionem suam esse quidem historicam quantum ad facti substantiam ejusque summas lineas, non vero quantum ad adjuncta ista accidentalia, cæteroquin ad scopum suum religiosum indifferentia. Sicut in narratione creationis, spatium sex dierum et ordo productionis variorum entium non cadit sub intentione historica auctoris sacri, sed unice pertinet ad *modum* quo factum substantiale creationis vult referre, ita quoque varia adjuncta in narratione diluvii relata, puta de numero animalium, de die qua ingressus est Noe arcam, de tempore quo diluvium duravit, non cadunt sub intentione historica hagiographi, sed pertinent ad *modum* quo ea, quæ intendit ut historica referre, vestit et proponit: facta ista refert *tali modo*, i. e. cum talibus et talibus adjunctis, quibuscum facta in documentis suis, scriptis vel oralibus relata invenit.

Ex dictis intelliget lector *nos nullomodo sic arguere:* adjuncta ista sunt minoris momenti, vel non habent momentum ædificatorium; ergo minus refert sintne accurata necne. Nequaquam! Si enim auctor sacer hæc, utut minora, affirmaret ut historica, ut historica admittenda essent. — Sed, *sic arguimus:* Auctor sacer sufficienti modo *manifestavit suam intentionem non esse affirmandi ista adjuncta ut historica,* et ideo non habemus jus *nitendi affirmatione et auctoritate ipsius* indeque auctoritate Dei inspirantis, ut ea tamquam historica sumamus (2).

---

(1) Per se utrumque possibile est, ut patebit ex dicendis infra, in solutione ad objectionem 2am.

(2) Nota bene: Talia *possunt esse utique historica;* bene possibile est, vel et probabile inter duo adjuncta divergentia (v. g. inter hos duos numeros animalium: 2 ex omnibus; — vel 4 ex immundis et 14 ex immundis), unum ex utroque esse objective verum. Sed dicimus: *Auctor sacer* non intendit unum vel alterum ex utroque ut objective verum affirmare, et

2/ Liceat **rem illustrare comparatione** assumpta ex eo libro quem Ecclesia ministris suis sacris commisit, **ex Breviario** (1). In festo Nominis Mariæ, in II° Nocturno legimus de nomine *Maria,* « quod interpretatum *maris stella* dicitur »; in eodem vero festo, III° Nocturno, quod « *Maria* hebræo sermone, latine *Domina* nuncupatur ». En ergo duæ etymologiæ nominis Mariæ juxtapositæ, quæ non possunt simul esse veræ (2). Prior occurrit in sermone quodam S. Bernardi, altera in homilia S. Petri Chrysologi. Nonne eo ipso quod Ecclesia has duas divergentes etymologias ita proxime juxtaponit, satis manifeste nobis manifestat *intentionem suam non esse aliquid affirmandi de objectivitate et accuratione istarum etymologiarum?* Et inde, etsi una vel forte utraque sit falsa, num Ecclesiam accusabis de errore in scientia etymologica? Non, sed dices: Ecclesia, auctor np. Breviarii nostri, non affirmat aliquid circa istas etymologias, ideoque non potest errare (3).

3/ Ex dictis colliges sententiam de geminis narrationibus egregio modo confirmari ex decreto **Commissionis biblicæ** circa **citationes implicitas** (13 Febr. 1905).

Quæstio quoad sensum hæc proposita erat: Non

---

ideo non tenemur aliquid ut verum admittere *ideo quia ipse affirmaret,* seu propter auctoritatem Scripturæ. — Si ego tibi narro historiunculam, putans et significans me putare esse parabolam, tu forte, notitia aliunde acquisita, factum ut historicum admittes, sed sane non propter affirmationem et auctoritatem meam: nihil enim affirmavi.

(1) Cfr. SCHULZ, *Geschichte und Erbauung im Alten Testament*, pp. 51 s.

(2) Imo probabilius utraque est falsa. Cfr. BARDENHEWER, *Der Name Maria,* Freiburg i. B., 1896.

(3) Nec dicas: Ecclesia ipsa *explicite citat* S. Bernardum et S. Petrum Chrysologum, adeoque clare manifestat se ea citata non sua facere. Sed in narratione diluvii, ista adjuncta divergentia, nescimus undenam sint; nonne ea debemus adscribere auctori sacro? *Resp.* Si Ecclesia *non* explicite citasset istos duos Patres, num vere putares, data ista duplici etymologia divergente et tamen juxtaposita, num vere putares Ecclesiam voluisse utramque docere ut veram? Et nonne merito concluderes ad citationes implicitas, et sponte inquireres: « *Undenam* hic prior sermo, et ista altera homilia sunt desumpta »? — Dic similiter de adjunctis divergentibus quæ occurrunt in narratione diluvii.

paucæ occurrunt difficultates in nonnullis S. Scripturæ textibus, specie historicis; an liceat exegetæ catholico recurrere ad hypothesim citationis tacitæ seu implicitæ, ut dictas difficultates evadat? An scilicet licet dicere: Auctor inspiratus in hisce textibus adduxit seu citat documentum aliquod ab auctore profano conscriptum (estque ideo *citatio*), etsi explicite non dicat se citare (estque ideo citatio *tacita* seu *implicita*); et non intendit ea quæ sic aliunde adducit approbare seu sua facere: eorum, ut ita dicam, « responsabilitatem » relinquit auctori isti profano; adeoque possunt occurrere errores in documento isto, siquidem isti errores imputandi erunt, non auctori sacro sed ignoto isti auctori profano? — Et *Commissio biblica* respondet *non licere* ad istam theoriam recurrere, « *excepto casu* in quo, salvis sensu ac judicio Ecclesiæ, solidis argumentis *probetur:* 1° Hagiographum alterius dicta vel documenta *revera citare;* et 2° eadem *nec probare* nec sua, facere, ita ut jure censeatur non proprio nomine loqui ».

Jamvero hæc *utraque conditio* revera *verificatur* in casu descripto geminæ narrationis:

1° Eo ipso quod plura adjuncta tam miro modo bis referantur, at potissimum ex eo quod ista adjuncta sic repetita non sint inter se concordia, sola conclusio possibilis hæc esse apparet auctorem in hisce pendere *a fontibus* sibi præexistentibus, *quos* exscribit seu *citat*, tacito nomine auctoris;

2° Eo ipso quod occurrant hujusmodi adjuncta inter se incompossibilia, apparet auctorem sacrum documenta a se citata, saltem quoad hæc adjuncta, *non facere sua* seu non approbare: quomodo enim potuisset eodem modo sua facere ea quæ sibi opposita apparebant?

IV. Non possumus quin, præter jam solutas supra, indicemus **præcipuas objectiones** quæ huic theoriæ, nomine inspirationis, opponuntur (1).

---

(1) Cfr. potissimum opus ALLGEIER, supra citatum.

1/ En difficultas quam Durand, auctor, qui de cætero tamen ipsi theoriæ non adversatur, suscitat, quin eam solvat: « Si l'auteur du Pentateuque a additionné dans son récit toutes les circonstances de ses deux documents, même celles qui s'excluent mutuellement; n'a-t-il pas fait *erreur* »? Cfr. ALLGEIER, *o. c.*, p. 134 ss.: Hæc theoria inducit *contradictiones* in S. Scriptura: ex duobus enim adjunctis quæ simul stare non possunt, necessario saltem unum debet esse falsum.

Resp. Tenemus et nos tamquam principium inconcussum S. Scripturam *nullum posse docere errorem*, in quovis rerum ordine aut momento (1); et ideo negamus quoque *auctorem sacrum sibiipsi*, vel unum auctorem inspiratum alii *posse contradicere.* — Sed præcise negamus in casu S. Scripturam seu auctorem sacrum docere errorem seu affirmare falsum pro vero aut sibiipsi contradicere.

Dicimus enim, quod supra satis exposuisse nos putamus, auctorem sacrum eo ipso quod ex suis documentis in suum librum assumpsit adjuncta quæ simul stare non possunt, manifestasse satis clare se nolle spondere pro eorum veritate objectiva, adeoque se *ea non affirmare ut vera:* quomodo autem ubi nil affirmat, posset errare? Recole omnino vulgarem comparationem supra adductam p. 406 s., et cfr. quæ diximus de citationibus implicitis, p. 409 s.

2/ Alia difficultas movetur ab Allgeier, *o. c.*, p. 136 ss.: Quare auctor Geneseos (nam de hoc libro occupatur Allgeier) dat nobis *geminas narrationes* istas, cum adjunctis istis divergentibus, — nisi quia vel *non voluit* vel *non potuit* ea conciliare inter se in unam narrationem? Jamvero non est probabile ipsum *noluisse;* ergo, *non potuit:* hoc autem admitti nequit; hujusmodi enim incertitudo auctoris inspirati cum inspiratione componi nequit: Deus debuisset ei dare auxilium ut ad certam

(1) Vide principium nostrum generale supra, p. 345 s.

notitiam devenisset circa istas res quæ ad specialem campum laboris sui *(zu seinem besondern Arbeitsgebiet)* pertinebant.

Resp. a. An ita improbabile est quod auctor Geneseos *non voluisset* saltem circa plura ex istis adjunctis divergentibus inquirere, ut ea inter se componeret? Sumo exemplum diluvii: invenit in utroque documento narrationem, substantialiter eamdem, circa factum istud, ast in accidentalibus divergentem, actum istud, quod bene scit esse historicum, ut historicum vult referre, non sane propter nudum factum historicum, sed propter interesse religiosum et morale quod ipsi inerat. Quare non potuisset adjuncta ista accidentalia assumere talia qualia erant, dummodo satis clare manifestaret intentionem suam non esse ea ut objective accurata proponere? Nonne enim tum relate ad substantiam historicam facti tum relate ad scopum suum religiosum, satis indifferens esse debebat utrum Noe introduxerit 2 animalia ex omnibus, an vero 4 ex immundis et 14 ex mundis?

b. Sed potissimum a recta notione inspirationis rerumque connexarum deflectit A. ubi affirmat Deum, utpote inspiratorem libri, debuisse influere in auctorem sacrum adeo ut ad certam et determinatam notitiam circa hujusmodi adjuncta deveniret. Etenim, ut ipse A. fatetur, *inspiratio* de se non importat *revelationem*; inspiratio, de se, quantum est ad influxum *in intellectum*, in eo est quod Deus, supernaturali lumine suo, elevaverit et sic sua fecerit judicia ultima theoretica, quibus auctor sacer judicat de scribendis, et judicia ultima practica quibus judicat ista esse scribenda [1]. In omnibus inquisitionibus precedentibus hæc judicia,

---

1. Præscindimus a quæstione utrum lumen istud divinum se extenderit non tantum ad res sed etiam ad *modum* rerum quidem indubium est etiam ad modum istud se extendisse. — Dum in textu secundum sententiam quam verum putamus Deum lumine suo intervenisse tum in judicis [illegible] tum etiam in judicio [illegible] [illegible] tamen [illegible] [illegible] immerito ut putamus ad sola judicia practica

inspiratio per se non intervenit; sed hoc utique addendum: fieri potest Deum, qui ab æterno statuit quid per talem auctorem inspirandum communicare vellet hominibus, velle ut in libro sub inspiratione sua scribendo, scribantur *tales res* ad quarum notitiam sufficientem auctor sacer, relictus sibi et generali ducti Providentiæ, non perveniret: hoc casu debebit Deus, antecedenter ad inspirationem, intervenire modo quodam speciali, puta per specialem ductum Providentiæ suæ, vel imo per revelationem, ut auctor inspirandus res istas cognoscat. Similiter dicendum est de modo scribendi: fieri potest Deum velle ut res referendæ exponantur *tali modo,* quem auctor sacer sibi et generali Providentiæ relictus non inveniret: Deus iterum speciali modo intervenire deberet ut auctor sacer hunc modum cognoscat (1).

Et ut statim principia hæc applicemus exemplo: Si Deus voluisset ut Joannes in Evangelio suo referret capacitatem exactam hydriarum Canæ, facile potuisset v. g. ipsi revelare; illud non voluerit, siquidem Joannes scribit: « Lapideæ hydriæ... capientes singulæ *metretas binas vel ternas* ». Ex ipso facto ergo, ex textu Joannis, colligimus Deum hoc nos noluisse docere. Similiter, si ipsi non placuit docere homines circa numerum accuratum hominum nutritorum in deserto, vel circa spatium temporis per quod omnium rerum productio duravit, vel circa *numerum animalium a Noe introductorum in arcam*, vel circa *durationem diluvii,* etc., nonne potuit auctorem inspirandum relinquere, circa istas res, suis documentis vel cognitionibus ordinariis, utut imperfectis et incertis?

Et quomodo scire possumus quid Deus, inter multa quæ potuisset nos docere, de facto nos docere volue-

(1) Unde apparet istud auxilium divinum speciale non pertinere ad *conceptum formalem inspirationis,* illudque *per accidens* tantum posse prærequiri ad inspirationem. Quare immerito hac de re asserit A. p. 138: Inspiratio exercet influxum suum etiam in modum operandi auctoris sacri.

rit, — nisi præcise inquirendo (1) in S. Scriptura ea quæ nos docuit de facto?

3/ Alia quoque moveri posset difficultas (2). Quando lectori, circa unum idemque factum, præbentur duæ narrationes, quæ quoad adjuncta quædam se mutuo excludunt, et de quarum objectivitate auctor sacer nihil enuntiat, eo ipso lectori relinquitur electio. Ipse lector sibi efformet judicium quomodo facta relata locum habuerint, et sic *non jam credet propter auctoritatem Dei revelantis*, *sed propter istas rationes criticas* quibus objectivitatem factorum stabilire potuit.

Resp. Hæc difficultas miscet et confundit ista duo quæ supra p. 345 s. diximus apprime distinguenda: a/ principium *inerrantiæ* Scripturæ: credere oportet, ob auctoritatem Dei revelantis, quidquid auctor sacer affirmat; b/ quæstionem *exegeticam:* quid ab auctore sacro affirmatur? — Utique mediis omnibus criticis (quæ dicuntur: hermeneutica *rationalis*), sed et regulis quæ dicuntur hemeneutica *christiana* necnon *catholica,* conabitur vir catholicus, in locis non semper ita perviis, determinare quid auctor sacer dixerit, quid affirmaverit; quousque hæc quæstio non soluta est, nulla potest esse obligatio credendi (3); ista vero quæstione soluta, accedit auctoritas Dei, auctoris S. Scripturæ, et dicet vir catholicus, post Concilium Vaticanum: « Hæc a Deo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspec-

(1) Regulis hermeneuticæ rationalis, — christianæ, — et catholicæ.

(2) Cfr. ALLGEIER, *o. c.*, p. 140 ss.

(3) Quam incongrue sic fere dicit ALLGEIER, *o. c.*, p. 142: In multis casibus non poterit esse quæstio de certitudine [quid nempe credere oporteat]. Et sic dari poterunt casus in quibus obligatio credendi, saltem ad tempus, suspensa maneat. Et ita fides divina partes habet in omnibus defectibus fidei naturalis. — Sed an forte credere oportet talem vel talem assertionem ob auctoritatem Dei, *antequam scias Deum illud asseruisse?* Prius determina, vel a Sanctis Patribus vel ab Ecclesia accipe, quid Deus dixerit, et *tunc crede* ob auctoritatem Dei. Cfr. tractatus dogmaticos de Fide.

tam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest » (1).

4/ Ultima manet difficultas quæ lectori facile forte sese obtulerit: Quænam est hujusmodi agendi ratio quæ auctori sacro adscribitur? Nonne absurdum est tale genus scribendi?

Respondere possem cum Van Noort (2). « Sedulo vitandum est... ne species litteraria, *per se honesta*, sed a moribus hodiernis aliena aut nostro judicio minus digna, exinde veluti a priori a S. Scriptura excludatur. Deus assumendo homines ut instrumenta ad scribendum, eos assumpsit quales erant, et influxum suum eorum mentalitati atque consuetudinibus accommodavit; proinde assumendo virum orientalem v. g. quinti aut secundi sæculi ante Christum, eum scribere fecit eo modo ac ratione, quibus viri orientales illius temporis scribere solebant; nec refert quid de tali scribendi ratione nos hodie judicemus ».

Cæteroquin, res diligentius attendas nec ita mira videbuntur.

Historiographi nostri hodierni, ad opera sua scribenda, utuntur tum scriptis coævorum suorum tum documentis antiquis; et sedulo signant signis citationis, vel notant — sic ferunt enim consuetudo legitima et leges scientiæ — undenam ea quæ in opus suum transscribunt desumpserint, etc. *Auctor sacer Veteris Testamenti*, puta Pentateuchi, omnibus jam fatentibus, et ipse usus est documentis sibi præexistentibus: et tamen non, aut rarissime tantum indicat undenam desumpserit: mores non erant tunc sicut hodie; cæteroquin sæpe difficilius fuisset debito modo citare opus et locum.

Perge comparationem: *nostri historiographi*, ubi circa factum aliquod præteritum in suis documentis inveniunt

---

(1) Cfr. Pesch, *De Inspiratione Sacra Scripturæ*, nn. 412, 503 s.

(2) *Tract. de fontibus revelationis necnon de fide divina*, Amstelodami, 1906, 1ª ed., n. 83.

duplicem relationem, substantialiter eamdem sed cum adjunctis divergentibus, referent factum istud et referent etiam adjuncta ista divergentia, iterum sedulo notando undenam ea desumpserint. *Auctor Pentateuchi* invenerit et ipse circa idem factum duplicem relationem substantialiter eamdem sed cum adjunctis discrepantibus. Etiam ipse retulit factum istud et retulit ista adjuncta divergentia, sed, pro more suo, non indicavit undenam ea desumpserit.

Sed *dices:* Habetur tamen ibi præcise ingens discrimen: *nostri historiographi* indicant suos fontes et clare indicant sese ea adjuncta non sua facere, et sic non errant; non sic *auctor Pentateuchi!* — *Resp.* juxta dicta supra: etsi auctor sacer non indicet suos fontes, scimus tamen eum fontes adhibere; — et licet auctor sacer non clare dicat sese ea adjuncta divergentia non facere sua, an vere putas ipsum voluisse facere sua et affirmare eodem modo ut vera adjuncta quæ simul vera esse non possunt? — Cæterùm, an vere historiographi nostri clare dicunt se non sua facere adjuncta divergentia quæ referunt, et si non dicerent, an putares eos talia adjuncta, juxtaposita, vere affirmare ut vera?

Dices tandem: Sed historiographi nostri, ubi circa factum aliquod, inveniunt adjuncta divergentia, conantur detegere quid objective et revera factum fuerit, et veritatem sic restitutam assumunt in textum sui operis, alteram vero traditionem improbant et rejiciunt in infimam paginam, in nota. Et sic multo *perfectior est hodie ars historica* profana quam erat apud auctorem sacrum. — *Resp.* Et sic utique apparet methodum criticam scribendi historiam qua talem esse hodiernis temporibus *aliam* et *magis excultam;* sed quonam jure hanc modernam, imo nec ipsam adeo antiquam, methodum exiges ab antiquis Hebræis, scribentibus tam diu ante Christum? Nec erat inspirationis docere homines methodum criticam aliorum temporum et locorum. — An historia qualem scribebant Julius Cæsar vel Titus

Livius, cum omnibus istis orationibus ante prælia habitis, etc., an eadem est sicut hodierna historia? An ideo damnanda? Cæteroquin an vere et *pleno sensu* historia hodierna erat *perfectior* methodo antiquorum? Quantum ad nudam restitutionem factorum præteritorum, sane; sed quodnam sæpe lucrum pro bono animarum, solo bono vero et perfecto? Moyses in Pentateucho scribebat, non tantum ad docendam historiam, sed etiam et præprimis ut prodesset cultui Dei et religioni suorum coævorum; ut hunc scopum attingeret, ex traditione orali, ex documentis scriptis, ex propria experientia, — abstrahendo nunc a revelatione divina — assumpsit ea facta quæ sibi in hunc finem proficua videbantur. Facta nulla affirmavit nisi vera; adjuncta quædam accidentalia, in documentis inventa, et inter se divergentia assumpsit, sufficienti modo indicans se « eadem nec probare nec sua facere » *(Commissio biblica*, de citationibus implicitis). An vere et pleno sensu libri historici a Moyse conscripti imperfectiores sunt libris nostrorum historiographorum?

(Continuabitur).

A. Vander Heeren.

S. Congregatio Rituum

I

DECLARATIO (1)

De Sanctis vel Beatis alicubi publico cultu honoratis, absque certo S. Sedis decreto vel indulto.

In Kalendariis perpetuis et Propriis quæ, juxta novissimas Rubricas ad normam Bullæ *Divino afflatu* et Motu Proprio *Abhinc duos annos* SSmi Dni nostri Pii Papæ X, et S. R. C. Decreta 12 decembris 1912 et 28 octobris 1913 reformata, ipsius sacræ Congregationis revisioni et approbationi subjiciuntur, aliquando Sancti vel Beati notantur qui neque in Romano Martyrologio descripti sunt, neque publico cultu a sancta Sede certe decreto vel confirmato potiuntur, prouti speciatim præscribitur per generale Decretum n. 3926 diei 19 julii 1896 ad 1 et 2.

Quum tamen ejusmodi Sancti vel Beati nuncupati in locis particularibus ex immemorabili consuetudine publico ac religioso cultu honorantur cum Officio et Missa; atque, hac de causa, in memoratis Kalendariis et Propriis a Rmis Ordinariis inscribantur, sacra Rituum Congregatio, de mandato ejusdem SSmi Domini nostri declarat ex hac inscriptione nullo pacto fas esse arguere ipsos Sanctos vel Beatos nuncupatos beatificationem formalem vel æquipollentem obtinuisse, eorumque cultum, prouti de casu excepto a Decretis sa. me. Urbani Papæ VIII, et recentioribus S. R. C. decretis seu declarationibus dd. 11 novembris 1912 et 31 januarii 1913, recognitum et confirmatum fuisse, sed tantum concludere licet horum Sanctorum vel Beatorum cultum manere in statu suæ possessionis, ac proinde neque augeri neque extendi posse inconsulta S. Sede. Demum hortantur Rmi Ordinarii

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VI, 1914, p. 235.

ut memorati Sancti vel Beati in suis Kalendariis et Propriis particularibus aliquo signo seu asterisco distinguantur ab aliis Sanctis vel Beatis in Martyrologio Romano descriptis vel rite canonizatis aut beatificatis, uti laudabiliter fit in aliquibus locis. Contrariis non obstantibus quibuscunque, etiam speciali mentione dignis.

Die 28 aprilis 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Chryst., *Secret.*

II

DECRETUM (1)

De Festis localibus quæ a Religiosis recoli debeant.

Rubricæ in recitatione divini Officii et in Missarum celebratione servandæ ad normam Bullæ *Divino afflatu*, tit. IX, num. 2 et 4, perspicue docent quænam Festa localia sub competenti ritû ex lege generali Regulares, Kalendarium sive diœcesanum sive proprium habentes, celebrare teneantur. Quum tamen constet anteactis temporibus ex mero Indulto sanctæ Sedis nonnulla Festa pro utroque Clero alicui regno, aut provinciæ, aut diœcesi concessa fuisse, de quibus in memoratis Rubricis et titulo nulla mentio, inde suborta est quæstio de obligatione Regularium ad hæc quoque Festa celebranda.

Sacra porro Rituum Congregatio hanc quæstionem dirimere volens, et insuper decernere quo Kalendario uti debeant sive Ordines Regulares, sive Religiosorum Congregationes aut Instituta, itemque alia nonnulla circa eamdem rem opportune definire, audito suffragio Commissionis pro ordine psalteriali reformando constitutæ, attentis tenore et mente Bullæ *Divino afflatu* et subsequentium Rubricarum et Decretorum, omnibusque accurate perpensis, sequentia statuere censuit:

I. Ordines Regulares proprium omnino habere debent

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VI, 1914, p. 118.

Kalendarium, quod pariter adhibendum est a Monialibus et Sororibus eorumdem Ordinum.

II. Congregationes seu Instituta utriusque sexus a S. Sede approbata et sub regimine unius præsidis generalis constituta, si ad recitationem divini Officii teneantur, proprium pariter habeant Kalendarium.

III. Congregationes et Instituta, quæ sive Ordinaria sive Apostolica auctoritate sint approbata, non tamen comprehendantur paragrapho præcedenti, uti debent Kalendario diœcesano prouti jacet, additis juxta Rubricas, Officiis, quæ ipsis peculiariter concessa sunt.

IV. Ordines, Congregationes et Instituta, proprio Kalendario gaudentes, amodo celebrare tantummodo debent officia localia Dedicationis et Titularis ecclesiæ cathedralis, nec non Festa solemniora Patronorum principalium, ita ut non amplius teneantur ad Officia alicui regno, provinciæ aut diœcesi concessa; neque ad Officia localia quæ adnexam habuerunt feriationem, nunc autem habent suppressam.

V. Quoad Festa localia, quæ a Regularibus ut supra servanda sunt, ipsi uti debent Officio et Missa Clero sæculari concessis, nisi eadem Festa ab ipsis Regularibus jam habeantur cum Officio et Missa magis propriis.

VI. Si graves exstent rationes ad aliqua Festa localia præter recensita, pro aliqua Religiosa familia conservanda, sacræ Rituum Congregationis judicio subiciantur, ut prædicta Festa, quatenus opus sit, in Kalendario inseri possint.

Quas resolutiones sanctissimo Domino nostro Pio Papæ X per subscriptum sacræ Rituum Congregationis Secretarium relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, probavit atque præscripsit, contrariis quibuscumque Indultis revocatis, aliisque etiam speciali mentione dignis non obstantibus.

Die 28 februarii 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

CONSULTATIO CIRCA INDULGENTIAS

1° *Circa indulgentias SS. Rosario annexas.*

Q. a/ Legi in opusculo « *Mon livre d'indulgences* » (1), duas indulgentias plenarias posse lucrifieri quotiescumque integrum recitetur rosarium. Ulteriorem optarem hujus favoris notitiam.

b/ Quid intelligendum sub nomina « *Indulgences d'Espagne* » quæ recitationi integri Rosarii sunt adnexæ?

R. ad a/ Anno 1907, in audientia 12 junii, concessit SS. Pius X confratribus SS. Rosarii indulgentiam plenariam semel in die lucrandam et defunctis applicabilem sub sequentibus conditionibus: ut confessi et S. Synaxi refecti, rosarium integrum etiam divisim in una die naturali recitent pro triumpho S. Matris Ecclesiæ et aliquam ecclesiam vel publicum oratorium visitent (2). Nullam aliam concessionem novimus secundæ indulgentiæ plenariæ simili modo recitationi Rosarii annexæ (3).

ad b/ Non constat quænam sint illæ indulgentiæ « quæ in Hispania conceduntur coronam B. M. V. recitantibus » (Clemens IX, *Exponi nobis*, 22 febr. 1668), quasque consequantur sodales Confraternitatis integrum

---

(1) *Mon livre d'indulgences*, par un prêtre du diocèse de Malines. Brasschaet, De Bièvre et Cie [1911]. Legitur p. 31 « qu'il nous suffise d'attirer l'attention sur les deux indulgences plenières (pour l'une d'elles il faut une visite d'église [Pie X, 1907]), que l'on peut gagner chaque fois que l'on récite un Rosaire entier ». Vitium capitale sed non unicum hujus opusculi est quod non citet suos fontes.

(2) Vide *Analecta ecclesiastica*, 1907, p. 461. vel *Il Monitore ecclesiastico*, 1907, p. 264. Quindecim decades unius diei spatio recitandæ ab invicem tamen separari possunt. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XII (1907), p. 774 sq.

(3) Plurimas vide indulgentias SS. Rosarii in elencho authentico approbato 29 augusti 1899.

rosarium recitantes (1). Censet BERINGER, *Les Indulgences,* 1905, t. II, p. 228, nota 1, sub hoc nomine venire indulgentias adnexas coronæ S. Birgittæ (2), id est, 100 dierum pro singulo Pater et Ave, si tota corona recitetur, et insuper 7 annorum et 7 quadragenarum pro integra corona.

2° *Circa aliquam orationem intitulatam « Croisade de la Prière ».*

Q. Sparsa est in quodam foliolo aliqua oratio gallica inscripta « *Croisade de la Prière* », incipiens « O Jésus, mon Sauveur et mon Rédempteur... » Duplex huic orationi adnexa citatur indulgentia, altera plenaria: « ind. plén. en récitant cette prière avant la S. Communion » (Pie X, 2 oct. 1903); altera 300 dierum « une fois le jour, quand on ne communie pas ». (Léon XIII, 15 févr. 1902): utraque applicabili animabus purgatorii. Quid censendum de his indulgentiis?

R. 1. Anno 1902 prodiit primum Viennæ in Austria, lingua germanica dein Parisiis in gallicam versa oratio de qua quæritur, ad reprimendos schismaticos conatus sectæ nuncupatæ « Los von Rom. » Rescriptis 15 februarii et 27 octobris 1902 huic orationi adnexæ sunt indulgentiæ quas S. Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum, decreto 13 maii 1903 declaravit fuisse sequentes: 1° 300 dierum semel in die.

2° Ind. plen. semel in mense. *Conditiones:* recitatio quotidiana præfatæ orationis, confessio, communio, visitatio ecclesiæ et preces ad mentem S. S. (3).

2. Anno autem 1908, 31 octobris, Pius X rogatus a Cardinali Archiepiscopo Pragensi, plenariam indulgentiam eidem orationi adnexuit quovis anni die lucrandam et animabus purgatorii applicabilem. *Conditiones:* ad-

---

(1) Vide elenchum citatum sub n. 4.

(2) Cfr. BERINGER, *o. c.*, t. I, p. 500, t. II, p. 227 ss., t. I, p. 512 ss.

(3) *Analecta ecclesiastica,* 1903, p. 262. Ibi refertur versio italica orationis.

scriptio consociationi: « Cruciatæ precum » [Croisade de la Prière], confessio, communio, recitatio quotidiana sive privata sive publica præfatæ orationis ad repellendas hæreticorum insectationes, visitatio ecclesiæ et preces (1).

Duæ igitur indulgentiæ plenariæ et una 300 dierum dictæ orationi adhærent, inaccurate tamen enuntiatæ in foliolo memorato.

3° *Circa exercitium Viæ Crucis.*

Q. Domi affixas habeo 14 imagines pictas exhibentes 14 stationes Viæ crucis. Possumne ibi lucrari indulgentias exercitio Viæ crucis adnexas?

R. Si valide ibidem erecta fuit Via crucis, affirmative, dummodo cæteras conditiones impleas. Secus vero, negative.

Jam autem, ad validam erectionem in locis omnino privatis requiritur facultas concessa per indultum S. Sedis, illudque privilegium habendi viam crucis domi est *personale*. Pro aliis locis erectioni aptis, auctoritas ordinaria erigendi Viam Crucis est penes *superiores Ordinis Fratrum Minorum* a quibus per delegationem

---

(1) *Analecta ecclesiastica*, 1909, p. 115 sq. Exponebat orator « fideles adlectos in piam associationem cui titulus Cruciata precum ad repellendas hæreticorum insectationes *(GebetsKreuzzug)*, recitare solitos esse piam [hanc] orationem... ». P. 116 refertur textus latinus, nulla mentione facta indulgentiarum quas supra retulimus. Oratio sic sonat latine: O Jesu, Salvator et Redemptor meus, Fili Dei vivi, ecce prostrati coram te veniam exoramus satisfacturi pro omnibus infestationibus Sancti Nominis tui, pro omnibus injuriis tibi in Sanctissimo Sacramento illatis, necnon pro omnibus ignominiis adversus Immaculatam Virginem Matrem tuam et pro omnibus calumniis et offensionibus contra Sponsam tuam, Sanctam Romanam Ecclesiam catholicam.

O Jesu qui dixisti: « *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam* (Joa. XVI, 13), supplices rogamus pro fratribus nostris, qui in periculo peccandi versantur; tuere eos contra perfidas allectationes apostatarum; salva eos qui jam in via perditionis ambulant. Illumina omnes ut cognoscant veritatem, da animum et robur ad resistendum malo, perseverantiam in fide, caritatem efficacem. Hæc omnia efflagitamus benignissime Jesu, in nomine tuo a Deo Patre, quocum vivis et regnas in unitate Spiritus Sancti per omnia sæcula sæculorum ».

obtinenda est. Loca vero apta sunt ecclesiæ, oratoria publica et semipublica, cœmeteria aliaque loca decentia publica, etiam sub dio; loca decentia interna, communia tamen, conventuum, seminariorum, hospitalium aliorumque locorum piorum; denique oratoria domestica, dummodo in iis ex privilegio Missa celebrari liceat (1).

A. LEGRAND.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

Jos. Laurentius, S. J. *Institutiones juris ecclesiastici*, 3a ed., Friburgi-Brisgoviæ, 1914, in-8°, XVI-762 p.

Secundo vix elapso lustro, pro tertia jam vice prelum relinquunt præclaræ *Institutiones* quas in usum scholarum scripsit R. P. Laurentius: eventus ita probavit *Collationes Brugenses* opus non plus æquo æstimasse, dum haud cunctanter affirmabant t. XIV, p. 310 illud primum locum occupare inter similes elucubrationes. Non est cur hic iterum in lucem ponamus ejus egregias dotes, ordinem et claritatem expositionis, prudentiam et securitatem sententiarum.

Haud parvæ fuerunt in hac posteriori editione introductæ mutationes et additiones ob novas leges et decreta, quæ hisce ultimis temporibus prodierunt. Inter quæ præsertim recensenda sunt nova ordinatio de Curia Romana, ea quæ ad electionem Romani Pontificis pertinent, tribunal Rotæ restitutum, complura de disciplina cleri et religiosorum necnon de re matrimoniali.

Quod bibliographiam spectat, ut expostulatum fuit, plura quam in prioribus editionibus indicata sunt opera auctorum ad citerior studiorum quæstionum studium idonea; attamen, ut antea et jure merito, auctor potius ad ipsos fontes recurrit et auctores tunc præsertim adhibet, quando res controversæ sunt vel consuetudo est probanda. Hoc sane, inspecta indole operis, sufficit et nullum dubium quin hic liber *Institutionum* scientiæ juris spargendæ inserviat ac theologiæ studiosis sit perutile.

R. DE SCHEPPER.

(1) Cfr. BERINGER, o. c., t. I, p. 374 ss; F. STEIN, *Tractatus de indulgentiis lucrandis*, 2a ed., 1913, p. 33 ss.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Julii.

—

I

Invitis visionibus, sive Angelorum sive ipsius Christi, relatis a mulieribus, a Magdalena, a discipulis Emmaus, ab ipso Petro, nihilominus manserunt apud plures saltem Apostolos hæsitationes et dubia. Cfr. Mt. XXVIII, 17[b]; Mc. XVI, 13 s.; Lc. XXIV, 37 s.; Jo. XX, 20, 25. — *Quæritur* quomodo Apostoli tam diu dubitare potuerint. Nonne enim audierant Jesum prædicentem suam resurrectionem? Quomodo ergo ipsi non exspectant resurrectionem? Et quomodo præsertim non statim credunt primo nuntio?

II

Explica qua ratione *doctrina sacra* sit *scientia*. Cf. S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. I, a. 2.

III

Ostende quid sit *dolus* relate ad contractum ineundum.

IV

Explica influxum doli in contractum.

V

Varias explica acceptiones vocis « conscientia » pro diversis muniis quæ conscientiæ attribuuntur testificandi, ligandi, remordendi. S. th. I, q. 79, a. 13.

VI

Breviter indica quid in Jure statutum reperiatur de frequentia, nec non de forma et materia concionum, quas parochi ad populum habere debent.

Proostenbond en Bond **Voor onze Jonge Lieden.** Vergadering te Rousselare, Donderdag, 18en Juni.

***

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques,* 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

Id. *Tractatus de Casibus reservatis necnon de sollicitatione et absolutione complicis,* in-8, XVI-222 p. Brugis, 1914. Pretium 2,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

De Brabandere-Van Coillie. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium.* Editio octava, curante A. De Meester. T. I, pars prior. Brugis, Desclée et Soc., 1913, in-8, 425 p.

***

Is verschenen: **KERKZANGBOEKJE** ten behoeve van de schoolkinderen en van het christen volk. 2e vermeerderde uitgave, bevattende gezangen voor de Mis, het Lof en de Vespers, 72 bl.

Prijs (*netto,* verzendings- en inningskosten niet inbegrepen). 1 tot 10 ex., 0,25 fr. — 10 tot 25 ex., 0,20 fr. — 25 en meer 0,15 fr.

Te verkrijgen bij Z. E. H. De Meester, leeraar Groot Seminarie, Brugge.

Het boekje wordt verkocht ten voordeele van de Missiën.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

Acta Congregationis Prosynodalis

habitæ die 26 Maii 1914, in Palatio Episcopali Brugis

Recitato hymno *Veni Creator,* Illmus ac Revmus Dnus venerabilem cœtum sequentibus verbis allocutus est:

Venerandi admodum ac dilectissimi Domini,

Mysterium eucharisticum res est quasi propria sacerdotum, imo vero sacerdotii qua talis ipsa existendi ratio. Præterea, fons est longe præcipuus sanctificationis minime vulgaris quam omnino exigit eximia sacerdotis dignitas; quodsi vero is munere pastorali fungatur, rursum ex augustissima Eucharistia præprimis ipsum haurire oportebit omnem fœcunditatem laboris apostolici, in meritum suum salutemque commissarum sibi animarum.

Has inconcussas planeque manifestas veritates, dilecto Clero etsi sæpius proposuerimus meditandas, inexhaustus tamen manet Eucharistia mirabilium omnipotentiæ, infinitæ sapientiæ atque opulentissimi amoris Dei thesaurus, quem proin iterum iterumque explorare juvat, cum spe certa fore ut et carissimis sacerdotibus et universo per eos populo christiano novum spiritualium divitiarum augmentum afferre valeamus.

*
* *

Sane grande mysterium est Incarnatio Verbi divini, miraque Dei dignatio in redemptione generis humani per Christum.

Atqui, Eucharistiam tum qua Sacrificium est, tum qua Sacramentum, merito dixeris esse aliqualem extensionem

seu continuationem summi illius beneficii Incarnationis, atque complementum quoddam Redemptionis.

Utramque hanc de Incarnatione Verbi et de eucharistico mysterio veritatem hac brevi in concione demonstremus, eum in finem ut altior adhuc, si fieri possit, succrescat in Christum eucharisticum nostræ devotionis ac reverentiæ affectus, amorisque flamma succendatur in dies ardentior atque vehementior.

* *

Totius religionis christianæ instar fundamenti sunt dogma SS. Trinitatis et Verbi incarnati mysterium. Porro, utrumque omnino vincit longeque excedit humanæ rationis captum; et hæc quidem Incarnationis Filii Dei veritas etiam longius abesse videri posset, quam ipsum Dei unius trinique dogma, ab infirmo hominis ratiocinio: dum enim in infinita divinitatis natura vel ipsa ratio nostra merito ac sponte exspectat sibi abscondita atque incomprehensibilia, quis unquam, nisi Deus revelasset, ipseque Christus quasi facto comprobasset, scilicet vita sua doctrinaque divina atque miraculis suis omnigenis, Filium Dei vere assumpsisse naturam humanam, ut in ea sanguine effuso morteque turpissima mundum redimeret, quis, inquam, tantum divini amoris excessum excogitare potuisset vel suspicari ausus esset?

Attamen, quemadmodum in fide celsissimæ Trinitatis mens nostra altissimas veritates, nunquam licet penitus intellectas, mirabunda summoque cum gaudio contemplatur: ita pariter in mysterio Incarnationis et Redemptionis, plena fide suscepto, facile reperit unde rapiatur in altissimam admirationem et laudem divinarum perfectionum, in tanto mysterio undique relucentium. Et hoc est quod primum ostendere aggredimur, quo dein appareat clarius alterum assertum, videlicet Eucharistiam esse veluti productionem quamdam ac complementum Incarnationis Verbi atque Redemptionis per Christum.

* * *

Postquam diabolus, Dei ejusque operis odio ac invidia succensus, hominem a sublimi exaltatione sua ad ordinem divinum miserrime dejecerat, de ipso quoque Deo trium-

phum agere se autumabat. Etsi enim Deo absolutam potentiam non deesse sciebat hominem in pristinum restituendi, ordinata tamen potentia Dei obstare sibi videbatur, quin hanc summam homini misericordiam exhiberet: nonne enim sapientia Deum prohibebat opus suum reficere, quasi nihil prævidisset; nonne et justitia impediebat quin absque satisfactione, cui plane impar videbatur homo, hunc rursus in gratiam reciperet Deus?

Atvero, nedum Deum vicerit, seipsum diabolus adeo decepit, ut profundissime confunderetur ipse, homo vero sublimius attolleretur, Deus summe glorificaretur.

Non attendit inimicus hominem, cum non pura malitia, sicut ipse, atvero ipso ex odio Dei instigante, peccasset, haud æque ac se irreparabiliter lapsum esse; neque enimvero decere omnipotentiam et sapientiam Dei a se victas dici. Ignorabat diabolus æternum Dei consilium, quo fieret ut divinum opus, ad momentum perturbari permissum, non solum repararetur sed potius compleretur atque perficeretur, absque ullo detrimento scientiæ ac sapientiæ aut justitiæ Dei, quinimo cum majori ac summa divinarum perfectionum manifestatione.

Igitur ab æterno decreverat Deus Filium Dei assumpturum esse in unitatem suæ personæ naturam humanam, in qua superabundanter præstaret quidquid perfecta reparatio expeteret, sed et simul appareret Ipse instar fastigii ac coronidis totius ordinis naturæ, gratiæ et gloriæ a Deo prævisi atque condendi. Neque enimvero Verbum incarnatum noverit, qui non intellexerit Ipsum esse supremam rationem cur Deus ad extra operatus sit, simulque finem ejusdem divinæ operationis omnis: nempe creationis, exaltationis creaturæ rationalis ad ordinem supernaturalem, permissi lapsus ejusque reparationis, glorificationis demum civium supernorum in regno cœlesti, testante Apostolo: « In ipso condita sunt universa... omnia per ipsum et in ipso (græce: in ipsum) creata sunt (1) ».

Profecto mirabile sacramentum divinæ omnipotentiæ, infinitæque sapientiæ et bonitatis, tum diabolo absconditum, deinceps omnibus revelatum: ut Filius Dei creatam naturam

(1) *Ad Coloss.*, I, 16.

sibi copularet, humanam videlicet, utpote quæ spiritualis simul et corporalis universam creaturam representat, ita ut Deus-Homo quasi supremum medium vinculumque esset Deum inter et opus suum; sed et eamdem illam naturam in Adamo lapsam et ab eo propagatam, ut in hac ipsa hominem redimeret Deus-Homo; immunem tamen a peccato, quippe quam assumeret conceptus de Spiritu sancto, nascens ex Virgine.

Mirabile sacramentum, ut Verbum Dei, manifestatio Dei omnino absoluta ac perfecta ad intra, splendor gloriæ et figura substantiæ Patris, etiam fieret in natura creata ac visibili manifestatio Dei ad extra omnium summa ac perfectissima, revelans Dei magnitudinem infinitasque perfectiones, homines quoque verbo et exemplo docens viam salutis, iterque ad beatitudinem cœli rursus illis aperiens; denique, ut Filius unigenitus filios Dei faceret adoptivos, primogenitus ipse et caput omnium hominum et angelorum.

Mirabile sacramentum, quo fieret reparatio subversi ordinis perfecta, cui nec divina justitia obstaret, quoniam, etsi non ex rigore justitiæ, qualis erga Deum concipi nequit, futura tamen erat redemptio ex intrinseca sua dignitate, utpote a persona divina peracta, non solum æquivalens et condigna, sed superabundans et infinita; neque obstaret divina scientia, quia lapsus prævisus futurus erat causa majoris, imo et summæ manifestationis gloriæ Dei, atque beatitudinis creaturæ; nec adeo sapientia obstaret, quia non refecturus erat Deus opus suum, nec ipsam naturam propagabilem pristino statui restituturus, sed personis singulis, manentibus peccati pœnalitatibus, quibus ad majora erigerentur, redditurus dona amissa atque abundantiorem gratiam aptitudinemque perfectiorem fini consequendo; totum denique ordinem non tam refecturus quam completurus ineffabili revelatione gloriæ suæ, tum absolute summa in persona Salvatoris, tum in genere suo summa in regno Christi, id est in Ecclesia militante in terris et potissimum in Civitate cœlesti sanctorum Angelorum atque hominum electorum, qui locum ac numerum lapsorum spirituum impleturi essent.

Re quidem vera, cum finis operis divini ad extra in quocumque ordine sit gloria Dei externa ex beatitudine potissimum rationalis creaturæ, cujuscumque ordinis fasti-

gium absolute perfectum apparet in ordine præsenti a Deo præviso, electo ac statuto: in persona nempe Christi, ut ex jam dictis elucet. Sane nulla cogitari potest perfectior manifestatio divinorum bonorum ac perfectionum ad extra, nulla major glorificatio formalis Dei, quam in Christo et a Christo, Homine-Deo, cujus sacrosancta humanitas, jure quidem nativo, fastigium est totius ordinis naturæ, gratiæ et gloriæ, cujus omnes actus infinitæ dignitatis sunt, unusque tum interne tum externe summus, quo redemptionem consummavit, actus enim humanus omnium possibilium perfectissimus est martyrium Christi.

Summa quoque in genere suo est perfectio regni Christi tum præsertim in cœlo triumphantis, tum etiam militantis in terra: profecto supernaturalis sanctitas in genere suo summa est, sicut et visio beatifica ac possessio Dei, quamquam utraque multiplices gradus habet; ast ipsa graduum varietas pulchritudinem affert universo Christi regno, scilicet tum Ecclesiæ in terris, tum civitati cœlesti. Summæ in genere suo sunt virtutes supernaturales, summaque dona Spiritus sancti, quorum omnium absolute summa est virtus charitatis, qua unimur Deo. Ipsa quoque Ecclesia, sponsa Christi, in terris societas est perfecta in genere suo; fontes in ea gratiæ seu Sacramenta in suo genere perfecta, quorum rursus absolute summum est sanctissima Eucharistia.

*
* *

Et hæc jam singulariter consideranda est quatenus in ea, tum qua Sacrificium est incruentum novæ Legis, tum qua Sacramentum, ipsa Verbi Incarnatio quadamtenus producitur ac extenditur, ipsaque impletur ac continuatur Redemptio.

Et primo quidem si Eucharistiam, ut est Sacrificium, inspicimus, manifestum est eam esse vere continuationem actus redemptionis, Sacrificii nempe cruenti quod Christus semel obtulit ad omnium exhaurienda peccata, eamque complere beneficium istud insigne redemptionis, continuo nobis applicando infinita cruentæ oblationis merita.

Jesus Christus, nativo jure summus Sacerdos, uno suo sacrificio, ad omne punctum perfecto, cuncta sacrificia imperfecta et typica legis naturæ et legis mosaïcæ abolevit,

eoque semel oblato, utpote infiniti valoris ac dignitatis, perfecit redemptionem, reliquosque fines seu effectus sacrificii ad amussim obtinuit, videlicet supremi dominii Dei agnitionem, gratiarum actionem, impetrationem omnis gratiæ et beneficii. Præterea « Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur (1) ».

Atqui, religio ac cultus Dei vix intelligitur absque sacrificio, supremo cultus actu. Quomodo ergo, in perfecta novæ Legis religione existet Sacrificium, cum neque ad antiqua sacrificia regredi deceat, neque iterari valeat oblatio in cruce facta? Hic admirare divinam sapientiam et bonitatem inexhaustam Domini, qui modum invenit quo idem Sacrificium Crucis, eamdem victimam ipse idem Sacerdos, vivens ac gloriosus manens, ministerio suorum sacerdotum, omni tempore omnique loco offerret incruentum: nempe sistendo seipsum ut victimam immolatam, manducationi paratam, sub humilibus speciebus panis et vini; incruentum, inquam, sacrificium simulque ex se commemorativum cruentæ immolationis suæ, addita quoque significatione explicita hujus indolis commemorativæ ac relationis ad Sacrificium Crucis, per duplicem distinctam consecrationem panis in corpus, et vini in sanguinem suum.

Atque hoc tantum mysterium perficitur in rebus adeo modicis ac humilibus, modoque tam simplici, quia divino; vere absconditum superbis et sapientibus hujus sæculi, ast revelatum parvulis, id est vere fidelibus, qui soli illud ut sublime stupent, utque præ omnibus suavissimum gustare valent!

*
* *

Est autem, secundo, consideranda SS. Eucharistia, ut est Sacramentum: peracto enim Sacrificio manet nobis sub speciebus panis et vini totus Christus, cum sacra humanitate sua et divinitate, vere, realiter ac substantialiter præsens.

En, Verbum incarnatum, quod habitavit in nobis, cum post missionem suam divinam peractam, gloriosamque resurrectionem suam, visibiliter diutius apud nos permanere non posset, sed ascendere deberet ad cœlum atque sedere ad

---

(1) *Ad Rom.*, VI, 9.

dexteram Patris, nequaquam tamen passum est nos reali sua præsentia privari neque reliquit nos orphanos, sed mansit apud nos, idque non in una tantum, ut olim, terræ regione et ad paucos annos, sed omni in loco et ad finem usque temporum, facto demonstrans quod de se, æterna Sapientia, dixerat Spiritus sanctus per os Salomonis: « Deliciæ meæ esse cum filiis hominum (1) ».

Vere ergo in Eucharistia producit habitationem suam in nobis, continuo e sacro tabernaculo suo nos invitans: « Venite ad me omnes », ut reficiat nos, preces nostras exaudiat, nosque consoletur atque confortet.

Equidem, per vitam suam mortalem erat sacra sua humanitas instrumentum conjunctum divinitatis ad operanda mirabilia, ad sanandum omnes, ad condenda sacramenta, ad remittenda peccata et sanctificandas animas; pariter in Eucharistia idem illud sacrosanctum corpus Domini instrumentum est vivum, conjunctum, efficax divinitatis ad medendum corporibus et mentibus, pharmacum est immortalitatis, organon ad operandum præprimis omnium mirabilium maximum, sanctificationem animarum. Et hic quidem proprius et formalis effectus est hujus sacramenti, nempe conservare et augere vitam animæ supernaturalem ac divinam, nobis concessam per gratiam sanctificantem et divinam charitatem, omnium donorum pretiosissimum.

Tandem, in Eucharistia extensio quædam Incarnationis Domini et complementum Redemptionis eo apparet quod, cum per Incarnationem Verbum divinum sibi copulaverit humanam naturam, hancque exaltaverit ultra omnem creaturam quæ sive in cœlis est, sive in terris: in Eucharistia sibi unit singulas hominum personas, non quidem hypostatico modo, vera tamen quadam, eaque intima unione sacramentali, quæ figura est et pignus æternæ illius unionis cum Verbo divino, qua fiet ut, lumine gloriæ in intellectum infuso, homo beatifica visione potiatur adorandæ Trinitatis.

*
* *

O altitudo divitiarum sapientiæ ac scientiæ atque amoris Dei, in Eucharistia, quas si prosequi vellemus, non esset

(1) *Proverb.*, VIII, 31.

dicendi finis. Cogit vero tempus hunc sermonem concludere. Quodsi deductiones practicæ alicui videantur desiderari, has dicemus ipse eruat sponte fluentes ex meditatione dictorum, easque multiplices, tum in ordine ad vitam contemplativæ unionis cum Deo, tum in ordine ad vitam activam apostolicam; quarum duas tamen indigitare volumus.

Altera est, quam a viginti fere annis non desivimus continuo prædicare dilectissimisque sacerdotibus indesinenter commendare, videlicet: Sit quotidiana oblatio augusti Sacrificii devotissima ac ferventissima centrum totius diei ac vitæ nostræ, in propriam sanctificationem nostram et in fœcundationem omnis laboris apostolici.

Altera populum nobis commissum propius respicit: pergamus omni quo possumus zelo, sponte nostra ultroque morem gerere omnibus mandatis ac votis summi Pontificis nostri, gloriose regnantis, in ordine ad promovendam S. Communionem frequentem et quotidianam, et peculiariter quidem excolendo hunc in finem adolescentes et parvulos, a quibus pendet futura mentium renovatio, et per hanc humani convictus salus.

Hæc duo vobis, multum Venerandi ac dilectissimi Domini, omnique Clero amantissimo in memoriam revocare non possumus, quin simul contestemur quanto nobis gaudio sit plerosque sacerdotes, quinimo ad unum fere omnes, nostris et Ecclesiæ ipsiusque Christi, summi Pastoris, votis animo paratissimo annuisse, iisque exsequendis indefesso studio allaborasse atque porro allaborare, cui benedicat Deus omnipotens.

Quum Rev^mus^ D^nus^ dicendi finem fecisset, auditis Ampl. et RR. adm. DD. votis, a Rev^ma^ sua Dominatione promulgatæ sunt ordinationes sequentes:

I.

Monemus RR. DD. Parochos et scholarum Directores nemini licere ut quidquam mutet circa scholarum liberarum conditionem, Nobis inconsultis; signanter sine venia Nostra non licet scholam adoptatam mutare in adoptabilem, aut scholam liberam quamvis abrogare ut ei substituatur schola communalis.

II.

Fidelius observetur Nostra Instructio diei 15 Aprilis 1912 statuens ut sequitur: « Voor de leeringen kieze men de uur die den schooltijd voorafgaat of erop volgt, of ten minste de eerste of de laatste schooluur, opdat de klassen regelmatig zouden kunnen voortgaan. ».

III.

Ne fideles qui in magnis anni festivitatibus Vesperis et Laudibus non intersunt, prorsus ignari fiant de mysteriis præcipuis sanctæ Religionis illis diebus in Ecclesia memoratis, præcipimus ut sub omnibus missis sive ipso die festo sive dominica præcedenti brevis fiat instructio circa eadem Mysteria; non tamen ideo omitti potest concio solemnior pomeridiana.

IV.

In omnibus convictibus et orphanotrophiis sint minimùm duo *Confessarii ordinarii* qui diebus vel saltem horis diversis confessiones alumnorum aut alumnarum excipiant. Quare ubi in præsenti unus tantum confessarii ordinarii munere fungitur, addatur ei alter aut etiam tertius, quem designet Parochus loci (audito Directore convictus, si quis sit) inter confessarios a Nobis approbatos. Sacerdoti autem per Parochum designato impertimur, intuitu præfati muneris, facultatem amplissimam absolvendi a reservatis hujusmodi confessariis in hac diœcesi concedi solitam.

V.

Quantum fieri potest, non omittatur missa matutina, signanter missa sic dicta scholaris, propter occurrentes exequias solemnes sub quibus plures missæ celebrari solent: potius ergo una ex his missis, præmonita familia, mane coram scholarum pueris celebretur.

VI.

Præ manifesto abusu pluribus in locis sine ullo decore sepultura parvulorum agitur. Ideo monemus omnes quorum interest ut etiam hac in parte præscripta Ritualis Romani fideliter observent.

VII.

Rev. adm. DD. Decani a singulis parochis sui districtus requirant ut sibi exhibeant testamentum ab ipsis confectum, non quidem ut illud legant ejusve dispositiones dijudicent, sed ut constet illud existere.

VIII.

Attentos volumus RR. DD. Parochos ad præscriptum Congregationis Prosynodalis anni 1873 (n. VIII), quod refert *Liber manualis* p. 189, de speciali inquisitione facienda circa impedimentum *Cognationis spiritualis,* quoties petenda est dispensatio super Affinitate in primo lineæ collateralis gradu: quo in casu in libello supplici significetur utrum impedimentum istud subsit necne.

IX.

In Domino monemus omnes diœcesis Nostræ confessarios de clero tum sæculari tum regulari ut monita Episcoporum Belgii d. d. 2 Junii 1909 circa vitium onanismi impugnandum ad amussim servent, atque in ista re potius strictiores quam laxiores sese exhibeant.

X.

Frequentatio *annua* sacri secessus ab anno proximo fiet *obligatoria* pro omnibus sacerdotibus sacro ministerio addictis qui annum ætatis sexagesimum nondum compleverint; — alii vero singulis bienniis sacris exercitiis interesse debebunt.

Hocce anno (1914) ad exercitia spiritualia instituenda *tenentur* sacerdotes, exceptis Professoribus, omnes qui annum ætatis *quinquagesimum* non compleverint, sicut et alii qui a biennio sacro secessui non interfuerunt. Ideo stadiis exercitiorum tribus jam designatis addimus quartum in minori Seminario Rollariensi inchoandum 30 Augusti.

Brugis, 8 Junii 1914.

† G.-J., Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Maii propositas.

—

I

In narrationem evangelicam de sepultura Christi.

Q. *Mutuo compara narrationem Mc. XV, 45-XVI, 1 cum Lc. XXIII, 54-XXIV, 1: utraque enim narratio sibi contradictoria videtur, quum Mc. emptionem ideoque et præparationem aromatum a mulieribus reponat* post *transactum diem sabbati, Lc. vero* ante *diem sabbati. Quomodo hæc concilianda sunt?*

R. **Difficultas** quam solvendam proponebamus sponte exsurgit ex collatis Mc. et Lc. ll. citt.:

Mc. XV, 47. Maria autem Magdalene, et Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur (1). XVI, 1. Et *cum transisset sabbatum,* Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome *emerunt aromata* ut venientes ungerent Jesum. 2. Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum....

Lc. XXIII, 55. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus. 56. Et *revertentes* (2) *paraverunt aromata* et unguenta: et sabbato quidem siluerunt (quieverunt ab omni opere prohibito) secundum mandatum. XXIV, 1. Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ paraverant, aromata...

---

(1) Lectio probabilior: τέθειται, aspiciebant ubi *positus fuerat.*
(2) Græce: Ὑποστρέψασαι, *reversæ.*

Nonne ergo juxta Mc. emunt, adeoque et præparant, aromata *post sabbatum,* i. e. juxta nostrum modum computandi die sabbati post occasum solis. — dum juxta Lc. aromata præparant *ante sabbatum*, i. e. currente adhuc feria sexta, seu juxta nostrum modum computandi feria sexta ante occasum solis?

Relictis rationalistis qui vere irreductibilem contradictionem hic statuunt (1), communis est catholicorum solutio mulieres (2) revera, ut fert Lc., domum regressas ante occasum solis adeoque *ante inchoationem sabbati* præparasse aromata et unguenta, easque iterum, ut fert Mc., *post transactum sabbatum*, alia aromata emisse et præparasse.

Hæc sane solutio impossibilis non est; sed *nimis violenta* videtur. Revera tum Marcus tum Lucas ita loqui videntur *quasi unica tantum præparatio* aromatum locum habuisset: Marcus enim nullo verbo innuit præparationem de qua loquitur fuisse factam in supplementum præparationis jam antea incœptæ; — Lucas quoque nequidem suspicari videtur præparationem de qua loquitur fuisse incompletam et postea perficiendam, imo videtur hujusmodi alteram præparationem excludere; ait enim: « Reversæ *paraverunt aromata* et unguenta...; una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, *quæ paraverant*, *aromata* ».

Nobis quidem indubium videtur emptionem et præparationem aromatum *unicam tantum* locum habuisse, et tum Mc. tum Lc. de hac unica agere; ulterius vero

---

(1) Ex iis quæ aliunde supponimus nota circa Inspirationem en Inerrantiam S. Scripturæ, et quæ quoad principia fundamentalia recolebamus supra, pp. 350 ss., 406 ss., elucet fas non esse viro catholico ab hujusmodi difficultatibus sese eripere, dicendo « minus referre hujusmodi contradictiones vel errores, in rebus accidentalibus et minoris momenti ».

(2) Belser, *Die Geschichte des Leidens und Sterbens....* (Freiburg i. B., 1903), pp. 441 s. æstimat, Jesu sepulto, *quasdam* mulieres regressas esse et incepisse præparationem aromatum; Mariam vero Magdalenam et Mariam Joseph diutius mansisse et transacto tantum sabbato unguentis allaborasse.

censemus hanc reponendam esse eo momento quod Mc. indicat: *cum transisset sabbatum,* seu post occasum solis, Lucam vero huic non contradicere.

Revera *textus Marci* nimis clarus est quam ut patiatur ullum dubium: *Cum transisset sabbatum..., emerunt aromata; textus* vero *Lucæ* bene intelligi potest ita ut concordet cum textu Marci: quod jam exponendum et vindicandum aggredimur.

Dices 1°: Habetur *oppositio inter duo membra v^i 56:* a/ « Et reversæ paraverunt aromata », — et b/ « et sabbato quieverunt secundum mandatum ». — Ex hac oppositione clare elucet, in mente Lucæ, mulieres opus suum, istam præparationem absolvisse antequam secundum legem sabbati quiescere deberent.

Respondeo. Hanc relationem oppositionis existere inter duo membra v. 56 minime admittimus; contra v. 56^b nitide distinguendum est a v. 56^a, et arcte connectendum cum XXIV, 1 (1). Græce enim v. 56^b et v. 1 mutuo colligantur per μὲν et δὲ: Καὶ τὸ μὲν σαββατον..., et v. 1: τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων... Unde hæc utique habetur oppositio quod (v. 56^b) mulieres sabbato quidem isto quiescunt ab omni opere prohibito, nim. ab itinere ad monumentum et a portandis aromatibus, sed quod (v. 1) prima occasione, ad primam lucem diei dominicæ, tendunt ad monumentum portantes aromata; sed non habetur oppositio ista quod (v. 56^a) aromata præparavissent ante sabbatum et quod (v. 56^b) per sabbatum istud subsequens abstinuissent ab omni opere prohibito (2).

---

(1) Ne nimis æquo inhæreas divisioni versiculorum et capitum quæ in Vulgata occurrit. Commoditatis gratia introducta est, in multis utique respondet divisioni cuidam logicæ sententiarum et sectionum, ast nil vetat quominus data occasione, ut in casu nostro, ab ipsa discedas.

(2) Optimo jure, quod sensum spectat, NESTLE, in sua editione *Novum Testamentum græce et latine* (1906) punctum ponit post v. 56^a, et nova linea incipit novam sectionem, inde a v. 56^b, et virgula tantum separat ab invicem v. 56^b et v. 1 capitis sequentis.

Dices 2°: Sed ipse *ordo narrationis* ostendit præparationem aromatum præcessisse quietem sabbati. Lucas enim successive narrat mulieres videre monumentum, eas reverti, *eas præparare aromata*, *eas quiescere die sabbati,* eas die dominica tendere ad monumentum.

Respondeo. Ordo quo res *narrantur* ab aliquo auctore non necessario in mente ipsius est ordo quo res *locum habuerunt:* num semper intendis affirmare *prius factum esse* illud quod *priori loco narras?* — Et quidem Lucæ præ aliis Evangelistis propria est methodus, tum in Evangelio tum in Actibus manifesta, qua non raro in ordine narrandi intervertit ordinem chronologicum factorum. Methodus hæc, quam exclusionis seu eliminationis vocant, in eo est quod de persona quadam vel de eventu quodam uno tractu referat plura adjuncta totamque narrationem absolvat antequam ad narrationem alius cujusdam facti transeat; et hinc quidem non raro fit ut in priori narratione jam relata inveniantur adjuncta quæ chronologice reponenda essent post factum aliquod quod postea tantum narratur (1).

Porro licet supponere Lucam hic quoque eamdem methodum applicasse. Revera in capite XXIII, post narratam mortem, narrat et *sepulturam Jesu:* quomodo Joseph petat corpus Jesu a Pilato, quomodo ipsum deponat et sepeliat, quomodo mulieres assistant sepulturæ, et quomodo præparent aromata quibus corpus illud ungere intendunt. Hæc *omnia* quæ ad factum sepulturæ Jesu pertinent *narrat uno tractu successivo;* iisque absolutis incipit narrare aliud factum, *resurrectionem nempe Jesu* eaque quæ ad factum istud pertinebant: quomodo mulieres, sabbato quidem impeditæ ne irent ad sepulchrum, die dominica valde mane eo tendant, illud vacuum inveniant, etc. — Unde si sup-

(1) Cfr. quæ de hac methodo scripsimus apud *Collat. Brug.*, t. XVIII, pp. 167 ss.; et exemplis ibidem jam allatis adde ex Act. Ap.: V, 5-6; VIII, 1-2; XI, 1-28, XII, 1-23, XI, 29-30, XII, 24-25; XVIII, 14-15.

ponis Lucam hic quoque applicasse suam methodum, nil impedit quominus dicamus *illud quod prius narrat:* mulieres np. præparare aromata, in mente Lucæ *chronologice secutum esse* post illud quod posterius narrat: mulieres np. toto sabbato ab itinere ad sepulchrum abstinere.

Porro hæc hypothesis non tantum licita apparebit ex eo quod omnino concordat cum methodo quam multis aliis locis tum Evangelii tum Actuum certo detegimus, sed hinc quoque commendatur quod *Lucam* optime *conciliet cum Marco* (vide supra), imo *cum seipso:* etenim si 56[a] ita intelligis quasi Lucas reposuerit præparationem aromatam ante diem sabbati, inducis incohærentiam in ipsam narrationem Lucæ: ipse enim determinat in v. 54 momentum sepulturæ Christi: « Dies erat parasceves, et *sabbatum illucescebat (de sabbatdag brak aan);* dein in v. 55 narrat mulieres secutas esse et nunc inspicere (ἐθεάσαντο) sepulchrum et quomodo positum erat corpus ejus; — si hæc ita se habent, ubinam haberes tempus requisitum ad hoc ut mulieres a monumento redierint in civitatem et adhuc præparaverint aromata et unguenta, — ita ut omnia fuissent absoluta adhuc *ante sabbatum?* Hæc quoque difficultas evanescit, si admittis mentem Lucæ in v. 56 non fuisse præparationem aromatum contigisse ante sabbatum.

Conclusio. Ut diximus supra, putamus tum Mc. in c. XVI, v. 1 tum Lc. in c. XXIII, v. 56[a] agere de eodem unico facto mulierum præparantium aromata; hoc factum reponimus post elapsum sabbatum, ut explicite habet Mc.; Lucam vero putamus, juxta methodum quam alibi certe sequitur, ita hic quoque in v. 56[a] et v. 56[b], ex duobus factis ordine chronologico sibi succedentibus *prius retulisse* factum *chronologice posterius.*

A. Vander Heeren.

II

De logica connexione inter doctrinam catholicam de necessitate gratiæ actualis internæ et methodum immanentiæ.

Q. *An methodus immanentiæ legitime nititur doctrinæ catholicæ de necessitate gratiæ actualis internæ?*

R. *Negative.*

I. *Doctrina catholica*:

A. circa gratiæ actualis internæ necessitatem statuit sequentia:

1. In homine, qui non habet fidem infusam (1), prærequiritur gratia actualis interna ad omnem actum salutarem, h. e., ad omnem actum quo positive disponitur homo ad fidem vel ad justificationem.

2. In præsenti Providentiæ ordine, homo non justificatus nequit per longum tempus vitare omme peccatum mortale absque auxilio gratiæ saltem actualis.

3. In homine jam justificato requiritur gratia actualis ut possit per longum tempus perseverare in statu justitiæ, nempe vitare omne peccatum mortale (2).

B. circa distributionem gratiæ:

Infidelibus negativis singulis adultis Deus dat auxilium sufficiens ut possint salutem consequi (3).

II. Methodus immanentiæ (4) in hoc consistit quod ex illa catholica doctrina deducat aliquam viam qua cogitatio hominis *increduli* ita regatur ut ille, in ordine logico, saltem remote præparetur ad inquirendum circa revelationem christianam et ad illam accipiendam.

---

(1) Abstrahitur a quæstione utrum in homine, privato gratia sanctificante per peccatum mortale personale, sed retinente infusos habitus fidei ac spei, possint esse actus fidei et spei absque gratia actuali.

(2) De illis assertis, cf. VAN DER MEERSCH, *De gratia divina*, Brugis, 1910, n. 43 sq., 70 sq., 331 sq.

(3) *O. c.*, n. 404. Hæc est assertio generalis, sed multæ exsurgunt quæstiones speciales quas hîc exponere non vacat.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 619.

Jamvero prædictæ methodi hoc est proprium quod contendat hominem infidelem posse vel *ex conscientia psychologica* vel ex analysi vitæ cognoscere necessitatem alicujus auxilii quo indigeat ad vitam perfecte moralem agendam (1). Ita loquitur qui illam methodum exponit:

« Cette méthode est déterminée par la fin même qu'on se propose. Puisqu'il s'agit de voir si l'homme se suffit et qu'il ne se suffit pas, de lui révéler sa propre indigence... force est bien de s'installer d'abord en lui, de conniver fût ce avec ses illusions et son orgueil, de prendre ses idées et ses aspirations pour ce qu'elles se donnent, jusqu'à ce qu'on les ait vues *manifester d'elles mêmes*, sous une *impitoyable analyse* (2), ce qu'elles portent et où elles vont. Ainsi, entreprenant *d'accréditer le surnaturel, on ne partira point de l'objet pour en démontrer l'existence...*

Mais il faut ajouter qu'à parler exactement... ce n'est pas même du *sujet* qu'il s'agit de partir, comme s'il était isolément constitué et isolément connaissable... En vérité il s'agit de prendre comme matière de l'analyse... la *vie* elle-même dans sa complexité synthétique, cette vie *transnaturée* (3) qu'emplit... l'œuvre commune du sujet et de l'objet; il s'agit de se placer, *avant que l'entendement soit intervenu pour distinguer deux courants* (4), au confluent où les eaux se compénètrent sans s'identifier; et c'est peu à peu sous l'effort qu'on fera pour en préciser le contenu... que doit se révéler dans l'*action* qu'on croirait tout humaine, la présence et le concours d'un *autre facteur* » (5).

---

(1) Suprà, p. 170, locuti sumus de necessitate morali *Revelationis*.

(2) A nobis sublineantur quædam vocabula.

(3) V. suprà, p. 304 ss.

(4) Ni fallor, hoc significat: antequam *ratio humana*, in cognitione quam homo de semetipso acquirat, interveniat *ratiocinando* ut distinguat duos ordines influxuum in operatione, generice spectata, nempe ordinem naturalem et supernaturalem, oportet ut homo *conscientia psychologica (non ratione ratiocinante)* detegat in semetipso necessitatem et præsentiam alicujus auxilii quod est divina gratia.

(5) Aug. Valensin, ap. d'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique*, art. *Immanence*, col. 589.

III. Jamvero ex doctrina catholica, quam suprà indicavimus, non potest logice deduci possibilem esse talem cognitionem quam methodus prædicta describit, imo logice deducitur talem cognitionem non posse haberi:

1. Etenim veritates supra expositæ certo præsupponunt existentiam gratiæ, præsupponunt nempe gratiam proprie dictam, seu *supernaturale* auxilium, de facto nunc a Deo concedi hominibus; sed hoc nequit cognosci nisi ex Revelatione divina; hujus autem cognitio imprimis requirit vel fidem vel historicam cognitionem de *facto* revelationis (1).

2. Psychologicæ conscientiæ *objectum* est affectio interna animæ seu actus vitalis, qui est quatenus afficit ipsum subjectum: ita homo conscientiâ psychologica cognoscere potest se nunc cogitantem, se amantem, (sive libere, sive mere spontaneo modo) (2). Psychologicæ conscientiæ objectum non est facultas operativa, v. gr. intellectus; nec etiam habitus sive acquisitus, sive infusus (3); nec etiam actus præteritus, de quo habetur cognitio per *memoriam*.

Inde homo potest conscientiâ psychologica cognoscere se hîc et nunc peccare; potest memoria cognoscere se sæpe peccasse et inde *per inductionem inferre* se esse valde fragilem seu infirmum in ordine morali. Quapropter, proprie loquendo, infirmitas illa hominis non est objectum conscientiæ psychologicæ, sed est conclusio ratiocinii. Multo minus cognitio de infirmitate aliorum hominum, vel generis humani universim sumpti, est objectum conscientiæ.

3. Præterea quando homo ratiocinio cognoscit se non posse per multum tempus vitare omne peccatum

---

(1) V. suprâ, p. 236 ss.

(2) Cf. Zigliara, *Summa philosophica*[12], Parisiis, 1900, t. I, p. 217; De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*, Rollarii, 1900, n. 150.

(3) Cf. S. Thomas, *Sum. theol.*, I, q. LXXXVII, a. 2.

mortale, non potest ex hoc inferre se carere aliquo auxilio supernali, vel alio auxilio quod posset habere. Etenim quotiescumque homo cognoscit se peccare, cognoscit etiam se potuisse non peccare: actus enim non est peccatum nisi sit liber, libertate electionis.

Tandem non potest homo ex cognita propria infirmitate ad bonum morale, vel ex cognita infirmitate aliorum, inferre existere nunc aliquod auxilium quo possunt homines per longum tempus vitare omne peccatum mortale. Hoc judicium deberet esse conclusio ex facto cognito quod multi sunt homines qui de facto non sunt eodem modo infirmi quo alii (1).

4. Imo tenendum est, secundum doctrinam catholicam, hominem etiam in statu justificationis posse peccare mortaliter, et, secundum experientiam, homines justificatos de facto peccare mortaliter: non potest concludi illos homines ideo peccavisse quia non habuerunt auxilium vere sufficiens ad non peccandum. Ergo ex cognita quocumque modo infirmitate morali non potest concludi existere auxilium supernaturale. Proinde contra logicam agit illa methodus quæ contendit patefacere supernaturale ex analysi vitæ humanæ, etiamsi hæc esset actu sub influxu gratiæ.

5. Sed nec ex actibus bonis, etiam supernaturalibus, potest directe conscientiâ cognosci supernaturale internum quodlibet (sive habituale, sive transiens): nam actus supernaturales non possunt *ut supernaturales* cognosci conscientiâ: quia id, quo illi actus fiunt intrinsece supernaturales, est *principium* actus: non autem principium actus, sed tantum *actus ipse* est objectum conscientiæ psychologicæ.

6. Igitur prædicta methodus inficitur sophismate, quatenus conscientiæ psychologicæ, vel analysi actuum vitalium tribuitur cognitio quæ sola *fide* et ratiocinio haberi potest. Etenim tum existentia, tum necessitas,

---

(1) Hoc judicium pertinet ad considerationem de *sanctitate* Ecclesiæ.

tum distributio gratiæ *sola fide* cognoscitur: quando homo *fide divina credit* prædictas veritates, potest tunc ratiocinio, et memoria, et conscientia de actu vitali, concludere, sive cum probabilitate, sive cum certitudine, se hîc et nunc agere supernaturaliter, potest etiam quandoque concludere se esse in statu gratiæ (1). Sed homo qui fide caret vel cognitione veritatis revelatæ, non potest ex *sola analysi suarum operationum* vitalium concludere vel se habere aliquod auxilium *supernaturale* vel privari tali auxilio (2).

Nota. S. Thomas, *Summa contra Gentiles,* L. IV, c. 52, docet satis probabiliter probari posse defectus naturales, nempe ignorantiam et concupiscentiam, esse *pœnales*, h. e. esse pœnas propter aliquod peccatum, et proinde illos defectus esse aliquod signum peccati originalis.

Circa hoc notemus: a/ S. Thomas non tradit hoc tamquam demonstrationem proprie dictam, sed tamquam argumentum quo *probabilis* statuitur conclusio; b/ hæc conclusio non statuitur ex conscientia psychologica, sed infertur ex consideratione de divina providentia et de dignitate superioris partis humanæ naturæ; c/ si homo censeret illos defectus esse pœnales, non posset concludere dari etiam nunc dona præternaturalia quibus tollantur illi defectus (imo hæc conclusio esset omnino falsa), vel dari alia auxilia quibus homo, subjectus illis defectibus, possit vincere illos et vitare peccatum. Reparatio generis humani et restitutio gratiæ supernaturalis non nisi Revelatione cognosci potest (3).

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. tractatum *de divina gratia,* n. 199 ss.

(2) Licet non omnia probanda censeamus quæ olim scripsit cardinalis Dechamps circa methodum apologeticæ, tamen sententia ipsius multum differt a methodo quam impugnamus. Cf. De Ridder, *Le cardinal Dechamps et l'apologétique d'immanence* (extrait de la *Revue apologétique*), Bruxelles, 1909.

(3) Cf. Jungmann, *De Deo creatore,* n. 339; Illmus ac Revmus Waffelaert, *Meditationes theologicæ,* ap. *Collat. Brug.*, t. II, p. 118; *Méditations théologiques,* t. I, p. 71; *Goddelijke beschouwingen,* bl. 106.

III-IV

De Contractibus in genere. I.

Q. *Supposita notione* contractus *(cf.* Coll. Brugen., *t. IX, p. 23 s.) breviter explica quasdam contractuum* divisiones; *nimirum:*

a/ In unilaterales et bilaterales, onerosos et gratuitos, consensuales et reales, solemnes et simplices, nominatos et innominatos;

b/ In explicitos et implicitos, vestitos et nudos, puros et qualificatos, fraudulentos, et tandem læsivos.

R. **Prænota.**

Inducta semel bonorum divisione et privata possessione rerum, cum homines ad necessaria vitæ multis rebus acquirendis indigeant necnon persæpe aliorum opera, cumque obligatio caritatis qua quisque indigentiis proximi succurrere tenetur nec stricti sit juris nec sufficiens appareat, opus fuit alio quodam medio necessitatibus quotidianis providere, *contractu* scilicet: quo jura et dominia stricta mutuo consensu transferrentur et acquirerentur.

Contractus ergo seu: *conventio in effectum juridicum* ex ipso jure naturæ, ratione vitæ necessitatum originem trahit; simulque servandam esse contractus fidem eadem lex naturalis stabiliter sancit. Verum, cum nullum contractum in specie, præter solum matrimonium, jus naturæ absolute exigat, ulteriores omnis generis stipulationes tum liberæ paciscentium voluntati tum juri positivo humano determinandæ relinquuntur. In quo sane civili juri in propria sua materia magna vis tribuenda est; jamque in ipsis contractuum divisionibus legalis dispositio sedulo attendenda venit.

Divisiones Contractuum.

Porro, inter multiplices contractuum distinctiones, non omnes ejusdem utilitatis sunt aut usus, nec singulæ pro scopo nostro memorandæ videntur: præsertim cum

in *Coll. Brugen.*, t. IX, p. 23 s. jam referatur divisio inter contractum *translativum* proprietatis et productivum sive extinctivum *obligationis,* necnon discrimen inter contractum *nullum* et *inexistentem.* Præcipua autem scituque magis utilia quæ de præsenti puncto dicenda supersunt, sic paucis proponuntur:

1/ Ratione effectus quem producunt, distinguuntur contractus:

a/ In *unilaterales* et *bilaterales* seu synallagmaticos. Priores nimirum obligationem ab uno tantum latere inducunt seu uni tantum paciscentium imponunt parti, ut apparet in contractu hypothecæ, in donatione de qua art. 931 Cod. Civ. etc.; posteriores vero, ut venditio, locatio etc. ultro citroque obligationem pariunt.

Similiter habet jus Civile, art. 1102 et 1103: « Le contrat est *synallagmatique* ou *bilatéral* lorsque les contractants s'obligent réciproquement les uns envers les autres.

Il est *unilatéral* lorsqu'une ou plusieurs personnes sont obligées envers une ou plusieurs autres, sans que de la part de ces dernières il y ait engagement ».

Verum, plures ex contractibus qui in Codice nostro ad unilaterales adscribuntur, *reciprocas* obligationes gignere diceres: sic ex deposito sane obligatur deponens ad expensas aut damna resarcienda, si quæ in custodienda re habuerit depositarius; et similiter de contractu pignoris et commodati dicendum. Ast reflectenti patet nonnisi occasionaliter et accidentaliter illud onus oriri et *ex post facto*, ut aiunt jurisperiti; nec imo ex ipso contractu stricte exurgere, cum absque conventione præcedente pariter enasci posset.

Ideo hujusmodi contractus *imperfecte synallagmatici* vocantur; bilaterales vero stricto sensu, seu illi quos Codex in art. 1102 præ oculis habet, *perfecte synallagmatici* dicuntur: in quibus scilicet mutua obligatio æque præcipua est et immediate ex contractu exurgit, aut aliis verbis « qui utrique parti immediatam pariunt

justitiæ obligationem, ita ut altera obligatio sit alteri pro causa » (1).

Ceteroquin : « les contrats unilatéraux, tout en conservant leur caractère principal, se transforment, à certains égards, en contrats synallagmatiques, lorsqu'ils sont faits sous des charges ou des conditions à remplir par la partie en faveur de laquelle ils sont passés » (2).

Jam age, contractus perfecte synallagmaticus dividitur ipse in *commutativum* et *aleatorium*.

« Il est *commutatif* lorsque chacune des parties s'engage à donner ou à faire une chose qui est regardée comme l'équivalent de ce qu'on lui donne, ou de ce qu'on fait pour elle.

Lorsque l'équivalent consiste dans la chance de gain ou de perte pour chacune des parties, d'après un événement incertain, le contrat est *aléatoire* ». Art. 1104.

Nimirum, cum in contractu stricte bilaterali justitia æqualitatem saltem late dictam inter mutuam præstationem per se postulet, potest hæc æqualitas sive in commodo utrimque certo et determinato consistere, sive in mutua damni lucrique alea, ut v. g. in ludo, sive etiam in quadam compositione certi aleatoriique emo-

---

(1) VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia*, n. 288. — Cf. tamen CARRIÈRE, *De Contractibus*, n. 8 : « Ceterum, etiam posita hac distinctione, non omnino evanescere difficultatem contendit Toullier, quia in commodato v. g. et in mutuo obligatio non repetendi rem est directa et præcipua, art. 1888, 1899, quamvis sit contractus unilateralis. Quidquid sit, sufficit animadvertere quinam contractus in jure reputentur bilaterales, vel non, ut applicentur dispositiones legis : ulterius disquirere nihil proderit, cum non possit esse quæstio nisi de nomine ».

De momento autem distinctionis legalis inter unilaterales et synallagmaticos contractus cf. MABILLE, *Droit Civil* (autographie), livre III, pag. 7 :

« 1°/ La condition résolutoire est toujours sous-entendue dans les contrats synallagmatiques, pour le cas où une des parties ne satisfait pas à son engagement (art. 1184).

2°/ Les art. 1325 et 1326 assujettissent à certaines formalités les actes sous seing privé constatant des conventions synallagmatiques ou certaines conventions unilatérales ».

(2) AUBRY ET RAU, *Cours de Droit Civil français*, IV, par. 341.

lumenti, ut in contractu assecurationis. Prior species dicitur contractus *commutativus*, altera *aleatorius*: cujus definitio in art. 1104 incompleta videtur, et infra art. 1964 **absolvitur parum accurate.**

In foro quidem civili sufficit ut mutua præstatio contractus commutativi utro citroque æquivalens *censetur*, prout habent verba legis: nec facile, ne multiplicentur lites, admittitur in jure rescissio contractus propter inæqualitatem in pretio. Cf. art. 1118 (1).

b) In *vestitos* et *nudos*. Priores, utpote secundum legem etiam civilem debite initi, obligationem inducunt non tantum in conscientia, sed et coram foro civili tribunt *actionem;* alii vero actione civili non gaudent, puta ob defectum elementi ad probationem requisiti: ut si conventio quædam absque scripto aut testimoniis legaliter sufficientibus ineatur (2).

c) In *puros* et *qualificatos* seu non puros. Puri sunt si obligationem producunt nullo accidenti modificatam: ut si absolute conficiuntur absque conditione adjecta aut speciali stipulatione vel juramento etc. Secus sunt qualificati. — Dicuntur etiam alii *absoluti*, alii *conditionati.*

2 Ratione finis intenti, distinguuntur contractus in *gratuitos* et *oneroso;* de quibus sic habet Codex:

« Le contrat *de bienfaisance* est celui dans lequel l'une des parties procure à l'autre un avantage purement gratuit.

Le contrat *à titre onéreux* est celui qui assujettit chacune des parties à donner ou à faire quelque chose ». Art. 1105 et 1106.

---

(1) Quodnea sic habet Mueller, ibid. par 9: « La lesion n'est plus admise comme cause de rescision entre majeurs que dans deux cas exceptionnels: dans les partages art. 887, et dans les ventes d'immeubles (art. 1674); or, même dans ce cas, la lesion n'autoriserait pas la rescision **si le contrat était aléatoire ».**

(2) Manet tunc obligatio naturalis seu conscientiæ: nisi tamen contrahentes positive noluerint contractum inire nisi talem qui legaliter probetur; tunc enim deficeret consensus jure naturæ requisitus

Sed nec ipsis jurisperitis placet hæc definitio, quæ in divisionem inter contractum unilateralem et bilateralem nimis redundat; nec ceteroquin est accurata, cum contractus dentur legaliter unilaterales, ut contractus fœnoris, qui tamen non sunt gratuiti sed onerosi.

Ideo directe ex parte intentionis paciscentium sumenda est ratio distinctionis, et gratuiti vel onerosi dicendi sunt contractus prout « a parte quæ jus cedit intenditur liberalitas vel propria utilitas » (1).

Intercedit quidem heic contractus *mixtus,* qui partim onerosus, partim gratuitus est: ut donatio sub levi quadam conditione onerosa, aut venditio cum remissione dimidii pretii; sed hujusmodi contractum ad onerosos adscribit lex civilis.

3/ Ratione formæ distinguuntur contractus:

a/ In *consensuales* et *reales.* Priores nempe solo jam consensu partium debite præstito perficiuntur, ante rei pactæ traditionem: et ejusmodi sub jure moderno sunt plerique contractus. Quidam tamen dantur qui, pro natura rei de qua agunt, ante traditionem ejus perfici nequeunt, saltem *in sua specie:* suntque commodatum, mutuum, depositum et pignus; et ideo *reales* vocantur.

Et sane contractus depositi v. g. non est in sua specie perfecte initus donec reapse deposita fuerit res custodienda; quamvis præcedens partium consensus verum quemdam contractum constituat sed alterius speciei, nimirum innominatum, qui profecto jam obligationem tum naturalem tum civilem inducere capax est.

Hæc quidem distinctio contractuum, etsi in Codice expressis terminis relata non inveniatur, legaliter tamen deducitur ex art. ubi de variis contractibus nunc statui-

---

(1) Vermeersch, ibid. — De momento hujus divisionis sic apud Mabille, ibid., pag. 7: « Elle offre quelque intérêt:

1°/ dans l'appréciation de l'erreur sur la personne: l'erreur a plus de gravité dans les contrats à titre gratuit. — 2°/ Les droits de mutation perçus en vertu de la loi fiscale sont plus élevés dans les contrats à titre gratuit que dans les contrats à titre onéreux ».

tur hunc vel illum absque traditione jam absolvi (cf. de venditione art. 1583, de donatione inter vivos art. 938), nunc autem sancitur alios quosdam ut mutuum, pignus etc. traditionem rei requirere (cf. art. 1875, 1892, 1915, 2071).

Sed iterum notemus voluntatem paciscentium efficere posse ut contractus de se consensualis ut venditio etc. ante rei traditionem nullatenus perficiatur.

b/ In *solemnes* et *simplices*. « Solemnis vocatur ille ad cujus *existentiam* requiruntur quædam formalitates lege præscriptæ, quales contractus apud nos sunt donatio, contractus sponsorum circa bona, constitutio hypothecæ; non solemnis, qui nullam specialem formalitatem requirit sed subjicitur tantum generalibus dispositionibus » (1).

Generales autem dispositiones determinatam formam minime ad substantiam ipsius contractus adscribunt, quamvis sæpius quasdam imponant formalitates ad probationem. In triplici vero casu statim allato, forma authentica substantialis est et legaliter dat esse rei: quocirca quæstio de valore in conscientia talis contractus inexistentis ex solo jure positivo, in *Coll. Brugen.*, t. IX, p. 34 s. expenditur (2).

c/ In *explicitos* et *implicitos*, sive in formales et vir-

---

(1) Illmus Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 339.

(2) Cf. Mabille, ibid., pag. 10: « Dans les contrats ordinaires (c'est-à-dire non solennels) les engagements existent avec tous leurs effets par le seul consentement des parties, indépendamment de tout acte qui en révèle extérieurement l'existence. Les conventions faites sans écrit existent donc réellement avec la plénitude de tous leurs effets; viennent-elles à être déniées par l'un des contractants, l'autre est toujours admis à en fournir la preuve par les moyens légaux.

Mais quand le contrat est solennel, il faut nécessairement qu'il soit fait en la forme déterminée par la loi; l'acte n'est pas seulement exigé pour la preuve du contrat, il est indispensablement requis comme un élément de son existence, rien n'y pourrait suppléer: *forma dat esse rei*. C'est donc en vain que l'on prétendrait, en cas de dénégation du contrat, recourir aux modes ordinaires de preuve, même à l'aveu de la partie et au serment: *frustra provatur quod probatum non relevat* ».

tuales. « Prior ille est, qui fit verbis, scriptis, aliisve signis consensum *directe* manifestantibus ; posterior vero ille est, cujus consensus in rem conventam existit quidem realiter, sed *implicite* tantum aliquo dicto vel facto manifestatur » (1).

Sic ægrotus medicum advocans ipso facto consentit in justam retributionem ei pro debita cura persolvendam ; et medicus eo ipso quod suscipit curam ægroti consentit etiam et se obligat ad illius valetudini pro justo pretio rite consulendum. Hujusmodi tacitum contractum, quem ipsa muneris susceptione ineunt etiam parochi, judices, advocati etc., sat communiter theologi *quasi-contractum* vocant, quamvis a vero quasi-contractu in sensu jurisperitorum multum differat. Cum enim Codex omnem stricti juris conventionem, etiam implicitam, nominet contractum absque discrimine, vocabulo quasi-contractus habet illud in quo ab una saltem parte *deficit* consensus, sed adesse *fingitur* seu suppletur a lege civili, id nimirum postulante lege naturali seu æquitate (2). Ita qui voluntarie (et licite) *gestionem rei* alicujus domini hoc ignorantis assumit, implicite se obligat ad diligentem curam ipsi præbendam, haud secus ac si expressum mandatum haberet ; sed et dominus, utut nesciens, ad expensas gestionis resarciendas obligatur (art. 1372-1375). Et secundum eamdem normam disponit lex de casu illius qui rem sibi indebitam in solutionem accepit (art. 1376-1381). Porro hæc legalis obligatio quasi-contractus et conscientiam onerat ; sed nec ex sola lege civili consensum fingente oritur, verum etiam ex lege naturali.

---

(1) Gury, *Compendium Theologiæ Moralis*, I, n. 754.

(2) Cf. art. 1371 Cod. Civ.: « Les quasi-contrats sont les faits purement volontaires de l'homme, dont il résulte un engagement quelconque envers un tiers, et quelquefois un engagement réciproque des deux parties ». Complent jurisperiti hanc definitionem dicendo : les faits purement volontaires *et licites* de l'homme, ut distinguant quasi-contractum a *delicto*, unde etiam obligationes nascuntur.

4/ Ratione **externæ denominationis** distinguuntur contractus in *nominatos* et *innominatos*.

Illi scilicet contractus usuales qui easdem semper præ se ferunt notas *nomen proprium* in lingua juris adepti sunt: ut venditio, locatio etc. Sed aliæ quædam stricti juris conventiones, cum fixum constantemque characterem non ita habeant, et diversorum simul contractuum naturam quasi participent, *innominati* remansere, possuntque ad 4 classes reduci: *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias* (1). Qui contractus ad normam legis simul et conscientiæ æque obligationem producunt ac alii: sed nominati contractus propriis regulis, quibus primarie regantur, in Codice ditantur, nec principiis generalibus dimetiuntur nisi in quantum regulæ speciales circa ipsos deficiunt. Innominati contra propriis regulis carent, ideoque ante omnia generalibus contractuum dispositionibus subjiciuntur; nec nisi secundarie ipsis applicari valent præcepta specialia illorum contractuum nominatorum quibuscum majorem habent analogiam (art. 1107).

5/ Tandem, ratione **efficaciæ** distinguuntur contractus in *firmos* et plus minusve *infirmos*. Qui ultimi pro varia *irritatione* naturali aut legali qua plectuntur, subdistinguuntur in *inexistentes*, *nullos* (de quibus in *Coll. Brugen.*, t. IX, p. 27 s.), *fraudulentos* et *læsivos*.

Fraudulentus est contractus quo debitor lædit *creditorum* suorum jura, ut si quis gratuitis donis bona sua

---

(1) Cf. Illmum Waffelaert, ibid., n. 342: « Ita *do* tibi frumentum *ut des* mihi vinum et ita de reliquis; ex quo vides hujusmodi contractus esse permutationes quasdam; oportet tamen ut res quæ datur vel redditur non sit pecunia velut pretium alterius rei, alias foret contractus emptionis-venditionis ».

Advertas insuper ex 4 speciebus allatis plures alios contractus innominatos exurgere posse, ut notat Ballerini-Palmieri, *Opus Morale*, III, p. 452: « v. g. *do ut des et facias, facio ut des et facias, do et facio ut des, do et facio ut facias, do et facio ut des et facias*. Cumque in actione comprehendatur et negatio seu omissio, proinde alii erunt contractus, *do ne des, do ne facias, facio ne des, facio ne facias* etc. ».

debitis jam obærata dilapidaret. Hic contractus, positis ponendis, actioni Paulianæ seu *revocatoriæ* locum dat in favorem creditorum. Art. 1167 (1).

Læsivus contractus « qui actionem dat *in rescissionem* seu restitutionem in integrum (action en *rescision* distinctam ab action en nullité) et ideo etiam dicitur *rescindibilis*, est actus qui omnes conditiones habet ad existentiam et valorem, sed lædit jus auctoris sui vel alterutrius contrahentium » (2). Profecto non propter jus civile tantum læsivus potest esse contractus; sed etiam, ut patet, propter jus naturæ, ut læsiva venditio per dolum venditoris obtenta. Quo casu rescindibilis esse poterit contractus ad ipsum nutum læsi, qui tunc nullatenus, ad rescindendum illum, in conscientia expectare tenetur usquedum judex legalem rescissionem pronuntiaverit (3).

E. Hosten.

V

Legis moralis notio.

Q. *Quid in classica definitione legis ex S. Thoma desumpta significant verba « ordinatio rationis » ?*

R. **Prænotanda.** Classica est legis moralis definitio, proposita a S. Thoma in 1ª 2ª, q. 90, a. 4: « Ordinatio rationis ad bonum commune et ab eo qui curam habet communitatis promulgata ». Hæc definitio magistralis,

---

(1) Ne confundatur contractus fraudulentus cum *contractu in fraudem legis* inito, quo quis, salvis verbis legis, revera facit quod lex impedire voluit: ut si pater cum læsione portionis legitimæ filiorum domum suam alienaret per donationem gratuitam *sub specie venditionis;* quocirca cf. Illmum Waffelaert, ibid., n. 355.

(2) Illmus Waffelaert, ibid., n. 351.

(3) De reliquis distinctionibus contractuum, ut in contractus *bonæ fidei* et *stricti juris*, in contractus *acquisitivos et assecurationis*, in *dissolubiles* et *indissolubiles*, in *principales* et *accessorios:* Cf. Illmum Waffelaert, ibid., n. 341 et 342.

quam omnes fere auctores jure meritoque extollunt, non eamdem tamen ab omnibus accepit explicationem. In hoc nobis videntur peccare non pauci, quod non satis inspiciunt S. Thomam suam definitionem collegisse a principiis prius in eadem q. 90ª expositis, ideoque quædam supponere, quæ cæteroquin potius ad descriptionem legis quam ad ejus definitionem pertinent.

Imo, ut rite intelligatur classica nostra definitio, non tantum ratio est habenda eorum quæ immediate præcedunt, sed etiam loci quem obtinet consideratio de Legibus in universa summa theologica (1). Porro S. Thomas agit de Legibus in 1ª 2ªᵉ, quæ tota est « de motu rationalis creaturæ in Deum », (2) seu « de homine secundum quod et ipse (ut Deus cujus est imago) est suorum operum principium, quatenus liberum arbitrium habens, et suorum operum potestatem (3) ». In hac parte « *primo* considerandum occurrit de *ultimo fine* humanæ vitæ, et *deinde* de his per quæ homo ad hunc finem pervenire potest, vel ab eo deviare » (4). *Media* ad finem ultimum, secundo loco consideranda, sunt primo actus humani, secundo eorum principia interiora (passiones nempe et virtutes) et *exteriora*: principium autem exterius movens ad malum est diabolus (q. 80 et seq.); *principium exterius movens ad bonum est Deus, qui et nos instruit per legem* (q. 90 et seq.) et juvat per gratiam (q. 109 et seq.).

Hinc jam apparet legem apud S. Thomam considerari uti *medium ad finem ultimum*, homini agenti *extrinsecum* atque ipsum *instruens*. Huic primæ descriptioni, quam habemus ex prologo q. 90ᵃᵉ, mox accedit altera (nempe in art. 1º ejusdem quæstionis): « lex quædam

---

(1) Cfr. B. C. Kuhlmann, O. P., *Der Gesetzesbegriff beim Hl. Thomas von Aquin im Lichte des Rechtsstudiums seiner Zeit*. Bonn, P. Hanstein, 1912, p. 108 sq.

(2) S. Th., 1ª, q. 2.

(3) S. Th. 1ª 2ªᵉ, Prol.

(4) S. Th. 1ª 2ªᵉ, q. 1, in Prologo.

egula est et mensura *actuum*, secundum quam *inducitur liquis ad agendum vel ab agendo retrahitur ;* dicitur enim ex a ligando, quia obligat ad agendum ».

Si utramque descriptionem nunc componamus, ha-emus : medium illud extrinsecum, quo homo ducitur d finem ultimum, esse opus alicujus, qui *instruit* et imul *imperat*. Nam imperare, ut ait S. Thomas in alio oco (1) : « nihil aliud est quam *ordinare aliquem ad liquid agendum, cum quadam intimativa motione* ».

Sic jam edocemur de quanam lege apud S. Thomam uæstio est : relictis legibus physicis et legibus artium, nice in q. 90 loquitur angelicus doctor de *lege morali ormaliter considerata* (2), et in quatuor distinctis arti-ulis examinat *in quanam re essentialiter consistat* illud nedium, homini extrinsecum, ex quo actus humani in rdine ad finem ultimum ordinantur seu rite *diriguntur t imperantur* (3).

His prænotatis, jam facilius erit intelligere verba om-ia et singula quibus S. Thomas legem proprie dictam t formaliter sumptam in fine articuli 4i definit. Hic amen tantum nobis est agendum de duobus prioribus, uæ definitionis *elementum genericum* indicant. Jamvero ex :

I° *Dicitur* **Ordinatio** ; ad cujus explicationem sint equentia :

1/ Hæc vox accipitur non pro ordinandi actione πίταξις), sed pro *termino objectivo qui per eam actionem onstituitur* (ἐπιταγμα) (4). Quod patet ex alia definitione egis quam tradit S. Thomas 1a 2æ, q. 91, a. 1 : « nihil liud est lex quam *dictamen* practicæ rationis etc.... »

2/ Sed quæritur cujusnam ordinandi actus lex hic sit erminus objectivus.

---

(1) 1a 2æ, q. 17, a. 2.
(2) Cfr. supra p. 398.
(3) 1a 2æ, q. 90 in Prologo.
(4) De Jaegher, *Instit. Philos.*, n. 461, in nota.

Quidam volunt in definitione S. Thomæ, non secus ac in linguis modernis, ordinationem significare « præceptum » (1), sed immerito: hic *ordinare* certe sumitur, ut probatur tum ex usu linguæ latinæ, tum ex aliis locis S. Thomæ, pro « ordinem ponere », seu disponere ad finem per media proportionata (2). Attamen si ordinatio non est *motio,* potest tamen esse *motiva*; ordinatio enim fit diverso modo, v. gr. per orationem, per promissionem, per consilium, per instructionem, per imperium. Jamvero, ut ex supradictis patet, supponitur hic *ordinatio per imperium.* Relinquitur ergo quod lex sit, non actus imperii, sed ejus terminus, seu dictamen ab eo productum quo superior præscribit aliquid faciendum vel omittendum (3).

II° *Dicitur ordinatio* **rationis,** quod ut clarius fiat, hæc sunt advertenda:

1/ Genitivum « *rationis* » indicat, non objectum in quo ordinatio recipiatur, sed *subjectum* a quo illa procedit (4); hic enim consideratur lex uti est in principe legifero, quod patet ex prænotatis.

2/ Ratio hic sumitur in suo sensu proprio, prout contra voluntatem distinguitur (5); at intelligitur, non ratio speculativa affirmans id quod est, sed *ratio practica* præcipiens quid esse debeat (6).

3/ Lex refertur ad rationem:

a/ quatenus est ordinatio *instructiva* seu *directiva*,

---

(1) Ita inter recentiores MEYER, *Instit. Jur. nat.*, t. I, n. 230: « ... ordinatio .. designat voluntatis rationalis actum seu decretum, i. e. jussionem legislatoris secundum ductum rationis ».

(2) Cfr. LEHU, *Philosophia Moralis et Socialis,* t. I, n. 289.

(3) BILLUART, *Tract. de Legibus,* Diss. I, a. 1. Et sic jam a definitione excluditur *consilium;* quamvis etiam excluditur per particulam sequentem « ab eo qui communitatis curam habet », per se nimirum et formaliter hæc intelligendo: lex enim est talis ordinatio, quæ per se importat ut procedat ab habente curam communitatis, non similiter consilium quod procedere potest ab æquali.

(4) Cfr. DE JAEGHER, *l. c.*

(5) SYLVIUS, *Commentarii in D. Thom.*, 1ª 2ªᵉ, q. 90, a. 1; LEHU, *l. c.*

(6) S. TH., 1ª 2ªᵉ, q. 90, a. 1, ad 2ᵐ.

quia media ad finem disponere ad rationem pertinet, supponit enim cognitionem habitudinum et proportionum aliquorum ad invicem et ultimo ad finem (1).

b/ quatenus est *obligativa,* dicente S. Th. 1ª 2ª, q. 17, a. 1 : « Imperare est quidem essentialiter actus rationis, imperans enim ordinat eum cui imperat ad aliquid agendum, intimando vel denuntiando : sic autem ordinare per modum cujusdam intimationis est rationis. »

Ex prima igitur particula classicæ nostræ definitionis habemus legem 1/ procedere a ratione tanquam a causa efficiente, 2/ esse in ipsa primo et principaliter, *ut in subjecto,* et 3/ esse aliquid per rationem constitutum. Jure igitur merito dicitur lex essentialiter aliquid rationis. Hæc tamen conclusio non ab omnibus admittitur, uti videbimus in responso proxime futuro, ubi de parte quam habet voluntas in constitutione legis verbum dicemus.

R. De Schepper.

VI

De missa pro sponso et sponsa.

Q. *Quomodo celebranda est et quandonam prohibetur missa votiva* « pro sponso et sponsa ».

R. I. Ut jam notavimus ex Tertulliano, primitivus est usus ut matrimonium « Ecclesia conciliet, et confirmet *oblatio* » (2), seu ut « pro sacra connubii lege munus (sacrificale) offeratur ». Hæc ultima Secretæ hodiernæ Missæ verba desumpta sunt ex sacramentario Leoniano (sæc. ut videtur V aut VI). Unde patet jam ab antiquissimis temporibus celebrari consuevisse in matrimonio contrahendo missam specialem cum formulari proprio.

Hujusmodi missæ propriæ quæ inscribuntur v. g. « ve-

(1) S. Th., *Contra Gentiles,* lib. II, c. 24.
(2) *Ad uxorem,* II, 8 ; *Collat. Brug.,* suprà p. 402.

latio nuptialis » (1), « actio nuptialis » (2), « benedictio nuptiarum » (3), « de nubentibus » (4), « ad benedicendas sponsas » (5) etc. inveniuntur a sæc. VI generatim in sacramentariis tam extraneis, quam Romanis. Ex his derivatur in nostro Missali Romano Missa « pro sponso et sponsa » quæ doctrina et ædificatione plena est, adeoque magno pietatis lucro fidelibus, notatim desponsatis, explicaretur.

Verba antiphonæ ad Introitum compilata sunt ex duobus locis libri Tobiæ: in priori (VII, 15) Raguel pater sponsæ junioris Tobiæ, conjungens sponsorum dextras invocat Dei benedictionem; in altero (VIII, 19) parentes sponsæ, post primam nuptiarum noctem, laudes et grates rependunt Deo quia misertus est duobus unigenitis, « excludens ab eis inimicum persequentem eos », et simul petunt ut Deus tribuat eis felicitatem et filiorum benedictionem ob quas deinceps conjuges « plenius » benedicant et gratias agant Deo. Quam pulchre possunt verba illius antiphonæ explicari de matrimonii christiani effectibus: a/ de vinculi conjugalis ratificatione: « Deus conjungat vos »; b/ de augmento gratiæ habitualis: « Ipse sit vobiscum »; c/ de gratiis actualibus quibus Deus « misertus duobus unicis », nunc conjunctos proteget contra diabolum « persequentem eos »; d/ de bono prolis quæ habenda est ut benedictio divina ob quam Deum laudare eique gratias agere debent.

Psalmus præcipuus, qui notatim ad Introitum, Graduale, Tractum et Communionem cantatur, pulcherrimus est et tam suaviter celebrat felicitatem domesticam conjugis pii qui timet Dominum (6). In pericopa evangelica (Matth. XIX,

---

(1) In Sacramentario Leoniano (ed. Feltoe) p. 140.

(2) In Sacramentario Gelasiano (ed. Wilson) p. 265.

(3) In Sacramentario Gregoriano; ed. Migne P. L., t. 78, col. 262.

(4) In libris liturgiæ Mozarabicæ: *Liber Comicus* (ed. G. Morin) p. 293; *Liber Ordinum* (ed. M. Ferotin) col. 434 ss.

(5) Cf. A. Ebner, *Quellen und Forschungen zur Geschichte des Missale Romanum*, Herder, 1896, passim (vide indicem v° *Ordo ad sponsam benedicendam*).

(6) Cf. A. Vander Heeren, *Psalmi et cantica Breviarii*, p. 296. Quam elegans imago: « Uxor tua (erit) sicut vitis abundans in lateribus (in interiori) domus tuæ. Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ » (Graduale). Quam consolatione plenum illud votum

3-6) inculcatur verbis Christi indissolubilitas matrimonii christiani (1). In epistola vero (Eph. V, 22-33) (2) mirifice exaltat S. Paulus præcelsam dignitatem et mysticam significationem matrimonii christiani quod imaginem refert unionis sanctæ et fœcundæ Christi cum Ecclesia; et exinde deducit præcipua conjugum officia submissionis, reverentiæ et maxime amoris conjugalis.

Ad hæc autem necessarium est auxilium quod Dominus mittat de sancto (Graduale), et illud petit Ecclesia tum in Orationibus in quibus effligitat inter alia « benedictionem » « pium favorem » « longævam pacem », tum in tribus benedictionis nuptialis precibus quibus amplissima Dei benignitatis dona naturalia et supernaturalia impetrantur.

II. Hæc missa « pro sponso et sponsa » insertam habuit ab initio, tanquam partem sibi propriam, benedictionem nuptialem, sine qua nunquam celebratur (n. 3922, VI). **Prohibetur** igitur ipsa missa *quoties absolute prohibetur nuptialis benedictio*, h. e. ut supra statuimus, a/ in matrimoniis mixtis, b/ in secundis nuptiis, c/ toto tempore clauso (3).

III. Missa *Deus Israel* confecta est ut celebretur ipso nuptiarum die, ut liquet jam ex verbis collectæ: « *quod nostro ministratur officio,* tua benedictione potius impleatur ». Non habet ergo relationem cum officio diei, celebratur extra ordinem officii, aliis verbis est *missa votiva*.

Quum ratio ob quam celebratur non est « res gravis et publica Ecclesiæ causa », missa non est votiva

---

« Videas filios filiorum tuorum ». Et quanta exhortatio: « Ecce sic benedicetur omnis homo qui timet Dominum » (Communio).

(1) Pro evangelio legi solebat in liturgia antiqua vel eadem pericopa (*Liber Comicus*, 294), vel Matth. XIX, 1-6, vel parabola de convivio nuptiali, Matth. XXII, 1-14.

(2) Præter hanc epistolam inveniuntur etiam aliæ v. g. Jerem. XXIX, 5-7; Cor. I, 1-14.

(3) Cf suprà, p. 404 sq. Missa quæ celebratur in his adjunctis — si celebrari possit — erit vel de die, vel, si ritus permittat, votiva v. g. de Beata M. Virg. sine ulla commemoratione missæ pro sponso et sponsa et absque benedictione nuptiali.

solemnis, sed potius privata, etiamsi cum solemnitate externa cantetur (nn. 2582; 2798; 3922, VI). Gaudet tamen nonnullis privilegiis ob quæ rarius quam votiva privata communis impeditur.

Diebus quibus permittitur, **celebranda est**, in colore albo, sine *Gloria* et *Credo,* adeoque cum *Benedicamus Domino;* Præfatio dicitur semper illa quæ in missa officio diei conformi esset dicenda; in fine dicitur evangelium S. Joannis, nisi in missa facta fuerit commemoratio Dominicæ (anticipatæ aut reponendæ) vel feriæ habentis evangelium proprium (1).

Quoad orationes, prima erit missæ propria, secunda vero oratio propria missæ diei, dein tertio loco dicentur vel omnes **commemorationes** *speciales* quæ faciendæ sunt in missa diei, vel si nulla hujusmodi sit, dicetur prima ex **orationibus communibus** pro hoc tempore assignatis et tandem addantur orationes votivæ late dictæ, eo ordine quo dicuntur in missa diei (2).

Si tamen commemoratio facienda sit missæ et officii *ritus duplicis*, omittenda erit semper tertio loco oratio communis de tempore, etiamsi alia commemoratio nulla esset: influxus enim duplicis commemorati excludit quamvis orationem communem pro tempore assignatam, quia ritus duplex per se non requirit tres orationes, sicut postulat ritus semiduplex vel simplex. Nihilominus ex hoc capite omitti non possent orationes votivæ late dictæ v. g. de Venerabili vel imperata (3).

IV. Quum Ecclesia velit ut generatim « missa cum officio conveniat » (4) missa « pro sponso et sponsa » utpote non conformis officio diei, **prohibetur**, etiam

---

(1) Cf. Rub. nov. Psalt. t. X, n. 3.

(2) Hæc vide latius exposita ap. *Collat. Brug.*, t. V, p. 314-319 et XIII, 380-385.

(3) Decr. S. R. C. 24 maii 1912, ad 7, ap. *Collat. Brug.*, t. XVII, 472. Cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 384.

(4) Rubr. Gen. Miss. IV, 3; *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 265 ss.

extra præfatos casus matrimonii mixti, secundarum nuptiarum et temporis clausi:

a/ in omnibus dominicis et festis de præcepto (n. 3922, VI);

b/ in omnibus festis duplicibus I et II classis (n. 3922, VI);

c/ in omnibus diebus qui duplicia II classis excludunt, (n. 3922, VI) h. e. in vigilia Pentecostes, in Commemoratione omnium fidelium defunctorum, et infra octavas privilegiatas Epiphaniæ, Pentecostes et Corporis Domini. Non vero prohibetur in octava Ascensionis nunc privilegiata quia hæc octava non excludit festa duplicia II classis;

d/ insuper in ecclesiis unam tantum missam habentibus, diebus Rogationum, si fiat Processio (n. 2682, 35) quæ de præcepto est in ecclesiis parochialibus (1).

His diebus prohibetur quidem missa votiva pro sponso et sponsa, non vero benedictio nuptialis (2). Quare tunc « dicenda est missa de die cum commemoratione Missæ pro sponso et sponsa, et quidem etiam in festis I classis, sub altera conclusione, ac primo loco post ceteras commemorationes de præscripto, si quæ faciendæ » (n. 3922, VI), et in hac missa benedictio nuptialis danda est conjugibus.

C. Callewaert.

---

(1) Si celebretur secunda missa, hæc poterit esse pro sponsis, sed non erit omittenda commemoratio Rogationum (n. 2693, 4).

(2) Excepta tamen die qua fit Commemoratio omnium fidelium defunctorum. Hac enim die omnes missæ (nisi occurrat Adoratio perpetua vel XL Horarum) debent esse missæ *Requiem*, in quibus, ut patet, non datur locus benedictioni nuptiali.

DE GEMINIS NARRATIONIBUS IN S. SCRIPTURA.

NARRATIO DILUVII.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XIX, pag. 417).

§ III. De geminis narrationibus in S. Scriptura: Quæstio facti. Narratio diluvii.

Præmissa, in § I, *notione* geminæ narrationis, et in § II, *quæstione juris,* eaque soluta in sensum legitimitatis dictæ theoriæ seu ipsius compossibilitatis cum doctrina catholica circa inspirationem et inerrantiam S. Scripturæ, — remanet sub hac § III inquirendum utrum *de facto* hujusmodi geminæ narrationes occurrant in S. Scriptura.

Porro inter *plura exempla* ab auctoribus catholicis allata, seligimus ea quæ liber Geneseos refert circa *diluvium*. Ostendere conabimur revera hujus facti *duplicem* occurrere *relationem* ex duplici fonte diverso desumptam; utramque autem relationem esse, quoad *substantiam* quidem facti identicam, quoad adjuncta vero *accidentalia* talem ut tum a/ plura miro modo *bis* referantur, tum b/ inter nonnulla vigeat *divergentia* qua simul non posse stare videntur (1).

Sit igitur:

I. Plura adjuncta circa narrationem diluvii bis referuntur.

Prius exponamus facta, ea deinde judicaturi exindeque argumentum desumpturi pro distinctione duplicis relationis (2).

---

(1) Cfr. SCHULZ, *o. c.*; RONGY, *a. c.*; HUVELIN, *a. c.*

(2) Quæ ut melius perspiciantur textum exhibemus qualis in textu hebræo occurrit.

1. **Occasio diluvii** fuit totius generis humani corruptio. Illud bis legimus.

VI, 5. Et vidit Dominus quod multa malitia hominum esset in terra, et omnis imaginatio cogitationum cordis ejus unice versa esset ad malum omni die. 6. Et pœnituit Dominum quod fecisset hominem in terra; et doluit in corde suo, 7. et dixit Dominus: Delebo hominem quem creavi, a facie terræ, ab homine usque ad jumenta, usque ad reptilia et usque ad volucres cœli: pœnitet enim me fecisse eos.

VI, 11. Et corrupta est terra coram Deo, et repleta est terra iniquitate. 12. Et vidit Deus terram, et ecce corrupta erat: quia omnis caro corruperat viam suam super terram.

13. Et dixit Deus ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me, quia repleta est terra iniquitate a facie eorum, et ecce ego disperdam eos cum terra.

Sane intelligi potest prius referri consilium quod Deus *in corde suo* statuit (v. 7), et deinde ejusdem consilii *communicationem* factam ad Noe (v. 13); mirum tamen apparet auctorem, postquam jam in v. 5 retulit multam esse malitiam hominum in terra, Deumque illud videre, iterum in vv. 11 s. referre eamdem corruptionem terræ per corruptionem carnis, i. e. hominum, Deumque istam corruptionem videre. — Vv. 11-12 nihil novi referunt, nec ad integritatem narrationis aliquid addunt; non bene apparet quomodo aliquis auctor narrationem diluvii scribens *ex proprio suo capite* et ex propria memoria hujusmodi superfluam repetitionem fecisset; facile contra illud explicamus supponendo auctorem usum esse *duplici documento* in quo diversis expressionibus referebatur idem factum, quam utramque relationem servare et exscribere voluerit.

2. **Annuntiatio diluvii** bis refertur.

VII, 4. Adhuc enim post dies septem ego pluere fa-

VI, 17. Et ego [sunt verba Dei ad Noe], ecce ego

ciam super terram, quadraginta diebus et quadraginta noctibus: et delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ.	adducam diluvium aquarum super terram, ad destruendam omnem carnem, in qua est spiritus vitæ, de sub cœlo: universa quæ super terram sunt exspirabunt.

Hæc tamen repetitio *per se solam non multum probat.* Prior enim annuntiatio fit diu antequam arca construatur, et datur arcæ ædificandæ intuitu (v. 14: Fac tibi arcam...: ego adducam diluvium); altera vero fit, arca jam confecta (v. 1: Ingredere in arcam...; adhuc enim post septem dies, ego pluere faciam...).

3. Similiter quod bis referatur **mandatum divinum** ut Noe ingrediatur arcam et secum ducat familiam suam et animalia, — hoc per se solum non multum probat.

VII, 1. Ingredere tu, et omnis domus tua in arcam... 2. Ex omnibus animantibus tolles..., ut servetur semen super faciem universæ terræ.	VI, 18... Ingredieris in arcam, tu et filii tui...; 19. Et ex omni vivente... duo ex omnibus induces in arcam... ut serventur in vita...

4. Similiter **impletio mandati divini** a Noe bis refertur:

VII, 5. Et fecit Noe juxta omne quod præceperat illi Dominus.	VI, 22. Et fecit Noe, juxta omne quod præceperat illi Deus, sic fecit.

Hæc sub 2°/, 3°/ et 4°/ relata *per se sola non multum probant*, quum satis obvie intelligamus mandatum ingrediendi arcam prius datum fuisse eo momento quo arca erat ædificanda, et iterum eo momento quo arca erat perfecta et post septem dies inciperet diluvium. — Attamen satis *superfluum* videri poterit quod etiam hac altera vice Deus *mandatum suum justificet* coram Noe: Ingredere arcam..., *etenim ego pluere faciam..., et delebo omnem substantiam quam feci...;* item: Ex omnibus animantibus... tolles tibi..., *ut servetur semen super faciem*

terræ: hæc enim motiva mandati sui jam priori vice, dum jubebat arcam construi, satis superque declaraverat. Hoc iterum optime intelligitur si supponis auctorem *a duplici documento* diverso pendere. Cfr. cæteroquin dicenda infra de *divergentia* in his duobus textibus occurrente relate ad numerum animalium.

5. Bis refertur **ingressus Noe et familiæ** ejus in arcam:

VII, 7. Et ingressus est Noe et filii ejus, et uxor ejus et uxores filiorum ejus cum eo in arcam a facie aquarum diluvii.	VII, 13. Hac ipsa die ingressus est Noe et Sem et Cham et Japheth filii Noe, et uxor Noe et tres uxores filiorum ejus cum eis in arcam.

6. Eodem modo bis refertur **ingressus animalium** in arcam.

VII, 8. De jumentis mundis, et de jumentis immundis, et de volucribus et ex omni quod reptat super terram,	VII, 14. Ipsi [familia Noe] et omnes bestiæ in specie sua, universaque jumenta in specie sua, et omnia reptilia reptantia super terram in specie sua, et omnia volatilia in specie sua, universæ aves omnia alata;
9. bina bina ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus et femina, sicut præceperat Dominus Noe.	15. et ingressa sunt ad Noe in arcam, bina bina, ex omni carne in qua erat spiritus vitæ. 16. Et quæ ingrediebantur masculus et femina ex omni carne introierunt sicut præceperat ei Deus.

Indubia hic apparet adhibitio *duplicis documenti;* secus enim non videtur posse intelligi hæc plane superflua repetitio de qua sub 5°/ et 6°/. V. 13 enumerationi v^i 7 unice addit nomina filiorum Noe quæ ex VI, 10 jam nota erant; vv. 14-16 ut legenti facile apparet nil omnino novi addunt. Nonne res tunc tantum

intelligitur si supponimus auctorem duplicem relationem in fontibus suis inventam voluisse servare?

7. Bis dicitur **diluvium incipere**, cum duplici notatione temporis diversa:

VII, 10. Et fuit post septem dies, aquæ diluvii fuerunt super terram.	VII, 11. Anno 600 vitæ Noe, mense secundo, 17ª die mensis, in hac die rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ...

8. Bis dicitur **aquas crescere et arcam ferri super aquas**:

VII, 17. Et fuit diluvium quadraginta diebus super terram, et multiplicaverunt se aquæ et elevaverunt arcam, et elevata est desuper terram.	VII, 18. Et creverunt aquæ et multiplicaverunt se valde super terram, et arca ambulabat super faciem aquarum. Cfr. 19-20.

9. Bis refertur **omne vivens periisse**.

VII, 21. Et periit omnis caro quæ movetur super terram: volucrum, animantium et bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram, et universi homines.	VII, 22. Cuncta in quorum naribus erat spiritus vitæ, ex omnibus quæ existunt in sicco mortua sunt. 23. Et delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, usque ad reptilia et usque ad volucres cœli: et deleta sunt de terra...

Conclusio ex I. Ex hisce omnibus, ni fallimur, jam valde serium argumentum desumitur in favorem *usûs documentorum* ab auctore Gen. VI-VIII. Ægre intelligimus auctorem ex proprio capite scribentem et proprio marte ex notitiis memoria servatis efformantem suam narrationem, hujusmodi repetitiones iteratas easque satis superfluas conscripsisse; multo facilius illud intelligimus si ponimus ipsum duplex præ manibus ha-

buisse documentum quod, pro majori saltem parte, et generatim satis fideliter servare et ad modum tessellarum *(une mosaïque)* in unum componere voluerit.

II. **Divergentiæ** (1) in narratione diluvii occurrentes.

Quædam facta hic notamus eaque disputationi submittimus, unde ni fallimur apparebit quædam adjuncta secundaria in decursu narrationis occurrentia non posse inter se componi.

1. **Dies qua Noe ingreditur arcam et qua diluvium incipit.**

a/ In c. VII, v. 1, jubetur Noe arcam ingredi et secum ducere domum suam et certa animantia, quia, ut ait Dominus in v. 4: « *adhuc, post septem dies*, ego pluere faciam super terram ». Revera, v. 7, Noe cum familia et animalibus ingreditur arcam, et, v. 10, factum est, *post septem dies* aquæ diluvii fuerunt super terram. Unde videtur *Noe ingressus* esse arcam ipsa die qua mandatum a Domino acceperat, proindeque *septem dies ante initium diluvii.*

b/ Contra in c. VII, v. 11 notatur dies præcisa qua incœpit diluvium: anno 600° vitæ Noe, mense 2°, die 17ª, *in hac die* rupti sunt omnes fontes abyssi...; et pergit v. 13: *Hac ipsa die* (ergo die determinata in v. 11), *ingressus est Noe*, et familia ejus in arcam, et cum ipso omnia animalia; proindeque *ipsa die qua incœpit diluvium.*

Solutiones hujus divergentiæ variæ fuerunt tentatæ.

Solvere quidam conantur hanc divergentiam vertendo v. 13: Hac ipsa die Noe *jam fuerat ingressus* in arcam (2).

Sed: dato formam verbi hebraici sic verti posse, hæc

---

(1) Ne quæso huic vocabulo tribuas sensum alium quam quem ipsi nos tribuimus. Ut in priori parte disquisitionis nostræ exposuimus, minime agitur de *erroribus* tribuendis auctori sacro; quod nefas esset dicere; imo ipsas formulas « *erroris relativi* » vel « *erroris materialis* » quæ in materia de inerrantia Sacræ Scripturæ non raro ab auctoribus inducuntur, etsi rite utique explicatas, multo libentius vitari vellemus. — His divergentiis quas statuimus nihil lædi doctrinam Inerrantiæ supra nos ostendisse putamus. Cfr. omnino pag. 345 ss.

(2) Hoberg, cit. apud Schulz, *o. c.*, p. 25.

interpretatio minime est obvia: etenim in v. 7 ss. notavit auctor Noe cum tota familia et omnibus animalibus ingressum esse arcam septem dies ante diluvium; unde plane inutile erat adhuc notare die ista determinata vitæ Noe qua incœpit diluvium, Noe cum familia sua jam fuisse arcam ingressum. Et quare reinciperet, imo magis evolute adhuc, enumerationem familiæ Noe et animalium cum ipso ingressorum? — Ut indubium tenemus sensum quem versio LXX et Vulgata, sicut et plerique commentatores huic vocabulo tribuunt: *Hac ipsa die* ingressus est Noe... In vv. 13-16 describitur factum ingrediendi in arcam, sicut factum istud describebatur in vv. 7-9.

Solutio alia desumi posset ex Hummelauer (1): Deus dat mandatum ingrediendi, septem dies ante initium diluvii, et hi septem dies forent necessarii ut omnia ista animalia possent ingredi; per septem ergo dies intrant, et ultima die ingreditur ipse Noe, et statim incipit diluvium.

Sed: a/ in vv. 7-9 refertur ingressus Noe et animalium in arcam, et statim postea in v. 10 additur: Et factum est post septem dies, incœpit diluvium: ergo obvium est intelligere: septem dies non tantum post mandatum a Deo datum, sed etiam post ingressum Noe et animalium; et potissimum: *b/* in vv. 13 ss. dicitur: *Hac ipsa die* qua incœpit diluvium, ingressus est Noe et familia ejus, et *cum ipso omnia animalia* introierunt: coacta apparet interpretatio ab Hummelauer proposita juxta quam animalia ingressa essent *hebdomada ante* hanc diem.

2. **Tempus per quod diluvium ivit crescendo.**

a/ In c. VII, vv. 1 ss. nuntiat Dominus diluvium: Adhuc enim, post dies septem, ego pluere faciam super terram, *quadraginta diebus et quadraginta noctibus,* et delebo omne ens quod feci (v. 4). Et revera, refertur in

(1) *Commentarius in Genesim,* p. 263, coll. 266.

v. 10 quod post septem dies aquæ diluvii fuerunt super terram, et in v. 12, quod pluvia fuit super terram *quadraginta diebus et quadraginta noctibus*, et in v. 17 notatur: Et fuit diluvium *quadraginta diebus* super terram, et multiplicarunt se aquæ et elevaverunt arcam... — Unde juxta hos omnes vv. videtur indubium: illud quod Dominus annuntiaverat, illud et facto implevit: *per quadraginta dies* duravit pluvia et incrementum aquarum.

b/ Contra in c. VII, v. 24 legimus: Et creverunt aquæ super terram *centum quinquaginta diebus;* sic quoque in c. VIII, v. 3: Et aquæ recesserunt paulatim a terra et decreverunt aquæ *post centum quinquaginta dies.* — Eadem duratio 150 dierum exinde confirmatur quod sic egregio modo convenire intelliguntur varia adjuncta per narrationem diluvii sparsa: VII, 11 notatur dies qua diluvium incipit: *anno vitæ Noe 600°, mense 2°, die 17ª mensis,* in hac die, rupti sunt fontes abyssi magnæ, etc.; et aquæ deinde multiplicantur et crescunt, et ascendunt usque ad altitudinem *15 cubitorum super omnes montes* excelsos (VII, 19 s.); montes isti altissimi in mente auctoris intelliguntur montes Ararat (1), ideoque aquæ erant elevatæ *15 cubitis super montes Ararat.* Interea dum crescebant aquæ, arca ambulabat super faciem aquarum (VII, 18). Porro arca, juxta dimensiones a Deo præscriptas, erat *altitudinis 30 cubitorum* (VI, 15), ideoque, impleta hominibus et animalibus et provisionibus, potest obvie cogitari dimidia parte suæ altitudinis, 15 cubitis, fuisse immersam in aquis. Dum

(1) Etenim montes Ararat (quæ est regio Armeniæ) fuerint ex altissimis qui Israelitis noti erant; et ipse textus satis indicat auctorem ubi scribit *montes altissimos* de hisce cogitare. Etenim VIII, 4 notatur arcam sistere super montes Ararat, anno 600°, mense 7°, die 17ª; ergo aquæ his montibus Ararat non erant altiores nisi paucis, puta 15 cubitis; et tamen tribus circiter mensibus postea tantum, anno 600°, mense 10°, die 1ª, apparent cacumina montium (VIII, 5). Ergo auctor non noverat montes sensibiliter altiores montibus Ararat; secus istorum altiorum montium cacumina jam apparuissent eo momento quo arca stabat super montes Ararat.

aquæ crescunt, ipsa quoque continuo ascendit, et nullibi hæret; ast dum aquæ jam non crescunt, poterit alicubi hærere, et sic revera hæret seu *sistit super montes istos Ararat* (VIII, 4). Unde eo momento quo aquæ suam altitudinem maximam attigerant sistit arca. Jamvero momentum hoc denuo accurate determinatur (VIII, 4): *anno 600°, mense 7°, die 17ª mensis.* Igitur a momento quo incœpit diluvium usque ad momentum quo aquæ suam altitudinem maximam obtinuerunt, transierunt (a 17ª die mensis 2ⁱ usque ad 17ªᵐ diem mensis 7ⁱ) *quinque menses*: quos menses si *solares* numeras, 30 dierum, habes 5 × 30 = 150 dies; si vero *lunares*, 29 1/2 dierum, habes 5 × 29 1/2 — 147-148 dies, ideoque numero rotundo *150 dies.* Hisce iterum habemus aquas diluvii crevisse et ascendisse per 150 dies.

Alteram ergo habemus divergentiam accidentalem: juxta priores vv. aquæ creverunt *per 40 dies*, juxta alios vv. *per 150 dies.*

Solutiones difficultatis variæ fuerunt tentatæ. Ita:

Aquæ creverint de facto *per 150 dies;* vv. autem ubi agitur de *40 diebus* ita essent intelligendi ut *40* ponatur pro *numero rotundo* tanquam æquivalens *longæ durationi.*

Sed: nimis coacta et gratuita apparet hæc solutio; præterea, si auctor Geneseos reputabat tempus increscentium aquarum fuisse bene *determinatum 150 dierum,* non intelligitur quare adhibuerit vel servaverit *istum numerum rotundum* 40 dierum, qui unice poterat præbere locum confusioni.

Alia solutio fuit proposita: Aquæ creverunt prius per 40 dies, fueruntque per eas deleta omnia viventia (VII, 21-23), ast deinde aquæ *steterunt adhuc super terram*, antequam incœperunt minui, per 150 dies, et sic dicitur in VII, v. 24: *obtinuerunt aquæ terram* 150 diebus. Quam solutionem Hummelauer sic temperat quod post 40 dies increscentis diluvii, aquæ per 110 dies ulteriores steterunt super terram, antequam

minuerentur, et sic iterum cum Vulgata dicendum esset aquas diluvii per 40 + 110 = 150 dies *obtinuisse terram*.

Sed: hæc versio Vulgatæ non est accurata: etenim verbum *vajjigbᵉrû* quater occurrit in contextu: v. 18, 19, 20 et hoc v. 24; jamvero tribus vicibus prioribus significat: *creverunt* aquæ; quare nec in quarto loco admittendus videtur sensus: *steterunt super terram*. Deinde *post* 150 dies istos de quibus VII, 24, notatur in c. VIII, 1 s., Deum recordari Noe, et « *clausi sunt fontes* abyssi et cataractæ cœli »; ergo hucusque, per istos 150 dies, *manserant aperti*, ideoque aquæ *debuerunt crescere* super terram per 150 dies.

Alii adniserunt quidem sensum: *creverunt* aquæ, sed hanc proponunt *solutionem*: Aquæ *creverunt* prius *per 40* dies, et fuerunt per eas deleta omnia viventia; ast deinde *creverunt* adhuc per 110 dies, et sic, in summa, verum est dicere eas crevisse per 150 dies. Revera textus nullibi dicit post 40 dies priores aquas jam non crevisse.

Sed: a/ quæritur ad quid aquæ debuissent crescere adhuc per istos 110 dies? Scopus diluvii: deletio omnium viventium, jam erat obtentus per pluvias 40 dierum; deinde *b/* Dominus in c. VII, v. 4 explicite annuntiat: Pluere faciam *per 40 dies*, et delebo omne vivens; et revera in v. 12 dicitur pluviam fuisse *per 40 dies*, et in v. 17 diluvium fuisse *per 40 dies*. Nonne hisce textibus æquivalenter dicitur pluviam et diluvium *per 40 dies tantum* durasse? *c/* Nota in specie quam incongrua secus fierent verba Domini ad Noe: ut obvium erat, et sicut cæteroquin explicite notatur in c. VI, v. 21, deberet Noe pro seipso et familia et animalibus secum afferre *provisionem ciborum*. Quomodo potuisset Deus ipsi dicere: Pluam super terram *per 40 dies*, si revera sciebat pluviam duraturam per tempus multo longius, *per 150 dies?* Quomodo potuisset Noe provisionem suam adaptare tempori per quod diluvium duraret? Unde iterum juxta hunc locum diluvii incrementum *per 40 dies tantum* duravit.

3. **Finis diluvii.**

Duo hic advertenda apparent:

a/ Si narrationem diluvii legis eo ordine quo prostat in c. VIII, mirum videbitur jam hoc: in v. 5 *apparent cacumina montium*, dein transeunt adhuc 40 dies, et Noe aperit fenestram et dimittit corvum: jamvero hic corvus exhibetur ut qui « exit egrediendo et redeundo, donec siccarentur aquæ desuper terram »; quovis modo intelligas hunc textum (1), hoc sane videbitur innui *corvum* initio saltem *non invenire ubi pedem ponat* (2). — Deinde, post 7 dies (3), emittit columbam, et statim notatur in v. 9: « Et *non invenit columba requiem plantæ pedis sui* et reversa est ad Noe in arcam ». Quomodo si jam a 40 diebus apparuerant cacumina montium, corvus primò, — deinde 47 dies post eamdem apparitionem, columba non inveniunt tamen ubi pedem ponant?

Utique *solutionem* proponunt (4) cacumina montium apparuisse, sed ea fuisse adhuc *limo oppleta*, columbam vero abhorrere limum et amare sicca.

Sed: a/ num etiam *corvi* abhorrent limum? *b/* Et an ita essentialis et omnibus notus est columbæ horror a loco limoso, ita ut eo ipso quod non invenerit locum *siccum*, de ipsa potuerit dici: non invenit requiem plantæ pedis sui, i. e. non invenit ubi pedem poneret? *c/* Et undenam desumitur cacumina montium *adhuc semper fuisse limosa*, etsi jam a 40 vel 47 diebus paterent exposita radiis et calori solis et actioni venti istius quem Deus, recordatus Noe, adduxerat super terram (v. 1)? *d/* Et potissimum nonne *ipse textus* indicat omnino aliam rationem ob

---

(1) Intelligit HUMMELAUER: Constanter evolabat et revolabat, arcam circumvolitabat. Intelligi probabilius posset: Constanter volabat omni sensu super faciem aquarum.

(2) Ita HUMMELAUER, p. 270.

(3) Textus quidem hebr. sicut et Vulgata, non habet hoc « post 7 dies »; attamen communis est auctorum sententia illud sensu saltem esse supplendum, ob v. 10 ubi legitur: Et exspectavit adhuc *septem alios dies*.

(4) Ita HUMMELAUER, p. 270.

quam columba reversa fuerit: reversa est quia non invenit ubi pedem reponeret: « *aquæ enim erant super universam terram* » ?

Hujusmodi incohærentia inter v. 5 et vv. 6-9 sponte solvitur in hypothesi *duplicis documenti* diversi, quæ per partes auctor sacer exscripserit et in unum textum adunaverit, ita ut non semper servaverit ordinem chronologicum variorum factorum (1).

4. **Finis diluvii.** b/ Si narrationem c. VIII legis qualis ibi occurrit, advertes: In v. 5 dicuntur apparere cacumina montium; deinde transeunt 40 dies (v. 6) et emittitur corvus, deinde transeunt 7 dies (v. 8), et emittitur columba, dein iterum 7 dies (v. 10), et rursum emittitur columba, quæ revertitur cum ramo olivæ virenti, et Noe intelligit cessasse aquas desuper terram; et exspectat adhuc 7 dies (v. 12), et tertio emittit columbam, quæ jam non revertitur. Et in v. 13 notatur: « Et factum est 601° anno, mense 1°, die 1ª, siccatæ erant aquæ, et removit Noe operimentum arcæ et vidit et ecce exsiccata erat superficies terræ ». Ergo ab apparitione montium in v. 5 usque ad momentum quo Noe in v. 13 videt terram esse siccam defluxerunt $40 + 7 + 7 + 7 = 61$ *dies*.

At vero si sequimur alias indicationes ibidem occurrentes, invenimus in v. 5 apparere montes anno 600°, mense 10°, die 1ª, et in v. 13 Noe videre terram esse siccam anno 601°, mense 1°, die 1ª, ideoque inter utrumque momentum tres menses, seu circiter *90 dies* effluxerunt.

Solutiones propositæ.

Divergentiam vitare conatur Hummelauer ponendo Noe post emissam tertia vice columbam, adhuc exspec-

---

(1) Et huc accedunt quæ, inter alia, jam *S. Augustinus* per modum solutionis proponebat: Hæc difficultas videtur « per recapitulationem posse dissolvi, ut ea *posterius narrata* intelligantur, quæ *prius facta* sunt ». Cit. apud HUMMELAUER, p. 271.

tasse *per 28 dies,* et *tunc* removisse tectum arcæ et vidisse terram esse siccatam.

Sed: a/ quæri potest quare Noe, qui jam ex 2ª columba « intellexit quod cessassent aquæ » et ad quem tertia columba jam nullatenus regreditur, adhuc per 4 integras hebdomadas exspectavisset antequam arcam aperiret et inspiceret terram (1); *b/* de istis 28 diebus nullum habetur vestigium, dum contra explicitam mentionem eorumdem exspectaremus : accurate enim notat auctor sacer prius istos 40 dies, dein 7 alios dies, dein iterum 7 alios, et tandem 7 alios dies, — et istos 28 plane omitteret? Quis de his 28 diebus aliquid suspicari posset? Unde apparent manifeste excogitati ad conciliandam utramque computationem supra descriptam; et certe nihil contradiceremus si rei necessitas probaretur; ast præcise hanc necessitatem non videmus, putamusque omnia apte explicari illis neglectis, per theoriam np. geminæ narrationis.

5. **Numerus animalium.**

a/ Dum in c. VI Deus nuntiat diluvium futurum, in quo universa quæ super terram sunt peribunt, mandat quoque pro tunc ut Noe cum domo sua ingrediatur in arcam, et sic pergit : « Ex omni vivente, ex omni carne, *duo ex omnibus* induces in arcam, ut serventur in vita tecum : masculus et femina erunt. De volucribus in specie sua, et de jumentis in specie sua, de omni reptili terræ in specie sua : *duo ex omnibus* ingredientur ad te ut serventur in vita ». Ni fallimur, sensus solus hic

---

(1) Ait quidem HUMMELAUER : « *Noe, inconsulto Deo, non est ausus arca excedere,* sed integris quatuor hebdomadis in ea perstitit, ut ex emissis avibus ejus excedendi desiderium, *e consequente mora insignem in Deum obedientiam perspicias* ».

Sed: hujusmodi intentio Noe in textu nullo verbo innuitur; præterea illud quod Hummelauer in sua interpretatione debet explicare non est quod Noe exspectaverit per 28 dies *antequam egrederetur de arca*, sed quod Noe post emissam tertiò columbam exspectaverit per 28 dies *antequam removeret operimentum arcæ et videret statum terræ.*

possibilis est ut Noe secum tollat revera *duo animalia, unum par* ex omnibus speciebus.

b/ Contra in c. VII, vv. 2 s., ubi Deus nuntiat diluvium proxime instans, sic ait: « Ex omnibus animantibus mundis tolles tibi *septena septena* (i. e. *septem paria*), virum et uxorem ejus; et ex animantibus immundis *bina bina* (1) (i. e. *duo paria*), virum et uxorem ejus; etiam ex volatilibus cœli *septena septena (septem paria)*, masculum et feminam, ut servetur semen super faciem universæ terræ » (2).

Solutiones hujus divergentiæ fuerunt propositæ variæ.

Ita dictum est in VI, 19 s. sensum esse: Animalia omnia *per paria* ingredientur arcam (3); — vel: ex omnibus animalibus desumenda erunt *utriusque sexus* (4); ita ut hic abstractio fieret a *numero* individuorum, hic autem numerus in c. VII, v. 2 s. indicaretur.

Sed: a/ iterum hæc interpretatio contorta esse apparet; legenti hos vv. unus sensus ut possibilem se præbet, quo *duo ex omnibus* vere significat *duo individua*, masculum et feminam, ex omnibus. *b/* Et *contextus* ad hanc interpretationem cogit: statim enim infra, in v. 21, mandat Deus ut Noe sumat sibi et congreget provisionem escarum quæ tum sibi tum familiæ tum animantibus forent in cibum: quomodo potuisset Noe istud manda-

---

(1) Textus hebr. habet quidem: *bina*, quod esset *unum par*, sed ob parallelismum cum animalibus mundis, omnino præferenda est lectio *bina bina* quam testantur Vulgata, Versio LXX, Pentateuchus Samaritanus et versio syriaca Peschito. Cfr. HUMMELAUER, p. 261.

(2) Expressiones: *septena septena, bina bina,* possent quidem absolute loquendo significare *septem individua, duo individua,* sed in casu nostro certe significant *septem paria, duo paria;* etenim additio singula vice adjecta: *vir et uxor ejus,* ostendit animalia constare ex eodem numero marium et feminarum. Expressio: *septena septena, vir et uxor ejus,* non potest intelligi ut interdum fit (cfr. VAN DE PUTTE, *De Genesi,* 1894): *septem individua, tres mares et tres feminæ, et insuper unus mas qui post diluvium in sacrificium offerendus esset.* Et revera in sequentibus ubi exhibentur animalia arcam ingredientia *ex paribus* constare dicuntur. Cfr. VII, 9, 15, 16.

(3) HOBERG, p. 79.

(4) HUMMELAUER, p. 260.

tum implere, nisi ipsi dictum fuerit *quanto numero individuorum* animalia ad arcam essent ingressura? Nonne ergo debuit in tali contextu mandatum Dei intelligere in sensu suo obvio: duo individua ex omnibus animalibus?

Conclusio ex II. Ex dictis sub II manifeste, ni fallimur, deducitur inter varia adjuncta accidentalia quæ in narratione diluvii referuntur, occurrere divergentias tales ut simul stare non possint, indeque, ut latius exposuimus supra, argumentum solidum desumitur auctorem sacrum non voluisse hæc accidentalia ut historica affirmare (1).

Quæstio proinde hæc ponitur: An necesse est viro catholico, ad salvandum doctrinam de inerrantia S. Scripturæ, recurrere ad varia *tentamina conciliationum* qualia supra quædam retulimus: quæ conciliationes de cætero apparent gratuito inventæ, nequaquam obviæ, imo et textui vim inferentes eique contradicentes? Et ad hanc quæstionem respondemus: Esto! *Si probaretur necessitas* talium tentaminum, libenter eas admitteremus, quum ut certam habeamus absolutam inerrantiam S. Scripturæ; imo potiùs adhuc, rejectis istis solutionibus omnibus quæ fuerunt propositæ, libentius adhuc fateremur nostram ignorantiam et rei difficultatem. Sed, præcise negamus istam necessitatem confugiendi ad talia tentamina, quia prostat *via multo simplicior*: Auctor sacer usus est duplici documento diverso, in quo referebatur idem quoad substantiam factum historicum diluvii, attamen cum adjunctis accidentalibus divergentibus; volebat auctor sacer istud factum referre, non quidem per modum parabolæ aut historiæ fictæ, sed ut vere historicum, simul tamen retulit factum istud, servando ex documentis suis adjuncta ista divergentia, sic clare manifestans intentionem suam non esse ea adjuncta ut historica referendi, sed se ea sic referre, quia sic ea

(1) Supra, pp. 406 ss.

invenit in suis fontibus. Si autem *ipse auctor sacer non intendit ea affirmare ut historica,* jam non tenemur nos ea ut historica habere, nec per doctrinam inerrantiæ S. Scripturæ impedimur quominus admittamus istiusmodi adjuncta non esse historica (1).

Appendix. Quæ exposuimus præbent criticis unum ex præcipuis argumentis ad demonstrandum usum variorum fontium ab auctore sacro. Hujus loci non est hanc theoriam documentorum in Genesi aliisque libris Pentateuchi adhibitorum exponere, multoque minus de ipsa judicium efformare.

Hoc tantum notamus in narratione diluvii distingui *duo* ista *documenta* quæ vocantur *Jahvisticum* (J), eo quod Deum vocet nomine *Jahve* (Vulg.: Dominus), — et *Codex Sacerdotalis* (P = Priesterbuch); in hoc documento Deus vocetur nomine *Elohim,* (Vulg.: Deus).

Quæ duo documenta sic distingui possunt (2):

---

(1) Huc applicare possumus quæ RONGY, *Rev. eccl. de Liège, a. c.,* p. 390 de duplici narratione creationis refert: « Il faut donc renoncer à vouloir établir une harmonie littérale parfaite entre les deux récits, et reconnaitre que l'auteur inspiré n'a pas hésité à reproduire et juxtaposer deux sources différentes malgré les divergences de détail. Cette juxtaposition manifeste suffisamment l'intention de l'auteur de n'affirmer certains details que comme appartenant au cadre littéraire de l'enseignement à donner ».

(2) Nota tamen : a/ ad melius discernenda documenta recurrere oportet ad textum hebraicum, ubi non raro clariora invenies indicia. Ita quod *nomen* Dei spectat, in textu hebraico legimus: *Jahve* (quod Vulg. debuisset pro more suo vertere: *Dominus*) in VI, 5, 6, 7, etc.; b/ nequaquam impossibile est auctorem sacrum retractasse hinc inde sua documenta; illud tamen parce fecerit, ut constat ex omnibus dictis supra; c/ decursu sæculorum forte irrepserint paucæ glossæ vel textuales corruptiones. Sic v. g. satis probabile poterit videri textum primitivi documenti ab Auctore sacro adhibiti, vel textum primitivum ab ipso Moyse descriptum, in VII, 16 habuisse non: Et clausit *Dominus* januam post ipsum (post Noe), — sed: Et clausit *Noe* januam post se. Revera etiam in narratione babylonica diluvii, *Utnapischtim* (qui respondet *Noe* narrationis biblicæ) est qui claudit januam; et totus tenor narrationis biblicæ habet ut ipse Noe ubique *ipse agat,* puta in construenda arca, in inducendis animalibus, in auferendo operimentum arcæ, in emittendis avibus, etc. Cfr. KLOSTERMAN, *Der Pentateuch,* Leipzig 1893, p. 40 (cit. apud ALLGEIER, *o. c.,* p. 28). — Unde mens nequaquam est asserere istam dissectionem documentorum esse in omnibus, etiam ultimis, plane certam.

Ad documentum Jahvisticum, J, pertineant: VI, 5-8; VII, 1-5; 7-10; 12; 17; 22-23; VIII, 2^b, 6-12; 13^b, 20-22.

Ad documentum Sacerdotale, P, pertineant: VI, 9-22; VII, 6; 11; 13-16; 18-21; 24; VIII, 1-2^a; 3-5; 13^a, 14-19; IX, 1 ss.

Hæc duo documenta, ut legenti patebit, singula sibi constantia manent et ab invicem distinguuntur tum lingua seu vocabulario, tum stylo, tum modo exponendi. Ita documentum J constanter vocat Deum nomine *Jahve* (Vulg.: Dominus), dum P ipsum vocat nomine *Elohim* (habes mirum exemplum in VII, 5 collato cum VI, 22; priori loco (J) legis: Et fecit Noe juxta omne quod præceperat ei *Dominus:* altero loco vero: Et fecit Noe juxta omne quod præceperat ei *Deus*, sic fecit); documentum J in iis quæ refert de Deo multo magis indulget *anthropomorphismis* (cfr. VI, 6, (VII, 16), VIII, 20; cfr. quoque secundam narrationem creationis, II, 5 ss., eamque sub hoc respectu compara cum priore narratione, I, 1-II, 4); documentum J computat tempora per 40 et per 7 dies (cfr. VII, 4, 10, 12; VIII, 6, 8, 10, 12), dum P computat juxta ætatem Noe, per annum, mensem et diem (cfr. VII, 6, 11; VIII, 4, 5, 13, 14); documentum J tamquam causam diluvii indicat *pluviam* (cfr. VII, 4, 12, VIII, 2^b), P vero indicat: omnes fontes abyssi magnæ rupti sunt et cataractæ cœli apertæ sunt (cfr. VII, 11, VIII, 2^a).

A. Vander Heeren.

Suprema S. Congregatio S. Officii

(Sectio de Indulgentiis)

I

DECRETUM (1)

seu declarationes circa aliquos spirituales favores Pio Operi Propagationis Fidei concessos.

Ad supremam hanc sacram Congregationem S. Officii, sequentia exhibita sunt dubia, pro opportuna solutione, nimirum:

I. Quando parochus delegavit unum ex suis vicariis, committens ei munus colligendi in sua parochia eleemosynas in favorem pii Operis Propagationis Fidei, uter facultatibus et privilegiis eidem Operi a Sancta Sede concessis fruitur? An solus vicarius? num parochus solus? an vero uterque?

II. In diœcesibus, ubi nullum consilium neque comitatus exsistit, sed solus invenitur sacerdos ab episcopo nominatus tanquam director diœcesanus cum mandato toti huic Operi providendi, gaudetne solus hic director facultatibus et privilegiis a Sancta Sede concessis? An vero episcopus similiter iis fruitur?

Emi ac Rmi PP. Cardinales Inquisitores generales, feria IV, die 25 martii 1914, respondendum esse dixerunt:

Ad I. Tam parochus, cui munus demandatum fuerit in aliqua parœcia colligendi eleemosynas, quam vicarius, cui parochus hoc munus committit, fruuntur facultatibus et privilegiis a Sancta Sede concessis.

Ad II. Non solum sacerdos director, sed et Revmus Epi-

(1) *Acta Apostol. Sedis*, t. VI, 1914, p. 305 sq. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 645 ss.; t. II, p. 496 et t. XV, p. 379 sq. ubi jam proponebatur responsio præsenti decreto confirmata.

scopus gaudent in casu facultatibus et privilegiis a S. Sede concessis.

Et SS^mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii, feria V sequenti, die 26 martii, impertita, benigne sententiam E^morum PP. approbare dignatus est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

II

DECRETUM

Peculiares tribuuntur indulgentiæ Sodalitatibus lectioni S. Evangelii provehendæ institutis (1).

Quam proficua sit inter fideles eorum consociatio ad assiduam provehendam lectionem Evangelii, conspicui probavere fructus indidem procreati. Quæ enim, ecclesiastica favente auctoritate, hucusque surrexerunt, cælestibus visæ sunt benedictionibus fœcundari.

Quo igitur res ista plurimum incrementi capiat, censuit SS^mus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, fidelibus sub Christi nomine in profectum Evangelii confœderatis, Ecclesiæ thesaurum esse opportune aperiendum.

Quapropter, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, die 23 aprilis, anno 1914, Idem SS^mus Dominus omnibus et singulis piis Sodalitatibus, a locorum Ordinariis sive jam canonice erectis sive in posterum similiter erigendis, ea mente ut ejus membra in id conspirent ut magis propagetur ac magis Evangelium, sibique ad hunc finem assequendum proponant: 1° Sæpe incumbere, et si possibile sit quotidie, aliquali S. Evangelii lectioni, utendo editionibus ab Ecclesia probatis, et crebris lucidisque adnotationibus

(1) *Ibid.* p. 306 sq. Utinam hæ Sodalitates inter nostrates erigantur frequentes! Utiliter forsan inciperetur ab optimis inter alumnos collegiorum, scholarum quotidianarum et dominicalium, ab electis juvenibus patronatuum forsan jam in alium pium scopum consociatis (v. g. bond van het Heilig Hert), nova addita præscriptione legendi atque in familiis suis propagandi sacrum Evangelium.

ditatis; 2° Ejusmodi lectionem aliis passim opportuneque commendare; 3° Frequenter invocationem recitare: *Da, quæsumus, Jesu, ut tuo sancto obsequamur Evangelio*, sequentes indulgentias benigne concedere dignatus est: I. Plenarias, defunctis quoque applicabiles, pro Sodalibus confessis ac S. Communione refectis, qui ecclesiam seu sacellum visitaverint, in quo Sodalitas canonice erecta est, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint: 1° Die inscriptionis in Sodalitatem; 2° Diebus festis: Nativitatis D. N. J. C. — Circumcisionis — Epiphaniæ — Paschatis — Ascensionis — Pentecostes — Assumptionis B. M. V. — Cathedræ S. Petri Romæ — Conversionis S. Pauli Ap. — S. Joseph (19 martii) — S. Marci Ev. — S. Jacobi Ap. (1 maii) — SS. App. Petri et Pauli — S. Matthæi Ap. et Ev. — S. Hieronymi — S. Lucæ Ev. — S. Judæ Thaddæi Ap. — S. Joannis Ap. et Ev. — II. Plenariam in articulo mortis, a quibuslibet ex Sodalibus lucrandam, si confessi ac S. Synaxi refecti, vel saltem contriti, SS^mum^ Jesu Nomen ore, si potuerint, sin minus corde, devote invocaverint et mortem tanquam peccati stipendium de manu Domini patienter susceperint. — III. Partialem centum dierum, etiam defunctorum animabus profuturam, pro quolibet pietatis vel caritatis opere, quod Sodales juxta Sodalitii statuta peregerint.

Præsenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Secretarius*.
† D Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

III

DECRETUM (1)

seu declaratio circa inscriptionem et transmissionem nominum fidelium adlectorum in pias Confraternitates.

Cum S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis præposita, die 16 julii, anno 1887, declaraverit, inscriptionem nominum christifidelium, qui in Confraternitates proprie

(1) *Ibid.* p. 307.

dictas cooptantur, esse omnino ad lucrandas indulgentias necessariam; et ex decreto ejusdem S. Congregationis, d. d. 18 augusti 1868, sacerdotes alicujus ex relativis Confraternitatibus rectoris munere carentes, quamprimum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivæ Sodalitatis vicinioris canonice erectæ nomina receptorum, ut in album ipsius Sodalitatis referantur; dubitari cœptum est, an fideles ex ipso die inscriptionis, ad indulgentias lucrandas jus haberent, etsi eorum nomina nondum ad Sodalitatem pervenerint. Et S. eadem Congregatio, diebus 12 decembris 1892 et 15 novembris 1893, affirmativam responsionem protulit. Si tamen, sive ex negligentia, sive ex alia causa, fidelium nomina numquam ad Sodalitatem transmittantur, novum exoritur dubium, an aliquando, et quonam tandem tempore, fideles indulgentiarum beneficio censendi sint decidisse. Qua de re supplicatum est apud SSmum D. N. Pium div. prov. Pp. X, ut mentem suam vellet aperire, et defectus ex hoc capite hucusque per quoscumque sacerdotes forte admissos benigne sanare. Et Sanctitas Sua, in solita audientia, die 23 aprilis 1914, R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, prævia sanatione omnium defectuum hucusque admissorum in inscriptione et transmissione nominum christifidelium, qui ad quamcumque piam Sodalitatem cooptati fuerint, declaravit, firma remanente in conscientia obligatione inscribendi et transmittendi nomina, juxta decreta aliasque S. Sedis præscriptiones, fideles, eo ipso quo a legitime deputato admittuntur, rite adscriptos censeri, ad effectum tantummodo ut indulgentias lucrari aliarumque gratiarum spiritualium participes fieri valeant, etiamsi eorum nomina, quacumque ex causa, in album Sodalitatis relata non fuerint. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S.

D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

IV

DECRETUM (1)

seu indultum circa peragendam sacramentalem confessionem ante diem lucrandæ indulgentiæ constitutum.

Die 23 aprilis 1914.

SSmus. D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, crebriorem cupiens facilioremque usum reddere Eucharisticæ Communionis, et nihilominus aliquando obstare noscens præscriptam eodem die, vel aliquo ex antecedentibus, juxta peculiaria vel generalia S. Sedis indulta, præsertim vero data die 9 decembris 1763 (2) et 11 martii 1908 (3) per S. Congregationem Indulgentiarum, sacramentalem confessionem; firmis remanentibus amplioribus jam factis concessionibus, ac nominatim sub die 14 februarii 1906 (4), per supra dictam sacram Indulgentiarum Congregationem, relate ad eos qui quotidie vel fere Angelorum Pane reficiuntur; benigne concedere dignatus est, ut ad quaslibet lucrandas indulgentias sufficiens habeatur confessio sacramentalis ultimo octiduo ante diem pro lucranda indulgentia designatum peracta; dummodo tamen non oporteat, ut, secundum prudens confessarii judicium, aliquis ex christifidelibus aliter se gerat (5).

---

(1) *Ibid.* p. 308 sq.

(2) Decretum Clementis XIII concedens ut consueta hebdomadaria confessio sufficiat ad omnes et quascumque indulgentias infra hebdomadam lucrandas. Notum est idem privilegium in diœcesi brugensi adnexum esse confessioni quindenali consuetæ (S. Congr. S. Officii 25 februarii 1910. — Ad quinquennium: cfr. *Calendarium* p. 3).

(3) Decreto 6 octobris 1870 concessum erat ut ad confessionem et sacram Synaxim quisque accedere posset *pridie* festi cui indulgentia adhæret. Decreto autem 11 martii 1908 indulgetur ut confessio peragenda si indulgentia pluries eadem die sit concessa, *tribus diebus* immediate præcedentibus, si vero semel in die sit concessa, *duobus* tantum diebus anticipari queat. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XIII, 1908, p. 464 sq.

(4) Privilegium eorum qui quotidie vel fere communicant ut pro lucrandis indulgentiis numquam confiteri teneantur, excepto casu Jubilæi. Cfr. *Collat. Brug.*, t. XI, 1906, p. 272.

(5) Adverte similem favorem pro diœcesi nostra fuisse concessum ad

Præsenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

V

DECRETUM (1)

Peculiares gratiæ spirituales in favorem fidelium societatibus a temperantia vel abstinentia ab inebriante potu adscriptorum decernuntur.

SSmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessori S. Officii, feria V, die 21 maii 1914, impertita, cupiens propensiorem Suam voluntatem erga Societates, a Temperantia vel Abstinentia ab inebriante potu nuncupatas, ostendere, earumque Sodales in provehendo tam salubri proposito alacriores experiri; apostolica auctoritate, benignam de thesauro Ecclesiæ largitionem adaperire constituit, et sequentes indulgentias istiusmodi Sodalitatibus, dummodo a Rmis Ordinariis canonice sint erectæ vel in posterum erigantur, concedere dignatus est:

I. Indulgentias Plenarias. Sodalibus confessis ac S. Communione refectis aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitantibus ibique ad mentem Summi Pontificis orantibus: 1° Die quo Sodalitati nomen dederint. 2° In festo cujusque Sodalitii Titulari. 3° In festo S. Joannis Baptistæ vel Dominica immediate sequenti. 4° Quatuor in anno diebus festis, a Rmis Ordinariis semel tantum designandis. 5° Semel in mense, die cujusque Sodalis arbitrio eligenda, si per integrum mensem orationem aliquam a Rmo Ordinario pro respectiva Sodalitate adprobatam devote recitaverint.

II. Indulgentias Partiales. 1° Septem annorum totidemque

---

triennium *Rescripto Apostolico* 14 maii 1911, v. *Calendarium,* p. 3... « ut confessio peracta..... infra hebdomadam ante aliquam festivitatem suffragari possit ad Indulgentiam eidem festivitati adnexam lucrandam ». Amplior tamen est præsens favor et sic breviter exprimi posse videtur: singula confessio sufficit ad omnes indulgentias lucrandas infra sequens octiduum.

(1) *Ibid.* p. 309 sq.

quadragenarum, quatuor in anno diebus ab Ordinariis semel tantum designandis, quibus Sodales aliquam ecclesiam vel publicum oratorium devote visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, simulque promissionem circa temperantiam vel abstinentiam a potu inebriante ex corde renovaverint. 2° Trecentorum dierum, ab iis Sodalibus lucrandam, qui ebrietati deditos ab hujusmodi vitio avertere conati fuerint, vel aliquem ex iis ut Societati adscribatur adduxerint; aut cœtibus Sodalitatis interfuerint.

Quæ omnes et singulæ indulgentiæ etiam defunctis applicari queunt.

Indulsit tandem eadem Sanctitas Sua ut Missæ omnes, quæ pro anima alicujus Sodalis defuncti a quocumque sacerdote adplicantur, ita illi animæ suffragari possint ac si ad altare privilegiatum celebratæ fuissent.

Præsenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

S. Congregatio Indicis

Decreto 1 junii 1914 (1) in Indicem librorum prohibitorum relata sunt quæ sequuntur opera:

Henri Bergson, *Essai sur les données immédiates de la conscience.* Paris, Félix Alcan.

— *Matière et mémoire; essai sur la relation du corps à l'esprit.* Ibid.

— *L'évolution créatrice,* ibid.

Alois Konrad, *Johannes der Täufer.* Graz und Wien 1911: *donec corrigatur.*

Damiano Avancini, *Modernismo;* romanzo. Milano 1913.

Rafael Uribe Uribe, *De cómo el liberalismo politico colombiano no es pecado.* Bogotá 1912.

Theodor Wacker, *Zentrum und kirchliche Autorität* in opusculo: *Gegen die Quertreiber.* Essen 1914.

(1) *Acta Apost. Sedis,* 1914, t. VI, p. 314.

Ex S. Congr. Rituum

I

DECRETUM SEU DECLARATIO (1).

Circa Propria Officiorum et Missarum.

Evulgatis sacrorum Rituum Congregationis decretis n. 4166 diei 11 augusti 1905 circa editionem et approbationem librorum cantum gregorianum continentium, et n. 4260 diei 24 februarii 1911 circa modum servandum in expetenda approbatione Propriorum alicujus diœcesis, Ordinis seu Instituti cum cantu gregoriano ad normam Gradualis vel Antiphonalis Romani Vaticanæ editionis, sacræ eadem Congregatio opportunum atque utile nunc declarare censuit ac declarat quod tum prædicta Propria cum cantu tum alia Propria sine cantu in triplici exemplari revisioni et approbationi hujus sacri Consilii una cum postulato respectivi Episcopi, Ordinarii vel Superioris subjicienda, tanquam opus non definitivum sed adumbratum atque uti schema manuscriptum etsi typis impressum, esse habenda. Revisione autem peracta et indulta approbatione, unum ex dictis exemplaribus remittetur ad Episcopum seu Ordinarium vel Superiorem cum testimonio authentico revisionis et approbationis, adjecta clausula posse ab iis ad quos spectat, eisdem Propriis approbatis concedi *Imprimatur* in usum respective diœcesis, Ordinis seu Instituti. Hujusce vero Propriii typis definitive impressi, cum testificatione tum approbationis S. Sedis tum licentiæ Ordinarii seu Superioris præfixa, duplex exemplum ad sacram Rituum Congregationem transmittatur.

Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 3 junii 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secret.*

(1) *Acta Apost. Sedis*, 1914, t. VI, p. 316.

II

DUBIA (1).

Sacræ Rituum Congregationi proposita sunt sequentia dubia; nimirum:

I. Qua die recolenda sunt Festa sacræ Familiæ et SSmi Redemptoris, necnon Festa B. M. V. de purissimo Corde, de perpetuo Succursu, de Gaudiis, de Consolatione, de Puritate et Maternitate, ubi ejusmodi Festa ratione tituli vel patronatus aut specialis Indulti celebrari adhuc debeant?

II. Quando in Sabbato sancto distribui potest fidelibus sacra Communio?

Et sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis voto, omnibus perpensis, ita respondendum censuit:

Ad I. Ad majorem uniformitatem obtinendam, non obstante Decreto S. R. C. diei 28 octobris 1913, nisi aliter a sacra eadem Congregatione provideatur, Festum sacræ Familiæ celebretur die 19 januarii — Festum SSmi Redemptoris, 15 julii — et Festa B. M. V. de purissimo Corde, Sabbato post Octavam SSmi Corporis Christi — de perpetuo Succursu, die 27 junii — de Gaudiis, die 27 augusti — de Consolatione, Sabbato post Festum S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. — de Maternitate, die 11 octobris et de Puritate die 16 ejusdem mensis octobris.

Ad II. Juxta praxim et decreta, præsertim decr. n. 2561 *Tifernaten.* 22 martii 1806, licet in Sabbato sancto inter Missarum solemnia (2) sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa (3).

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 28 aprilis 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. MARTINELLI, *Præfectus.*
† PETRUS LA FONTAINE, Ep. Charyst., *Secretarius.*

---

(1) Cfr. *Ephemerides Liturgicæ*, 1914, t. XXVIII. p. 271.
(2) Hoc est ad Communionem Missæ.
(3) Ergo non licet distribuere S. Communionem *ante* missam.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

S. Thomæ Aquinatis: *Quæstiones disputatæ et Quæstiones duodecim quodlibetales;* 5 vol. in-8, Taurini, Marietti, 1913-1914; pr. 12 f. 50.

Hæc secunda Taurinensis editio Quæstionum disputatarum et quodlibetalium S. Thomæ, ad fidem optimarum editionum diligenter recusa, eamdem omnino præ se fert formam ac præcedens editio annorum 1895-1897.

Præter eximiam quam continet doctoris Angelici doctrinam, hæc reeditio tum perspicua textus dispositione, tum claris typographiæ litteris, tum modico simul pretio suo commendabilis apparet.

Romain Rome, O. F. M. *Aux jeunes gens: Soyez chastes;* un vol. in-8 carré de 92 pages; Namur, Godenne, 1914. Prix: 1 f. 25.

L'élégant petit volume que nous présentons à nos lecteurs ne vise point à être un traité complet ni un ouvrage de fond sur la matière qu'il développe. S'adressant spécialement aux jeunes gens, il veut avant tout se mettre à leur portée, et leur présenter des arguments qui leur parlent au cœur en même temps qu'à l'esprit, des comparaisons qui frappent l'imagination tout en persuadant l'intelligence, des mots heureux qui s'ancrent en la mémoire tout en éclairant le jugement.

On peut dire que vraiment l'auteur a atteint son but, et même l'a dépassé; car non seulement les jeunes gens tireront de son livre le plus grand profit, mais encore les éducateurs de la jeunesse, les directeurs de collèges et de pensionnats, les prédicateurs trouveront à y glaner plusieurs belles et bonnes choses.

Trois chapitres partagent l'ouvrage: les attraits de la chasteté — ses principaux écueils — sa meilleure sauvegarde (l'Eucharistie). Sachons gré à l'auteur de ne point s'être borné à développer les laideurs du vice impur, mais d'avoir mis tout d'abord en bon relief les beautés de la vertu angélique; remercions-le d'avoir consacré ses meilleures pages à la communion fréquente, contrepoids par excellence à l'attrait des passions; félicitons-le d'avoir traité ces matières délicates d'une plume toujours discrète et dans une langue soignée, attrayante et vraiment remarquable.

E. Hosten.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Augusti-Septembris.

—

I

In ordine ad difficultates in sequentibus Conferentiis examinandas, institue comparationem inter ea quæ apud quatuor Evangelistas referuntur circa apparitiones Christi redivivi suis discipulis et Apostolis.

II

Expone qua ratione theologia dividatur 1/ in theoreticam et practicam, 2/ in speculativam et positivam.

III

Expone notionem et distinctiones *metus* relate ad contractum ineundum.

IV

Determina influxum *metus gravis* in contractum.

V

Quid est conscientia dubia? Expone discrimen inter dubium conscientiæ speculativum et dubium practicum.

VI

Paucis indica originem et argumentum Sequentiæ *dies iræ*. In quibusnam missis dicenda vel cantanda est? An semper integre?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques,* 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium: 8 fr.; pro clero Belgico: 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix: 10 fr.

Id. *Tractatus de Casibus reservatis necnon de sollicitatione et absolutione complicis,* in-8, XVI-222 p. Brugis, 1914. Pretium 2,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

De Brabandere-Van Coillie. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium.* Editio octava, curante A. De Meester. T. I, pars prior. Brugis, Desclée et Soc., 1913, in-8, 425 p.

*
* *

Is verschenen: **KERKZANGBOEKJE** ten behoeve van de schoolkinderen en van het christen volk. 2e vermeerderde uitgave, bevattende gezangen voor de Mis, het Lof en de Vespers, 72 bl.

Prijs (*netto,* verzendings- en inningskosten niet inbegrepen). 1 tot 10 ex., 0,25 fr. — 10 tot 25 ex., 0,20 fr. — 25 en meer 0,15 fr.

Te verkrijgen bij Z. E. H. De Meester, leeraar Groot Seminarie, Brugge.

Het boekje wordt verkocht ten voordeele van de Missiën.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XIX, pag. 374).

—

Doctrina Rusbrochii de dono intellectus.

Post donum consilii Rusbrochius in eodem libro *Regnum Deum amantium* explicat donum intellectus, brevius tamen quam donum consilii. Contra, in opere *Ornatus spiritualium nuptiarum* fusius agit de dono intellectus; dum consilii donum paucioribus explanat (1).

Igitur, ut integram ejus doctrinam de dono intellectus perspectam habeamus, oportebit utrumque hunc locum præcipue considerare, collatis aliis quibusdam locis, in quibus idem donum attingit; atque rursum præ oculis habita doctrina Magistrorum Scholæ quam de eodem dono agentes exposuimus (2).

Incipimus a libro *Regnum* etc., c. XXXI.

Primo quidem, fere repetens quæ de dono consilii in præcedentibus paginis docuerat, indicat Auctor quomodo efficientiæ doni consilii succedat efficientia doni

(1) Textum hunc de dono consilii e libro II *Orn. spir. nupt.*, c. LXVII, integrum reperies supra tom. XVIII, pag. 563-565.

(2) Tom. XVIII, pag. 601 et sqq.

intellectus, hisce verbis, quæ ex supradictis facile intelligentur:

« Sextum sancti Spiritus donum animam præclare exornans intellectus est. Quando enim quispiam internum Patris percepit attactum, et secundum rationem illuminatus est a Filio, et amoris impatientia accensus est a Spiritu sancto, jam quidem perfectam Dei adeptus est similitudinem; at nihilo minus continenter in virtutibus majorique similitudine crescere potest. Non enim tantum mereri valet, quin Deus multo amplius largiri queat, nec usque adeo intellectu potest esse clarus ac illustris, quin possit a Deo reddi illustrior; neque demum tanto potest esse amore præditus, quin majorem Deus illi infundere queat. At tamen (ut diximus) per internum Dei contactum, et illuminatam rationem, et charitatis ardorem, perfecte Deo similis est. Porro cum secundum animam creatus sit ex nihilo, quod Deus nusquam accepit, ipsum nihilum, quod nusquam est, insequens homo, a se ipso in tantum diffluxit, ut sese amiserit, idque per immersionem in simplicem Dei essentiam, tanquam in proprium fundum suum, estque mortuus in Deo. Mori autem in Domino, est esse beatum. Hoc vero modo singuli beati sunt pro dignitate seu excellentia sua, quæ perquam dissimilis est tam in gratia quam in gloria. Et hæc beatitudo est comprehendere Deum et comprehendi a Deo in fruitiva divinarum personarum unitate, atque per ipsam unitatem in Dei superessentiam fluxisse. Jam quando unitas hæc secundum introversionem et emanationem internam fruitiva, et secundum extroversionem seu emanationem externam fœcunda est, idcirco ipse fons unitatis manat, dum Pater suum gignit Filium, veritatem æternam, quæ est Patris imago, in qua seipsum cognoscit et omnia. Eademque imago vita et causa est creaturarum omnium: siquidem in ea divino quodam modo vivunt omnia; et per ipsam imaginem cuncta perfecte creata sunt, per idemque exemplar cuncta sunt ordinata sapienter, atque per hujus imaginis rationem omnia ad suum sunt accommodata et adjuncta finem, quantum quidem ad Deum pertinet. Unicuilibet enim creaturæ rationali satis præstitum est, ut æternam possit adipisci beatitudinem. Ipsa tamen creatura rationalis quatenus ut creatura

profluxit ex Deo, non est ista Patris imago, quandoquidem ut creatura promanat: atque eam ob rem cognitio et amor illius tum in gratiæ, tum gloriæ lumine mensuram habet. Neque enim divinam naturam quisquam modo divino active possidet, nisi personæ divinæ. Nulla namque creatura modo immenso operari potest. Nam si ejus actio foret immensa, Deus utique et non creatura esset. Per imaginem autem suam Deus creaturas rationales etiam secundum naturam sibi fecit similes; quæ vero se ad ipsum converterunt, multo fecit sibi similiores supra naturam in gratiæ vel gloriæ lumine, singulas pro capacitate, statu ac dignitate sua. Quotquot autem intus divinum sentiunt attactum, et rationem habent illuminatam, ac amoris impatientia præditi sunt, et modinescia eis divinitatis essentia ostensa est, ii omnes in Dei superessentiam fruitive introversi sunt. Et ipse quidem Deus suæ inhæret essentiæ fruitive, et contemplatur eamdem essentiam qua fruitur. Secundum fruitivum modum lux divina continenter in modinescia ipsius essentia occumbit; in intenta vero contemplatione et intuitione non deficit neque succumbit visio: semper enim contemplabimur id quo perfruemur. Qui autem sine intermissione in ipso lumine deficiunt, illi sunt, qui in vastissima divinitatis solitudine fruitive quiescunt, ubi Deus fruitive sese possidet; illic, inquam, deficit lux in quiete et in eo quod modinescium est, in sublimi essentia Dei. Et in hac Deus suusmet thronus est. Et quotquot hunc gradum in gratia et gloria occupant Throni et Tabernacula Dei sunt, mortuique sunt in Deo in æterna requie (1). »

His de dono consilii breviter resumptis statim addit: « Ex hac morte superessentialis proficiscitur vita, quæ est vita contemplativa (God scouwende leven), et hic incipit donum intellectus (2). »

---

(1) Ex versione Surii, admodum paucis mutatis.

(2) Cf. *Comment. in tab. fœderis*, cap. XXVI, ubi similiter ex hac morte oriri ostendit donum intellectus, quod, ait, docet: « nos Deum Opt. Max. in multiplici illius opulentia ac bonitate contemplari ac attendere sive considerare. Estque donum hoc lumen quoddam supernaturale, intellectum nostrum in illius fastigio seu sublimitate illuminare volens, si tamen

Heic diligenter adverte, quando dicitur efficientia doni intellectus succedere efficientiæ doni consilii seu eam excipere, hoc nequaquam ita esse accipiendum acsi tunc cesset seu excludatur efficientia doni consilii, sed ita ut tunc incipiat simul esse seu conjungi utraque. Etenim tria dona consilii, intellectus et sapientiæ Rusbrochius, ut sæpe diximus, ad vitam contemplativæ unionis cum Deo refert, sed diversimode pro diversa eorum natura (1). Sic, ipsa jam efficientia doni consilii in suo gradu superiore requirit, ut vidimus, reditum nostrum ad unitatem essentiali modo consideratam, ut nempe lumen consilii in hoc gradu percipere possimus, hoc est lumen istud quo unionem divinam eligimus præ omnibus creatis. Quoniam autem sic emorimur nobis et cunctis creaturis, jam efficientiam suam habet et

---

ipsi nos intus subrigere ac sublevare, et huic lumini obtemperare velimus. Exigit namque lumen istud ab interiori homine nostro, ut sensus ac sensibiles imagines omnes transcendat et excedat, utque naturæ emoriamur, ac vivamus in spiritu: et ita internus homo ab externo dividitur. Enimvero si sensibiles formas ac imagines excedere, et naturæ mori velimus, jam hanc invenimus lucem, et doni hujus claritudinem in intellectus nostri fastigio ac celsitudine suscipimus. Siquidem moriendo donum hoc intellectus percipimus, et percipiendo naturæ morimur. Hinc vero singularis quædam in nobis excrescit virtus, quæ ex Deo nobisque trahit originem, puta spiritalis sursum tendens appetitus erga Deum, hominem nostrum interiorem pervigilem semper ac vivum efficiens sive conservans. Efficit enim vividus hic appetitus, ut homo nova cum complacentia continenter Deum conspiciat et consideret tum in seipso, tum in multijugis donis illius; et in hac contuitione, naturæ nostræ mortificatio jugiter renovatur: sicque vita spiritus nostri in gratia succrescit, atque per hoc nobiscum lumen perseverat. »

(1) Præter jam dicta de doctrina Rusbrochii circa donum consilii, quod nominatim reditum ad unitatem seu unionem attinet, atque illud « emori multiplicitati omni, emori in Deo, » utiliter heic conferes *Comment. in tab fœderis*, c. 28 et c. 112, ubi rursus videbis Rusbrochium optime sibimet consentire. Sic, hoc altero loco: « Consilii donum cuncta nos abnegare... docet, quo possimus supra omnia in Dei sublevari unitatem sive unum effici cum Deo. Quod quidem tum perfecte adepturi sumus, ubi Christus paternum vultum in gloriæ plenitudine nobis manifeste visendum exhibebit, nosque illius thronus et habitatio in gloria sempiterna effecti erimus. »

donum intellectus, cujus proprium lumen est quo unionis subjectum, Deum, contemplamur, in se et in creaturis perfectioribus ceu imagine Dei (1), atque multijugis donis suis, ut modo supra vidimus ex Rusbrochio, qui et alio loco (2) ait donum intellectus docere « nos Deum contemplari et contueri in seipso et multifariis donis ipsius. » Et rursum (3): « Donum hoc dilucide ac citra laborem divitias Dei contemplari nos docet, et ut Deus per seipsum et cum cunctis donis promanet, utque illi nos intus nobisipsis et cunctis virtutibus, quas præstare possimus, respondere debeamus. » Post hæc verba immediate sequuntur quibus indicat Rusbrochius discrimen donum intellectus inter et donum sapientiæ, quæ quidem verba et nos hic addemus, quoniam ex his formalis distinctio inter triplex lumen, consilii, intellectus et sapientiæ jam nunc indicari poterit amplius declaranda postea. Sunt autem verba hæc:

« Atqui sapientiæ donum nos supra nos ipsos sublevat, facitque nos simpliciter in intuendo colliquescere et in nihilum quasi redigi, ac emori nobisipsis in amore ac unione cum Deo. Atque hoc pacto permultum sane interest inter primum sapientiæ donum quod nos introducit et unit: et istud illi proximum intellectus donum, quod nos adducit seu deducit, et accessum nostrum intus illustrat. »

Hæc ne ita accipias, ac si unio cum Deo nulla sit nisi efficiente sapientiæ dono; hoc enim dictum repugnat aperte doctrinæ expositæ Rusbrochii de donis tum intellectus tum etiam consilii. Sed intellige indicari effectum formalem doni sapientiæ, qui est introducere et unire ipsumque ultimò effectum dare unionis, nempe gustum Dei rerumque divinarum, et juxta hunc gustum,

---

(1) Cf. doctrinam Alberti Magni, tom. XVIII, p. 603 et S. Bonaventuræ, ibid., p. 604.

(2) *Comment. in tab. fœderis*, c. XXVII.

(3) *Ibid.*, c. XXVI.

secundum quamdam connaturalitatem judicare de divinis, ut exponit S. Thomas (1), et ipse Rusbrochius infra de dono sapientiæ agens. Effectus vero formalis seu lumen proprium intellectus est *Deum contemplari in se ac in donis suis suaque imagine*, et hoc sensu deducit ad unionem et accessum illustrat (2), non quasi unio nondum sit, contra, ponitur unio ut talis sit alta et clara intuitio, quæ tamen vice sua ad unionem intimiorem, qualis sapientiæ dono convenit, conducit: est enim unio cum Deo etiam suprema multiplex gradu et intensitate (3). Sicque donum consilii jam unionem supremam cum Deo exigit ut lumen illius in superiore gradu percipiatur; hujus autem luminis formalis effectus est *ut cligamus unionem cum Deo præ cæteris omnibus*. Et hoc quidem lumen facit ut assimilemur Thronis, lumen vero intellectus ut similes fiamus Cherubim, lumen autem et donum sapientiæ nos comparat cum Seraphim, ut docebit Auctor infra. Ibique et hoc scribet, quod tribus donis in unione divina aptatur et trium divinarum Personarum efficientiæ attribuitur: « Cum Pater æternitatis introversam mentem condecorarit fruitione in unitione... ut sit Thronus ac quies Dei [per donum consilii]; Filius etiam, æterna Veritas, exornarit introversum intellectum suiipsius claritate, ad contemplandam faciem illius quo fruitur [quod intellectus donum respicit]; sic et Spiritus sanctus exornare vult introversam voluntatem et unitatem inhærentem virium, ut anima gustet et cognoscat et experiatur quam magnus est Deus [per donum sapientiæ] (4). »

Sed de his nunc satis. Pergamus audire Rusbrochium de dono intellectus:

---

(1) Vid. tom. XVIII, p. 652-653.

(2) Cf. *Comment. in tab. fœderis*, c. XXVII, ubi exponitur discrimen inter donum scientiæ et intellectus; quem textum recitavimus, tom. XVIII, p. 481-482.

(3) Cf. supra, pag. 490, quæ de dono consilii resumendo dixit Rusbrochius in lib. *Regnum* etc., c. XXXI, initio.

(4) Cf. supra, p. 490, textum cit. e lib. *Regnum*, c. XXXI, initio.

« Ex hac morte superessentialis proficiscitur vita, quæ est vita contemplativa (een God scouwende leven;) atque hic donum Intellectus incipit. Itaque cum Deus incessabiliter eamdem, qua fruitur, contempletur essentiam, sicut amoris impatientiam confert, dum sui facit similes: ita quietem et fruitionem præstat eis, quos sibi conjungit et unit. In ipsam autem essentiam immersi et absorpti, nec dare nec accipere noverunt. Et sicut idem ipse Deus rationem tribuit illuminatam, dum sui confert similitudinem: ita immensam præbet claritatem, ubi ad sui unionem admittit. Hæc immensa claritas, imago Patris est; ad quam imaginem nos creati sumus, possumusque excellentius ac sublimius illi uniri, quam vel ipsi Throni, si tamen supra defectum, de quo jam diximus, gloriosam Patris faciem, id est, celsissimam divinitatis naturam contemplemur. Claritas autem ista immensa ac interminata, cunctis fruentibus mentibus communis in gratia et gloria præbetur: et ipsa quidem instar lucis seu claritatis solaris omnibus sese communicat sive communiter manat, non tamen, qui eam suscipiunt, æque omnes illustrantur. Sed sicut Solis radii splendidius vitrum quam saxa, et crystallum quam vitrum penetrant; et ut singulæ gemmæ ad Solis splendorem suam virtutem, præstantiam, nobilitatem et colorem reddunt manifestum: ita ab hac Dei claritate unusquisque pro suæ capacitatis dignitate vel excellentia tum in gratia, tum in gloria illustratur. Sed qui in gratia omnium maximus et præcipuus est, minus illustratus est, quam minimus in lumine gloriæ. Attamen lumen gloriæ nullum est medium inter animam et hanc immensam claritatem; sed status noster atque conditio, itemque tempus et mutabilitas nobis sunt impedimento, et idcirco nos quidem meremur, sed qui in gloria sunt, minime.

Sublimis isthæc claritudo, simplex Dei contemplatio est, nec non eorum omnium, qui fruitive contemplantur, et mentis aciem intendunt in una et cum una eademque incomprehensibili luce, singuli quidem, prout illustrati sunt. Equidem lux ista inexhausta ac infinita, sine intermissione in cunctis lucet mentibus; sed qui etiamnum hanc temporariam vivit vitam, sæpe imaginibus adspergitur, atque ita non semper actualiter per hanc lucem Dei superessentialem substantiam intente contemplatur. Secundum habitum

(weselic) tamen id obtinet, quisquis hoc intellectus donum assecutus est; et quando vult, ejusceemodi contemplationi vacare potest [quatenus in hac vita possibile est]. Atqui cum lux ista, per quam contemplamur, immensa sit, idque quod contemplamur interminatum et infinita quædam abyssus sit, eam ob rem non possunt a se invicem unquam apprehendi; sed intenta contemplatio semper in modinescia divinitatis essentia, in fruitiva celsissimæ majestatis facie versatur, ubi ipse Pater per æternam sapientiam, inexhaustam ac infinitam essentiam suam hac ratione contemplatur.

Quotquot autem ista permanavit ac illustravit Sapientia, Cherubim vocantur, eo quod ad ejus nominis spirituum angelicorum chorum pertineant; atque in omnem æternitatem huic rei vacant, singuli tamen pro sua excellentia ac dignitate: non enim omnes æque sunt illustrati. Nunquam tamen, quantum ad similitudinem attinet, a virtutibus deficiunt, neque ulli desunt creaturæ; atque supra hanc similitudinem sine cessatione in simplicem divinitatis essentiam mentis aciem intendunt.

Deus omnipotens, qui contemplationis Dominus est, sine ulla intermissione et contemplatur et agit.

Christus etiam secundum humanitatem, omnium qui unquam fuerint altissimus fuit et est contemplator secundum creatam animam suam: quippe qui cum æterna Sapientia unum erat, imo ipsa erat et est Sapientia, per quam ista fit contemplatio. At nihilominus idem ipse cunctis semper mortalibus externis charitatis impendendis officiis et actibus satisfecit; et sine interruptione Patris vultum contemplabatur. Et hæc istius doni præstantia ac dignitas est, nempe agere et contemplari, et ab omni impedimento semper manere liberum, quantum quidem fieri potest. Qui ejusmodi sunt, ad eos illa Christi pertinent verba, quibus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Cum enim nullis terrenarum rerum simulacris vel imaginibus adspersi sint, et corporea negligant et flocci pendant oblectamenta, Deique eam, quæ secundum virtutes et justitiam est, sint similitudinem adepti, atque modi nesciam Dei essentiam nude contemplentur: merito beati prædicantur, quandoquidem hæc divina seu deiformis contemplatio est. Satis etiam apposite medio cœlo, quod crystallinum dicitur, possint

comparari : siquidem ut crystallum translucidi sunt summi cœli, id est æternæ Patris veritatis. Ista nimirum (ut diximus) vita est contemplativa superessentialis, ubi intellectus introversus, dono intellectus exornatus est, et ipso Deo, æterna Sapientia. »

Hæc facile intelliget qui præ oculis habuerit generalem Rusbrochii doctrinam jamjam expositam. Hoc tantummodo attendat, contineri in hac explicatione doni intellectus triplicem ejusdem doni efficientiam : videlicet, primo, dare quietem fruitivam ac stabilire spiritum in unitate ; secundo, illuminare ad contemplationem ; tertio, effluere in bona opera atque in charitatem largam in omnes communem. Et secunda quidem efficientia maxime propria et formalis doni intellectus, dum aliæ duæ cum cæteris donis communes sunt, a Rusbrochio in hoc libro *Regnum* etc. ideo præ reliquis latius exponitur.

In opere vero *Ornatus spir. nupt.* easdem tres efficientias singulas distinctim fuse explicat (1), eamdemque comparationem adhibet cum Sole. Sic nimirum, de dono intellectus agere incipiens, loquitur :

« Hoc donum jam ante (2) fonti tribus rivulis dimananti comparavimus : stabilit enim spiritum nostrum in unitate, et revelat veritatem, et largam facit charitatem in communi erga omnes. Hoc donum quoque bene simile est radianti Soli : nam sol radiis suis aërem replet simplici claritate, et illuminat omnes figuras distinctionemque ostendit omnium colorum, sicque vim suam manifestat, et calor ejus communis est toti mundo in utilitate et fœcunditate. »

---

(1) Lib. II, cap. LXVIII, LXIX et LXX (apud Surium) vel c. LXVI-LXVIII (edit. David).

(2) Videlicet eod. lib. II, c. XXXVI et sqq. (ap. Surium) vel c. XXXV et sqq. (edit. David). Hoc in loco videtur tamquam fontem considerare gratiam generalius acceptam, nempe gratiam secundum essentiam et secundum habitum sumptam ; in loco vero de quo agimus considerat, item ut fontem, solum potius donum habituale intellectus.

Deinde, ex ordine triplicem illam efficientiam doni intellectus, triplici in capitulo citato, eadem cum Sole comparatione usus, explicat, ad quem locum lectores remittimus, cum longior sit quam ut eum exscribamus integrum. Ubi tamen adverte Rusbrochium has tres efficientias doni intellectus non tres *gradus* doni intellectus intelligere et vocare, ut perperam vertit Surius et in titulis etiam capitulorum textus flandrici dicitur. Tituli enim non sunt ab ipso Rusbrochio inscripti, qui in textu suo, concludens suam explanationem primæ efficientiæ, sic ait: « Et hoc est primum punctum [non primus gradus], quomodo communis homo [i. e. communi in omnes charitate præditus] stabilitur (in unitate). » Similiter concludit caput sequens: « Hoc est alterum punctum, quomodo communis homo illuminatur. » Neque enim agitur proprie de gradibus doni intellectus, sicut supra de gradu inferiore et superiore doni consilii; sed de diversis efficientiis.

Hæc dicta sint de dono intellectus ad mentem Rusbrochii.

(Continuabitur).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Junii propositas.

—

I

In narrationem Resurrectionis Christi.

Q. *Collatis quatuor Evangeliis, ex ordine expone ea quæ in narratione Resurrectionis Christi referuntur de piis mulieribus.*

R. Non ita obvium est invicem conciliare et in unam narrationem ordinare ea omnia facta particularia quæ ad Resurrectionem Christi referuntur; neque minima est difficultas in ordinandis iis quæ circa partes piis mulieribus attributas in quatuor evangeliis occurrunt. Inter varia tentamina quæ fuerunt proposita, illud proponemus et breviter tuebimur quod omnibus inspectis melius visum fuerit, simul notanda præcipua conamina ab aliis auctoribus proposita.

Istæ partes mulierum referuntur apud Matthæum, c. XXVIII, apud Marcum, c. XVI, apud Lucam, c. XXIV, apud Joannem, c. XX. Brevitatis causa ad solos versiculos horum capitum lectorem remittemus.

Postquam, post mortem et sepulturam Christi, regressæ fuerant piæ mulieres in Jerusalem, per totam diem sabbati ab omni opere servili quieverant, et cum transisset sabbatum, ergo nostro modo computandi, post occasum solis die sabbati, emerant aromata et unguenta eaque pro crastino itinere et scopo præparaverant, ut venientes ungerent Jesum (Mc. v. 1) (1).

---

(1) Recole circa hæc, dicta supra pp. 435 ss.

Die autem dominica (1), valde mane, cum adhuc tenebræ essent (2), mulieres proficiscuntur ad monumentum ut videant sepulchrum (Mt. 1) et ungant corpus Jesu (Mc. 1, Lc. 1).

Erant istæ mulieres plures: « *Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi et cœteræ quæ cum eis erant* » (Lc. 10); inter has cæteras fuerit *Salome* (Mc. 1) (3).

---

(1) Mt. v. 1: *Vespere autem sabbati*, gr. ὀψὲ δὲ σαββάτων, quod melius verti deberet: Transacto sabbato.

(2) « *Cum adhuc tenebræ essent* »: ita explicite notat Jo. (v. 1) tempus itineris a Magdalena assumpti; hoc autem iter, ut infra dicetur, non est distinguendum ab itinere reliquarum mulierum, sed idem est, ad ungendum corpus Jesu. *Profectæ* erant dum adhuc tenebræ essent, ergo quamcitiùs poterant, sed sane non ita cito ut *ad sepulchrum venirent* ante lucem: per tenebras enim non possent operari: unde venientes ad monumentum *vident* lapidem sublatum (Jo. 1). — Similiter notat Lc. v. 1: « *Valde diluculo* »; et Mt. v. 1: « *quæ lucescit in prima sabbati* », gr. τῇ ἐπιφωσκούσῃ (subaudi: ἡμέρᾳ vel ὥρᾳ) εἰς μίαν σαββάτων, i. e. die (vel hora) lucescente in primam diem sabbati. Mc. v. 1: *Valde mane... veniunt ad monumentum, orto jam sole* (gr. ἀνατειλάντος τοῦ ἡλίου: orto sole): istud ultimum satis mirum quidam habent ut glossam, alii textum corrigunt, alii vario modo explicant.

(3) Sane non debebant Evangelistæ omnium mulierum nominum recensere, nec imo numerum accuratum ipsarum; utpote enim scribentes historiam modo quo singuli a traditione illam acceperant et cum solo fine ædificandi fideles et bonum faciendi, satis habere poterant ex pluribus mulieribus quæ de facto adfuissent eas referre quarum nomina in traditione sua invenerant. A Mt. v. 1 citatur: *Maria Magdalene, et altera* (ἡ ἄλλη) *Maria*, i. e. Maria Jacobi et Joseph mater, quæ jam supra fuerat nominata (XXVII, 56 et 61); — Mc. iisdem duabus addit *Salomé*. — Jo. solam Mariam Magdalenam nominat; ast minime intendit dicere hanc solam fuisse ad sepulchrum; sed, ut alibi, supponit narrationem Synopticorum eamque complere et perficere intendit. Juxta Synopticos, si ad litteram sumeres, putares forte mulieres istas, sicut omnes simul tetenderunt ad sepulchrum illudque vacuum invenerunt, ita quoque *omnes simul* vidisse angelos, audiisse Jesum surrexisse et regressas esse ad nuntiandum Apostolis quæ viderant et audierant. — Hæc narratio Synopticorum falsa non erat, sed nec omnino distincta et completa, et in specie, quod Magdalenam spectat, ipsa bis fuit ad sepulchrum, *primo* cum aliis mulieribus, qua vice, sepulchro vacuo reperto, anxia putat et cum aliis consultat nonne forte corpus fuerit ablatum, ipsaque statim ad Petrum et Joannem currit ad rem totam narrandam; *secundo* ad sepulchrum regressa est post

In via loquuntur mulieres de lapide revolvendo, sed dum ad monumentum perveniunt, vident lapidem revolutum (1) (Mc. 2-4, Lc. 2, Jo. 1, Mt. 2). Quo viso, mulieres propius accedunt, monumentum ingrediuntur nec corpus Domini inveniunt (Lc. 3); inter se consultant et concludunt corpus esse furto ablatum, anxiæque inter se quærunt ubinam reponi potuerit (2).

Magdalena statim regreditur, curritque ad Petrum et Joannem nuntiare corpus esse ablatum (Jo. 2) (3). Cæteræ vero mulieres manent, consternatæ (Mt. 5, Lc. 4), et ecce subito ipsis apparent duo angeli (4), qui ipsis timore perculsis (Lc. 5) nuntiant Christum sur-

---

Petrum et Joannem, ibique advenit, cæteris mulieribus jam profectis, et nunc, profectis quoque Petro et Joanne, ipsa iterum ingreditur videtque et ipsa angelos. — Synoptici hæc duo itinera in unum composuerant, Joannes vero ne quis eos male intelligeret, accurate utrumque iter distinxit. — Et quod in specie Jo. bene novit Magdalenam solam non fuisse, illud apparet ex v. 2, ubi Petro et Joanni occurrens ipsa clamat: « *Tulerunt Dominum..., et* nescimus *ubi posuerunt eum* »; dum infra, v. 13, quando Maria secunda vice aderit, et nunc sola, Angelos alloquetur, dicens: « *Quia tulerunt Dominum meum, et* nescio *ubi posuerunt eum* ».

(1) Juxta Mt. v. 2 angelus revolverat lapidem et sedebat super eum; mulieribus advenientibus jam locum mutaverit, et mulieres ipsum reperient in monumento.

(2) Cfr. Jo. 2: Magdalena enim nuntiat Apostolis: « Tulerunt Dominum, et nescimus ubi posuerunt eum » Unde putandum mulieres sepulchrum ingressas esse, vel saltem introspexisse (Lc. 3). Hoc tamen momento Angelos nondum viderunt, siquidem Magdalena Angelos nec vidit nec audivit, ut apparet ex nuntio ejus ad Apostolos.

(3) De silentio Synopticorum, vide supra, p. 500, *nota* (3).

(4) Vario modo solvunt auctores difficultatem petitam ex eo quod juxta Mt. et Mc. mulieres *unum* angelum tantum, juxta Lc. vero *duos* angelos viderint. Omnia tentamina ad hæc duo capita reduci possunt: *alii* ponunt factum relatum a Mt.-Mc. esse *distinctum* a facto relato a Lc., et vario modo componunt historicam successionem eventuum; *alii* vero, et illud omnino præferendum videtur, admittunt Mt.-Mc. ex una parte et Lc. ex altera parte *de eodem facto*, de eodem itinere mulierum, de eadem apparitione loqui; addunt de facto, ut Lc. et etiam Jo. 12 referunt, *duos* angelos adfuisse, Mt. vero et Mc. *specietenus* tantum ita loqui quasi *unus* tantum angelus adfuisset, adeoque ipsos Lucæ non contradicere, quum sensus ipsorum eorumque intentio non fuerit affirmare unum *tantum* adfuisse; quod ulterius vario modo evolvunt.

rexisse sicut prædixerat (Mt. 6, Mc. 6, Lc. 6-8), jubentque ipsas monere Apostolos de resurrectione Christi ipsiusque apparitionibus futuris (Mt. 7, Mc. 7).

Mulieres, auditis angelis, statim exeunt et abeunt perculsæ timore propter ea quæ viderant (Mt. 8[a], Mc. 8) (1), sed gaudio impletæ propter auditum nuntium de resurrectione Christi. Currunt nuntiare visa et audita Apostolis et discipulis. Hi vero credere ipsis recusant (Mt. 8[b], Lc. 9, 11, cfr. 23).

Interea, Petrus et Joannes, audito nuntio Magdalenæ, currunt ad monumentum, illudque et ipsi vacuum inveniunt, videntque linteamina et sudarium. Et revertuntur, putantes et ipsi corpus Jesu esse ablatum (Jo. 3-10, Lc. 24) (2).

Magdalena vero, quæ secuta fuerat Petrum et Joannem, post eorum profectum, respicit in monumentum, videtque duos angelos, quos rogat num ipsi corpus abstulerint; deinde videt ipsum Jesum, eum ad vocem ejus agnoscit, ab eoque audit ut eat et moneat discipulos suos (Mc. 9, Jo. 11-17) (3). — Revera Magdalena ad

---

(1) Id quod Mc. notat, v. 8: *Nemini quidquam dixerunt,* videtur ita intelligendum quod nemini præter Apostolos, puta nemini in via aliquid dixerunt, vel etiam quod timore nimio perculsæ, *initio* quidem nemini quidquam dixerunt. Quod Apostolis nuntium suum detulerunt scimus ex Mt. et Lc., et cæteroquin ægre conciperetur mentem Mc. fuisse affirmare eas non implevisse mandatum ab Angelis acceptum. Cæteroquin fatendum est narrationem Mc. cum v. 8 subito abrumpi, nosque in vv. 9 ss. non habere conclusionem qualem Mc., dum scribebat vv. 1-8, scribere intendebat.

(2) Non allegamus v. 12 ejusdem Lucæ, utpote qui videtur habendus ut glossa. — De vv. 8-9 S. Joannis, cfr. dicenda in fasc. *Collat. Brug.* proximo.

(3) Hic nostro judicio jacet una ex præcipuis difficultatibus narrationis evangelicæ: Mt. enim, in vv. 9-10, videtur referre mulieribus, dum a sepulchro redeunt curruntque ad Apostolos, occurrere in via ipsum Jesum dicentem ut nuntient discipulis futuras suas apparitiones in Galilæa. — Ubinam reponenda et quomodo intelligenda est hæc apparitio Jesu mulieribus? Triplex habetur generalis solutio: *Alii* istam apparitionem reponunt *postquam mulieres ad Apostolos jam detulerant nuntium ab Angelis acceptum;* — sed si mulieres vere jam detulissent nuntium ab

Apostolos tendit (Jo. 18, Mc. 10), sed nec ipsi credere volunt (Mc. 11) (1).

A. VANDER HEEREN.

II

De valore apologetico argumenti desumpti ex pulchritudine doctrinæ christianæ.

Q. *Quid in Apologetica valet argumentum desumptum ex pulchritudine doctrinæ christianæ? An hoc argumentum pertinet ad* methodum immanentiæ?

R. 1. Prædictum argumentum statuit *probabiliter* divinam originem doctrinæ christianæ.

a/ Loquimur nunc de pulchritudine *doctrinæ chris-*

Angelis acceptum, quæritur quare ipse adhuc apparuerit mulieribus eisque iterum imposuerit idem omnino nuntium ad Apostolos deferendum? — Unde *alii* apparitionem reponunt *dum currunt ad Apostolos,* ita ut mulieres simul detulerint ad Apostolos utrumque illud nuntium, tum Angeli tum Christi; — sed si ita, quomodo vespere hujus diei, duo discipuli a Jerusalem tendentes in Emmaus ignorant istas mulieres vidisse Jesum? Bene sciunt mulieres ad Apostolos venisse dicentes sese ad sepulchrum fuisse, corpus non reperiisse, imo « se etiam visionem *Angelorum* vidisse, qui dicunt eum vivere »: ergo mulieres istæ nondum viderant *ipsum Jesum,* siquidem hoc certe, utpote omnium præcipuum, retulissent. — Ultima solutio forte manet, quam proposuerat BACUEZ-VIGOUROUX, *Manuel biblique,* ed. 11ª (1904), n. 432; (cfr. MANGENOT, *La résurrection de Jésus* (Paris, 1910, pp. 259, 275 s.): Matthæus in referendis visionibus quas mulieres acceperunt, non nitide distinguit inter varias mulieres quibus contigerunt: eodem modo quo primo refert « *mulieres* » Magdalenam et Mariam Jacobi, ad sepulchrum venire, sepulchrum ingredi, angelum videre et audire, quin notet Magdalenam jam a primo momento regressam esse, eamque angelum nec vidisse nec audiisse, sic, eodem modo pergit postea referre « *mulieres* » Jesum vidisse et audiisse, quin iterum notet solam Magdalenam adfuisse. — Unde, salvo meliori, præplacet apud Mt. 9-10 referri eamdem visionem quæ refertur apud Jo. 11-17, tamquam factam Mariæ Magdalenæ.

(1) Hoc Magdelenæ nuntium videtur reponendum, non tempore valde matutino, sed tardiori hora, certe autem postquam duo discipuli Emmaus ab Apostolis abierant; isti enim audierant solum nuntium mulierum de visione Angelorum, sed non audierant aliquid de apparitione ipsius Christi. Cfr. dicta *nota* statim supra.

tianæ. Doctrina christiana est complexus dogmatum qua fuerunt vel a Christo primo revelata vel ab ipso iterum proposita (1).

b/ Pulchritudo doctrinæ importat tria: integritatem doctrinalis systematis, coordinationem inter multas veritates, splendorem in illo ipso ordine.

Pulchrum, secundum S. Thomæ doctrinam, est id quod visu (sive sensibili, sive intellectuali) placet (2). Jamvero ut rei apprehensio talis sit ut ipsa cognitio producat illam specialem complacentiam, auctores communiter tria requiri statuunt in objecto, nempe ut sit *integrum,* ut sit quoad partes *bene proportionatum* seu *rite ordinatum,* ut sit *splendens* nempe ut ipsius proportio seu ordo menti affulgeat.

Jamvero si christiana doctrina inspicitur, apparet ipsam constituere *integrum* doctrinale systema in quo edocetur homo de omni necessario ad vitam religiose ducendam: etenim edocet nos de ipso Deo, qualis est *in semetipso,* de ipso Deo quatenus *ad extra operatur,* tum *creando* omnia et specialiter hominem, tum *elevando* hominem ad ordinem supernaturalem, tum post ejus lapsum, *redimendo* per ipsum *Verbum Incarnatum*, tum *justificando* illum per *gratiam,* mediantibus *sacramentis* et *Ecclesia,* necnon integro complexu præceptorum moralium, deinde *remunerando* in æternum qui bene, vel puniendo qui male egerunt. Præterea inter illas tam multas variasque veritates apparet *perfecta ordinatio et connexio* ita ut sese mutuo explicent, et, si una in dubium revoces, multæ vel pleræque ruant. Tandem

---

(1) Non supponitur nunc in *sola* romano-catholica Ecclesia depositum Revelationis integrum custodi, sed assumitur illius Ecclesiæ doctrina quatenus est amplissimum doctrinale systema, etiam quatenus est doctrina illius societatis quæ est præcipua inter omnes christianos cætus.

(2) *Sum. theol.*, I, Q. V, a. 4 ad 1. Cf. ZIGLIARA, *Summa philosophica*[12], Parisiis, 1900, t. I, p. 400; REMER, *Summa prælectionum philosophiæ scholasticæ*, Prati, 1895, t. I, n. 123 ss.; SOUBEN, *L'esthétique du dogme chrétien*, Paris, 1898, p. 297 ss.

splendor illius ordinati systematis maxime affulget ex hoc quod per illud tam profunde essentiam divinam introspicimus, quod tam altas tantoque sapientia et potentia plenas ab Eo operationes cognoscimus, quod hominem ad tam sublimem perfectionem moralem et mercedem æternam vocatur et efficaciter adducitur (1).

c/ Hoc posito sic ratiocinamur: si vires humani intellectus et præsertim status doctrinæ religiosæ ante Christum considerantur, non videtur aliquem merum hominem vel aliquot homines potuisse tam pulchrum doctrinale systema excogitasse: ergo, ut videtur, specialis omnino interventus Dei requiritur tamquam causa sufficiens talis inter homines condendæ doctrinæ. Sic ergo ex ipsa pulchritudine doctrinæ christianæ probabilis infertur conclusio de divina origine ejus.

Ex hoc solo non possumus concludere *totam* doctrinam christianam esse a Deo revelatam et porro credendam: nam non repugnat quod Deus uni viro vel pluribus manifestasset veritates et tamen permisisset ut in ulteriori explicatione erravissent.

2. Illud argumentum non pertinet ad methodum immanentiæ. Nam hæc methodus tendit ad hoc ut homini manifestet ipsum in semetipso experiri indigentiam alicujus quod est supernaturale (2). Argumentum autem propositum totum nititur in *objectiva* pulchritudine doctrinæ et nihil aliud supponit quam hominem esse capacem discernendi hanc doctrinæ indolem (3), et admittere principium rationis sufficientis.

Cæteroquin ipse P. Valensin hoc argumentum clare distinguit a methodo immanentiæ quam exponit: « Ainsi entreprenant d'accréditer le surnaturel auprès des âmes, on ne partira point de *l'objet* pour en démontrer l'exis-

(1) Circa totum argumentum, cf. LINGENS, *Die innere Schönheit des Christentums*, Freiburg i. Br., 1895; SOUBEN, *o. c.*

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 622; t. XIX, p. 441.

(3) Ut patet argumentum de pulchritudine non utiliter proponitur nisi excultis personis.

tence avec toutes les ressources de l'histoire, — pour en signaler les convenances intellectuelles, morales ou *esthétiques...* » (1).

Pulchritudo doctrinæ christianæ pertinet ad criteria *interna religionis,* quatenus nempe ipsi religioni inhærent et ejusdem divinam originem manifestant. Sub hoc respectu ab illis distinguuntur *externa revelationis argumenta*, facta scilicet divina atque imprimis miracula et prophetiæ quæ divinæ revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiæ accommodata (2).

Hæc directe *factum revelationis* demonstrant; criteria vero interna directe *divinitatem* religionis declarant. Etiam ad interna criteria pertinent illa quæ enumerantur in Concilio Vaticano quibus Ecclesia *per se ipsa* est perpetuum motivum credibilitatis et divinæ suæ legationis testimonium irrefragabile (3). Inter criteria interna alia sunt per se sufficientia ut apodicticum constituant argumentum, sunt nempe illa miracula ordinis moralis, ut v. gr. catholica unitas, etc., alia non nisi probabilem conclusionem præbent, v. gr. pulchritudo doctrinæ.

Illa *criteria interna objectiva* semper in usu fuerunt apud apologistas ut rite animadvertit cl. Le Bachelet (4).

J. Van der Meersch.

III-IV

De Contractibus in genere II.

Q. *Cum ad contractum ante omnia* consensus *requiratur, explica quid sit in hac materia* error *substantialis et accidentalis, antecedens et concomitans.*

R. Inter diversa contractus elementa, primarium sane

---

(1) Ap. d'Alès, *Dictionnaire apologétique de la foi catholique,* art. *Immanence,* col. 589.

(2) *Conc. Vatic.*, Sess. III, *Const. de fide catholica,* c: 3: Denzinger-Bannwart, *Enchiridion,* Freiburg i. Br , 1911, n. 1790.

(3) *O. c.*, n. 1794.

(4) Ap. d'Alès, *Dictionnaire* cit., art. *Apologétique,* col. 234.

et essentialem locum tenet ipse *consensus,* quippe qui contractuum omnium veluti anima et forma substantialis est: contractus enim ipsa definitione consistit in consensu seu concordia duarum aut plurium voluntatum in idem objectum seu placitum.

Porro consensus ille, ut a voluntate debite præstetur, quamdam *cognitionem* objecti profecto supponit, quia nihil volitum nisi præcognitum. Et hoc inde loco, partes intellectus inspicientes, de *errore* inquirimus.

Jamvero, ad præsentem materiam quod attinet, *error* seu judicium quo falsum pro vero approbatur, vel substantialis esse potest vel accidentalis; et uterque insuper aut antecedens aut concomitans.

A/ **Error substantialis** dicitur ille qui versatur circa objectum primario et principaliter intentum, seu « qui cadit in aliquid quod est contractui inito essentiale, sive in se sive in intentione utriusque aut alterutrius ex contrahentibus » (1).

Error accidentalis autem ille est qui versatur circa objectum secundario et minus principaliter, vel forsan nullatenus intentum.

Apprime notandum est illud quod in hac materia consensus et proinde erroris discrimen ponit inter substantiam et accidens, esse causaliter quidem *intentionem* contrahentium, non vero ipsius rei pactæ substantiam aut accidens physicum: nisi in quantum partes ipsi substantiæ aut accidenti physico consensum suum alligare (aut non alligare) intendunt. Aliis verbis, substantia spectatur heic moraliter, non physice; adeo ut hoc quod physice purum accidens est possit esse substantiale in intentione contrahentis, et e converso.

Ad rem CARRIÈRE: « *Regula* 1ª. Illud censendum est de substantia contractus, cui utraque, vel alterutra pars, stricte alligat suum consensum. Tunc signum evidens est hoc principaliter in contractu intendi, et

(1) CARRIÈRE, *De Contractibus,* n. 49.

illum effici conditionatum, ac proinde, si deficiat conditio, esse irritum. Illudque verum est, licet conditio illa nonnisi interne apponatur. Reus quidem esse poterit qui eam sic apponit, eo quod forsan alterum decipiat; contractus in foro externo habebitur pro valido; imo altera pars in conscientia non semper tenebitur fidem adhibere ei qui asseret se eam conditionem apposuisse, quemadmodum diximus de consensu ficto (1); sed reipsa invalidus erit contractus, defectu consensus interni.

Hinc si conditio expresse semper apponeretur, nulla esset difficultas: cum vero ordinarie non ita fiat, investigandum est quænam implicite censeri debeant appositæ.

Regula 2ª. Illud censendum est substantiale, cujus defectus rem reddit inhabilem ad finem intentum ab eo qui illam acquirit. Ideo enim fiunt contractus, ut res acquirantur quæ variis usibus inserviant: si his inutiles sint, evidens est censendas esse moraliter diversas.

Regula 3ª. Illud est substantiale, cujus defectus tollit omne motivum rationabile contrahendi. Non enim supponi potest homines absque ullo motivo agere » (2).

Quibus dictis, jam quædam applicationes generales deduci possunt:

1°/ Error circa ipsam *substantiam* physicam objecti, seu circa ipsam materiam contractus, erit generatim substantialis: sic emptio vaccæ loco equi; quia solet hæc physica substantia principaliter omnino a contrahente intendi.

Potest tamen esse accidentalis: ut si quis vere intendat rem præsentem emere, quæcumque sit; putet autem esse talis substantiæ cum tamen sit diversæ.

2°/ Error circa meram *qualitatem* objecti, de se accidentalis est: sic emptio equi senioris loco junioris; aliquando tamen in substantiam redundat seu pro intentione errantis substan-

---

(1) Altera nimirum pars, si bona fide egit, non tenetur soli alterius asserto credere, sed tantum si validis rationibus fulciatur; soli enim unius testimonio, præsertim in causa propria, nondum opus est adhibere fidem.

(2) Ibidem, n. 52.

tialis est, secundum regulas modo expositas. Ita « si domum quæras ad rusticandum, essentialis erit situs ruri » (1).

3°/ Error circa *personam* quacum contrahitur generatim erit substantialis in contractibus gratuitis, cum ordinarie fiant intuitu personæ determinatæ quæ principaliter intenditur; secus vero in plerisque contractibus onerosis, in quibus solet primario respici ipsa res ab altero contrahente præstanda. Exceptiones tamen dantur tam in gratuitis quam in onerosis contractibus (2).

4°/ Error circa ipsam *speciem* contractus erit substantialis: sic si quis putet agi de donatione et agitur de venditione; quia naturaliter cadit in punctum quod in intentione errantis essentiale est.

5°/ Error circa *causam* contractus, seu circa motivum intrinsecum et finale contrahendi, substantialis erit quando versatur circa motivum totale aut saltem præcipuum: ut si quis pecuniam solvat in solutionem debiti non existentis.

B/ Sed præterea, error sive substantialis sive accidentalis **concomitans** dicitur seu *incidens,* si absque illo consensus nihilominus præstitus fuisset: et hoc quidem sive diversis conditionibus, ut sæpius tunc continget, sive iisdem forsan conditionibus; quo ultimo casu error *mere* incidens vocatur.

Antecedens autem est, seu *dans causam* contractui, ille error sine quo contrahens non contraxisset (3).

---

(1) VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia,* n. 308.

(2) Sic jam in matrimonio error circa personam natura sua substantialis est, cum redundet in ipsam materiam contractus principaliter intentam. — Contra in gratuitis: si quis v. g. intentionem habeat donandi eleemosynam pauperi præsenti, quicumque sit, error erit accidentalis si putet ipsum esse Petrum vicinum suum, cum tamen sit Paulus extraneus.

(3) « Hic notandum discrimen inter *errorem* et *ignorantiam:* ignorantia quævis, cum sit merus defectus cognitionis, non impellit voluntatem, sed *sinit* reipsa velle objectum in quantum cognitum, quod forte noluisset si plus de eo cognovisset; error vero, cum sit approbatio falsi pro vero, *facit* velle objectum quale non est (falsum), et impedit velle quale est (verum). In casu itaque ignorantiæ antecedentis adest vera volitio objecti, sive quoad substantiam sive quoad accidens, in quantum cognoscitur, et interpretativa tantum nolitio in quantum ignoratur. In casu vero erroris antecedentis, adest tantum vera volitio objecti, sive hoc

Nota. Insuper distingui potest error **juris** vel **facti**, prout circa jus seu legem versatur vel circa factum tantum.

Causa vero erroris aliquando ipse erit errans: aliquando vero alter contrahens aut etiam tertius quidam, culpabiliter vel inculpabiliter. Quodsi culpabiliter: habetur tunc *dolus,* de quo infra loquendum erit.

Q. *Inde determina influxum* erroris *in contractum, jure tum naturali tum positivo.*

R. A/ **De Jure naturæ.**

1/ *Substantialis* error quicumque contractum reddit jure naturæ simpliciter *inexistentem,* et proinde in foro conscientiæ omni vi destitutum. Cum enim ex una parte illud tunc non verificetur in quod errans consentire voluerit, quodque pro intentione ejus essentiale erat; cumque ex alia parte in præsentem rei substantiam (moraliter sumptam) prout de facto existit nullum dederit consensum, patet concordiam voluntatum in unum idemque placitum nullatenus inter partes fuisse obtentam, et proinde nullam susceptam esse contractus obligationem (1).

Quæ conclusio non tantum ad errorem substantialem *antecedentem* applicanda venit, sed pari modo de sub-

---

substantia sit sive accidens, quale falso putatur adesse, et nulla volitio adest ejusdem objecti, quale reipsa est, imo interpretativa adest ejusdem nolitio. Ex quibus intelliges non valere hanc consequentiam: agens, si tale quid scivisset, non voluisset consentire, ergo consensus ejus involuntarius fuit et proinde non obligans. Nam ulterius videndum est utrum ignorantia fuerit an vero error, an circa substantiam rei an vero circa accidens ». — Illmus Waffelaert, *De Justitia,* I, n. 361.

(1) In dicendis supponimus semper agi de errore *invincibili,* non autem de contrahente quodam qui in dubio versatur; quia si dubitet, ipsius est rem examinare vel saltem explicitas apponere conditiones. Quodsi neutrum fecerit, conscius tamen defectus cognitionis suæ, tunc quidem eodem modo error ille vincibilis in valorem contractus operatur ac error invincibilis; sed pro gradu culpæ suæ tenebitur taliter errans ad resarcienda damna alteri parti ex irritatione contractus oriunda, etiam exequendo contractum, si secus damna reparari nequeant.

stantiali errore *concomitante* prædicanda est : ubi nempe errans dedisset quidem consensum si scivisset, sed reapse non dedit ; aliis verbis contractum fecisset sed non fecit.

2/ *Accidentalis* nunc error, si tantum sit *concomitans,* omnium consensu contractum relinquit jure naturæ *firmum.* Nec enim concordiam impedit voluntatum in idem objectum principaliter intentum, cum circa hanc substantiam error non detur ; nec ipsum consensum vitiat, quippe qui detecto errore nihilominus præstitus fuisset. Aliunde nec sinit securitas commercii ut propter defectum hujusmodi, qui nec causam dedit contractui, incertæ fiant pactiones.

Solummodo si talis error causa fuerit cur pretium ultra justum solutum sit, erit res ad æqualitatem reducenda. Insuper si *culpabilis dolus* intercesserit, damna inde forsan secuta reparanda erunt, ut postea explicabitur.

3/ De errore vero *accidentali,* sed *antecedente* magis controvertitur et est quæstio difficilior : cum falsum errantis judicium causam dederit contractui. De quo puncto sic communius resolvunt :

a/ Ejusmodi error *firmos* quidem relinquit contractus *indissolubiles,* ut matrimonium et professionem religiosam. « Qui enim talem contractum pure et simpliciter init, merito censetur dare consensum eo modo quo postulant natura contractus, ille aut ii quibuscum contrahit, et praxis tribunalium : atqui hæc omnia expostulant ut contrahens habeat voluntatem absolutam et prædominantem ducendi conjugem independenter a dotibus quas in illo existere sibi affingit. Ratio a priori hæc affertur, quod, modo adsit persona quæ intenditur, et apta sit ad fines matrimonii, remanet ratio sufficiens et motivum intrinsecum seu finale matrimonii » (1).

b/ *Invalidat* vero dictus error vel saltem *rescindibiles* (2)

---

(1) Carrière, ibid., n. 56.

(2) « Contractum invalidum esse vel rescindibilem id discriminis habet, quod contractus rescindibilis effectu suo tum tantum caret, quando al-

reddit ad nutum errantis contractus *dissolubiles gratuitos,* ut donationem et promissionem gratuitam. Hinc enim censetur taliter contrahens consensum suum iis omnibus alligare quæ efficaciter illum determinant; illinc autem conditiones quaslibet etiam internas, pro gratuita natura contractus jure suo apponit: cum inde nec alter contrahens nec bonum publicum damnificetur.

Saltem ergo jus habet qui ita erravit ad contractum hujusmodi non servandum; vel ad illum revocandum si jam executioni fuerit mandatus (1).

c/ Tandem error de quo sermo est *firmos de se* relinquit contractus *dissolubiles onerosos:* nam, cum non impediat cognitionem ipsius substantiæ, proinde nec consensum impedit in rem principaliter intentam; et « aliunde exigit bonum publicum et securitas commercii, ut unus e contrahentibus non alliget consensum meris accidentibus, nisi id formaliter exprimat; alioquin incerti efficerentur omnes contractus » (2).

Erranti tamen hoc casu permittit S. Alphonsus (3) cum pluribus ut contractum *rescindat nondum executioni mandatum* (4); quia hanc dicit esse tacitam contrahentium mentem. Requiritur tamen ut damnum præstet quod inde alteri forsan parti obveniet; insuper judicis sententia ad exequendum contractum jure obligari poterit.

Præterea, a firmitate deficiunt contractus cum illo errore antecedente, si et *dolus* culpabilis alterius partis intervenerit, de quo infra; necnon si qualitas circa quam erratur, ab altero

---

teruter contrahentium, in cujus favorem contractus rescindi potest, ut id fiat postulat; neque semper utrilibet hoc jus competit, sed communiter uni tantum ». Lehmkuhl, *Theol. Mor.*, I, n. 1263.

(1) Verum, prædominans voluntas taliter errantis aliquando est ut post factum gratuita collatio nihilominus valeat: ut frequenter eleemosynam tribuens pauperi quia eum erronee reputat pium, secus non daturus, animum habet ut post factum saltem pauper donum retinere possit.

(2) Carrière, *ibid.*, n. 53.

(3) *Theologia Moralis,* III, n. 715.

(4) Exemplum tradit Salsmans, *Rechtelijke Plichtenleer,* n. 196: « Iemand b. v. meent de streek te moeten verlaten en verkoopt daarom zijn huis; doch de reden waarom hij denkt te moeten vertrekken bestaat inderdaad niet; in geweten, mits behoorlijke schadevergoeding aan te bieden, mag hij den verkoop als verbroken aanschouwen, zoolang hij niet door de rechtbank tot ontruiming van zijn huis genoodzaakt wordt ».

contrahente fuerit expresse vel tacite *assecurata,* etsi optima forsan fide: tunc enim sub illa tantum conditione obligatio ab errante suscepta videtur, adeoque *saltem rescindibilis* fit contractus ad nutum decepti.

Verum, contra sententiam hanc communiorem asserunt quidam AA. quos allegat et sequitur VERMEERSCH (1): *omnem errorem antecedentem,* etiam accidentalem tantum, jure naturæ contractum de se *inexistentem* efficere. Secus enim, ut aiunt, inique redundaret ille error in effectum contractus ultra consensum, seu in obligationem suscipiendam majorem quam errans suscipere voluit aut imo potuit (cum nil velle potuerit quod non cognoverit); præterea, addunt, omnis error dans causam contractui dicendus est substantialis relate ad ipsum voluntarium, et proinde substantialiter vitiat consensum. « Qua parte consensus laborat ignorantia, actus non est humanus; quatenus autem sine ignorantia illa non fuisset præstitus, hac ipsa sua parte non humana ingreditur formaliter contractum *in fieri,* et in effectum obligationis (si adesset) exerceret necessariam efficientiam. Quocirca S. THOMAS I-II, q. 6, a. 8 in universum pronuntiat, quod ignorantia *antecedens,* quæ habetur « quando non est voluntaria et tamen est causa volendi quod alias non vellet... causat involuntarium simpliciter » (2).

Cum tamen bonum reipublicæ non sinat tam sæpe nutare contractus, hanc suam theoriam absolvunt prædicti AA. repetendo practicam firmitatem talium conventionum ex ipsorum contrahentium *ratihabitione tacita,* et ipso contractu significata, imo ab ipso jure naturæ imposita quantum ad commune bonum requiritur. « Qui enim diserte consentit, v. g. in venditionem, *simul* tacite dicit se renuntiare beneficio errorum qui ex sensu communi, pro varia contractuum natura, attendi non

(1) Ibidem, n. 308-315.
(2) Ibidem, n. 311.

possunt. Hanc censetur gerere habitualem mentem. Et ex illa tacita et simultanea confirmatione (non erronea) repetimus efficaciam consensus quem per se ducimus esse inefficacem..... Ipsum enim jus naturæ, quippe quæ obstet ne nimis nutent contractus, hanc ratihabitionem imponit. Quod si positive resistat voluntas paciscentis, culpanda erit injuriæ reparandæ » (1).

Apparet ergo quoad praxim, hanc quorumdam opinionem in communem recidere sententiam.

B/ **De Jure civili.**

Cum nonnulla puncta, ad præsentem materiam quod attinet, Codex noster quasi silentio premat, de quibusdam vero aliis non omnino perspicue loquatur, hæc sunt quæ, addita probabiliore jurisperitorùm interpretatione, declarari posse videntur:

1/ Error jure naturæ *substantialis* contractum reddit coram lege civili aliquando *inexistentem,* aliquando *nullum* tantum seu judicialiter annulabilem, ut nempe tunc res a judice examinari possit.

Scilicet a jure civili *inexistens* reputatur contractus ex errore circa ipsam *substantiam physicam objecti* aut circa *speciem* contractus; nec minus legali existentiæ conventionum obstat error circa expressam aliquam *conditionem* aut circa ipsam intrinsecam et essentialem *causam* contrahendi (2). Quibus in casibus confirmari nequit aut legali præscriptione muniri contractus, cum non existat; nec unquam nullitatem pronuntiandam habebit judex, si de his forte coram tribunali contestatio fiat: sed simpliciter inexistentiam agnoscet declarabitque (3).

Contra, error circa *qualitates* quæ pro intentione errantis in ipsam substantiam redundant, necnon error

---

(1) Ibidem, n. 310.

(2) Cf. Aubry et Rau, *Cours de Droit Civil Français,* IV, par. 343; Thiry, *Cours de Droit Civil,* II, n. 571 etc.; Mabille, *Droit Civil* (autographie), livre III, p. 23.

(3) Cf. Ill^mum^ Waffelaert, *De l'obligation en conscience des lois civiles,* p. 42-43.

circa *personam* primario et principaliter intentam, contractum reddunt legaliter *nullum* tantum, seu civiliter existentem usquedum a judice irritetur. Iis enim causis, modo demonstretur error, applicatur art. 1110 (coll. art. 1117), nullitatem decernens ob errorem circa « ipsam substantiam objecti » ut ibidem sensu quodam restricto dicitur, necnon ob errorem circa personam principaliter intentam.

Sequitur sententiam judicis annulantem, illis in casibus ubi certa est inexistentia juris naturæ, expectari nec debere nec posse ut ejusmodi contractus tanquam nullius efficaciæ in conscientia reputentur (1); insuper conventiones illas pro foro interno nullatenus convalidari, si tunc forte loco nullitatis tribunal firmitatem pronuntiaret (2).

2/ Error autem *accidentalis concomitans,* sicut de jure naturæ contractum relinquit *firmum,* sic etiam de jure civili; prout ex verbis art. 1110 facile concluditur. De pretio tamen soluto notetur Codicem exceptionaliter *rescindibilitatem* admittere quorumdam contractuum, etiam sine errore initorum, propter solam læsionem materialem: nimirum propter quamcumque læsionem factam in detrimentum minorennis qui ipse contraxit (art. 1305 s.); et in venditione immobilium, propter læsionem factam in detrimentum venditoris, si læsio superet 7/12 valoris rei (art. 1674). Quæ dispositiones, post sententiam judicis, per se conscientiam ligant (3).

3/ Tandem error *accidentalis antecedens* contractus generatim (4) linquit civiliter *firmos,* ut rursus ex

---

(1) Cf. Illmum Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 365.

(2) Ex alia parte, annullato per judicem contractu ejusmodi, jure potest tribunal compensationem damni decernere solvendam a parte errante alteri parti in bona fide existenti; quod obligat post sententiam.

(3) Item partitio hereditatis rescindibilis declaratur in art. 887, ob læsionem ultra 1/4 partis cuique coheredi obvenientis.

(4) Exceptio quædam exponitur in art. 1641-1649, circa rerum venditarum vitia occulta et redhibitoria, quæ contractum legaliter rescindibilem reddunt non tantum in casu erroris substantialis ad normam art. 1110,

art. 1110 eruitur. Excipe tamen si qualitas de qua agitur fuerit assecurata vel in pactum deducta; aut si intercesserit dolus, de quo postea.

Item sat facile admittetur a tribunalibus errorem ejusmodi, modo demonstretur, ad contractum gratuitum annulandum sufficere; quodsi contra sententia judicis hoc casu pactum firmaret, cum tamen jure naturæ sit certo rescindibile et probabilius inexistens, non obligaret hujusmodi judicium ex justitia.

De reliquo, cum dispositiones Juris relate ad errorem de quo nunc loquimur jus naturæ certum sequantur aut dubium determinent, per se ligat prolata judicis sententia.

Nota. In neutro jure refert an error contractum irritans *juris* sit vel facti; quod pro jure naturæ sufficienter ex dictis constat, et pro civili ex generalibus art. 1109 et 1110 verbis deducitur.

Exceptionem tamen invenire est in Codicis art. 2052 circa contractum transactionis, quem legaliter firmum manere, nonobstante juris errore, expresse statuitur.

E. HOSTEN.

V

De Notione Legis II.

Q. *An et quomodo lex pertinet etiam ad voluntatem?*

R. Non una est philosophorum catholicorum senten-

---

sed etiam interdum in casu erroris accidentalis antecedentis aut imo concomitantis. — Sed *regula* est errorem ejusmodi legalem firmitatem contractum non impedire, ut exponit SALSMANS, o. c., p. 152: « *Een bijkomende dwaling*, d. i omtrent alle omstandigheid of hoedanigheid die niet tot de zelfstandigheid der overeenkomst behoort, wordt *door ons recht* in den regel niet in aanmerking genomen, tenzij in geval van *bedriegerij*. En wel terdege, want het ware wezenlijk al te gemakkelijk, om een onaangenaam kontrakt van zich af te schudden, voor de rechtbank te komen beweren, dat men om deze of gene geringe reden nooit het kontrakt zou hebben aangegaan ».

tia circa partem quam habet voluntas in ratione legis. S. Bonaventura, Scotus, Suarez aliique docent legem esse formaliter actum voluntatis; Becanus et Castropalao esse ex æquo rationis et voluntatis. Communior tamen est sententia Thomistarum, juxta quam « *Lex est essentialiter aliquid non voluntatis, sed rationis, præsupponens tamen motionem voluntatis* » (1).

Hæc thesis, quæ nobis etiam verior videtur, juxta S. Thomam ejusque commentatores, demonstrari potest modo qui sequitur:

Iª Pars: *Lex est essentialiter aliquid non voluntatis, sed rationis.*

1/ Illud assertum cum Lezana (2) jam probatur ex hoc quod nullus est actus voluntatis in quo lex possit consistere, unde concluditur ipsam formaliter consistere in solo actu intellectus. « Consequentia patet, et antecedens probatur discurrendo per omnes actus voluntatis, qui in legislatore possunt reperiri. Primus est quo vult legem ferre; secundus quo vult fieri id quod sancitur; tertius quo vult obligare subditos ad aliquid faciendum. Jamvero non potest lex consistere in primo actu, quia ille est causa legis, habens ipsam pro objecto, non ergo est ipsa lex; nec in secundo, quia lex posset subsistere etiamsi legislator ex sua malignitate nollet fieri id quod lege sancitur; multo minus si propter aliquam justam rationem id nollet...; neque in tertio, quia velle obligare subditos non est ipsum vinculum, aut obligatio subditorum, sed supponitur ad illud tanquam causa et

---

(1) Cfr. Suarez, *De Legibus*, lib. I, cap. V. Ipse Suarez in n. 22, judicium ferens de tota controversia, tres expositas sententias *probabiles* reputat, et in n. 23 infert « neutrum modi loquendi illarum opinionum posse efficaciter probari », tamen subjicit: « addo tertio, spectando ad rem ipsam, melius intelligi, et facilius defendi, legem mentalem (ut sic dicam) in ipso legislatore esse actum voluntatis justæ et rectæ, quo superior vult inferiorem obligare ad hoc vel illud faciendum ».

(2) *De Leg.*, Disp. I, q. 1; cfr. P. Marcellus a Puero Jesu, *Philos. Moralis et Socialis*, Burgis 1913, p. 264.

applicatio ipsius et includitur in ipso; sicut velle aliquid ligare non est ipsum ligamen aut vinculum, sed causa vel applicatio ipsius, quæ in ipso ligamine *in executione posito* includitur. Cum ergo lex sit tale vinculum seu obligatio, non consistit formaliter in eo actu voluntatis. Adde, quod lex injusta supponit voluntatem iniquam legislatoris obligandi ad illam et tamen ipsa vel non est vera lex, vel non habet effectus legis veræ; lex ergo non potest consistere essentialiter in hoc actu voluntatis, qui est velle obligare. »

2/ Sed etiam et præsertim primum nostrum assertum demonstratur (uti jam fecimus partim in responso præcedenti) (1), ex ipsa analysi actus imperii quam refert S. Thomas in 1ª 2ᵃᵉ, q. XVII, a. 2.

Imperare tria dicit: primum, ordinare eum cui imperatur ad opus faciendum et media hic et nunc exequenda ad finem consequendum; secundum, intimare seu denuntiare opus faciendum; tertium, movere eum cui imperatur ad operis executionem. Jamvero: 1º *ordinatio* importat collationem unius ad alterum, quod est proprium rationis; 2º *intimatio* est locutio, actus nempe quo ratio unius dirigit se ad rationem alterius; 3º *motio* vero pertinet ad voluntatem, quia in viribus animæ primum movens quoad exercitium actus est voluntas.

Imperium est igitur actus compositus ex elementis spectantibus ad diversas potentias. Sed hujusmodi actus pertinet essentialiter et elicitive ad illam potentiam cujus est materialiter, seu quantum ad substantiam actus: sic actus pingendi qui procedit a manu materialiter, a voluntate formaliter, dicitur opus manus, non voluntatis.

Atqui in imperio id quod pertinet ad rationem, nempe *ordinatio intimativa*, se habet ut materia; id vero quod pertinet ad voluntatem ut forma. In actu enim composito, quod est a superiore potentia se habet ut formale,

---

(1) Supra p. 457.

quod vero ab inferiore ut materiale et substantia actus. In imperando autem voluntas concurrit ut superior potentia, quia est primum movens ad exercitium.

Imperium igitur pertinet essentialiter et elicitive ad rationem, non ad voluntatem; idemque dicendum est de lege quæ est aliquid per actum imperii constitutum (1).

IIª Pars. *Lex, si non est essentialiter aliquid voluntatis, præsupponit tamen actum voluntatis.*

Hoc alterum assertum jam probatur ex argumento præcedenti. Imperium, ut diximus, importat motionem; sed, ut egregie ait S. Thomas, « primum movens in viribus animæ ad exercitium actus est voluntas. Cum ergo secundum movens non moveat nisi in virtute primi moventis, sequitur quod hoc ipsum quod ratio movet imperando fit ei ex virtute voluntatis ».

Ratio igitur movet imperando, quatenus *præcedens* actus voluntatis, id est electio, virtute manet in sequente actu rationis. Non tamen imperium est motio ordinativa, id est motio subsequens ordinationem rationis, sed est essentialiter ordinatio movendi capax ex præcedente electione virtualiter remanente in dicta ordinatione (2).

Conclusio. Principali igitur quæsito responderi potest: omnis lex profiscicitur etiam a voluntate legislato-

---

(1) Cfr. LEHU, *Philos. Moralis et Socialis*, t. I, n. 110 et 290; BILLUART, *Tract. de actibus humanis*, Diss. III, art. VII, § 2.

(2) In *Commentaire français littéral de la Somme Théologique*, t. VI, p. 441, ita egregie concludit R. P. PÈGUES: « Ainsi donc l'acte de commandement implique deux choses: une fixation préalable de la volonté relativement à la fin qu'il s'agit d'obtenir et aux moyens à prendre pour obtenir cette fin; puis, et ceci est l'acte essentiel du commandement, une intimation faite par la raison qui notifie aux puissances d'exécution la mise en œuvre de ces moyens. Sans cette intimation ou notification, on n'aurait pas de commandement; il pourrait y avoir motion, application à l'acte, impulsion, et ceci peut appartenir en propre à la volonté; mais, pour avoir le commandement il faut une motion par mode de notification; ce qui exige nécessairement l'intervention propre de la raison. — Toutes les objections qu'on peut faire contre la thèse de saint Thomas se résolvent d'elles-mêmes, si l'on prend garde à cette distinction marquée avec tant de netteté par le saint Docteur lui-même ».

ris (1), sed tantum quatenus « præsuppositive illam includit » (2). Non autem est essentialiter aliquid voluntatis, ideoque — ut ad nostram classicam definitionem redeamus — recte posuit S. Thomas in definitione legis rationem et non voluntatem: posuit enim id in quo consistit essentia legis.

VI

De obligatione parochi prædicandi verbum Dei.

Q. *An et quo jure tenentur parochi per seipsos prædicare verbum Dei.*

R. Prædicatio verbi Dei et instructio fidelium religiosa, quæ ad præcipuas partes muneris parochialis pertinent, parocho incumbunt tum *jure divino*, tum *jure ecclesiastico*.

I. Jure divino, tum publice, tum privatim datis occasionibus, tenetur pastor, sicut omnes qui curam animarum habent, *oves suas verbi divini prædicatione pascere*. Ita tradit Conc. Trid., sess. XXIII, cap. 1, *de reform.*, et res patet. Cum ipso enim suo officio parochiali partem in se susceperunt parochi universalis illius muneris, quod Ecclesiæ incumbit, spargendi et conservandi Fidem. Et profecto, Ecclesia pro *sua divina missione* universam religionem christianam *docere debet* omnes homines, ut fide illustrati et baptismate abluti societati religiosæ a Christo fundatæ uniantur. Ipsos quoque fideles baptizatos, ut in vera fide, quæ est argumentum rerum sperandarum et omnis sanctitatis fundamentum, integre conserventur et augeantur atque contra pericula defendantur, continuo exercitio magisterii ecclesiastici instruere tenetur (3). Quo vero modo hanc potestatem

---

(1) S. Thom. 1-2, q. 97. a. 3.
(2) Billuart, *o. c.*, *Tract. de Legibus*, Diss. I, a. 1.
(3) Wernz, *Jus Decr.* t. III, p. 4.

et munus magisterii exerceret Ecclesia, hoc Christus Dominus ipsi determinandum reliquit; itaque:

II. **Jure ecclesiastico** munus prædicandi, quod parochos gravat, urgetur et magis determinatur. Disciplina autem hodie vigens præcipue nititur Tridentina Synodo, quæ Sess. V, cap. 2, *de reform* ita sancivit (1): « Quicumque parochiales, vel alias curam animarum habentes ecclesias quocumque modo obtinent, *per se vel per alios idoneos*, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis ».

Porro ex hoc loco (præter determinationem aliarum circumstantiarum de quibus infra dicemus) (2) habemus responsum principali quæsito, nempe *munus prædicandi esse parochis personale, nisi legitima habeatur excusatio.*

Id enim merito infertur ex citato capite Tridentinæ Synodi, ubi non dicitur simpliciter « per se vel per alios », sed huic membro disjunctivæ « vel per alios » apponitur restrictio « si legitime impediti fuerint ». Quæ restrictio iterum recurrit Sessione XXIV, capite 4, ubi sic habetur: « In aliis autem ecclesiis prædicationis munus exerceatur per parochos, sive, *iis impeditis*, per alios » (3).

Mens igitur fuit Concilii ut pastor gregi suo invigilet et illum per seipsum *regulariter* erudiat, et jure merito, siquidem parochus melius novit qua doctrina populus indigeat, quæ vitia in eo dominentur, quibus mediis ab iis defendi debeat (4).

---

(1) Conc. Trid. de hac obligatione principalissima parochi non semel sed quatuor vicibus mentionem fecit, nempe etiam Sess. XXII, c. 8, *de ref.* et Sess. XXIV, c. 4 et 7, *de reform.*

(2) In fasciculo proxime futuro *Collat. Brug.*

(3) Bouix, *De Parocho*, pars V^a^, c. IX, n. 2. Cfr. etiam De Brabandere-Van Coillie, n. 458; Van den Berghe, *Tract. autogr. de Parocho*, n. 133. *Nouvelle rev. théol.*, t. XXIX, p. 8 et seq.; præsertim Berardi, *De Parocho*, p. I, c. 4, necnon ejusdem auctoris *Praxis Confessariorum*, n 745 seq.

(4) D'Abreu, *Institutio parochi*, lib. V, c. 2, n. 12.

Sunt tamen, ut ipsum Concilium affirmat, causæ quæ a munere personaliter implendo parochum excusare possunt. Tacente Concilio, tanquam legitimæ a probatis auctoribus (1) habentur causæ quæ sequuntur:

1/ *Absoluta vel moralis impossibilitas.* Ita infirmitas aut defectus loquelæ, incapacitas loquendi juxta populi idioma, prout in locis missionum interdum accidere potest, necessitas attendendi aliis officiis et inde sequens defectus temporis ad se præparandum. Hæc tamen ultima causa, ut notat Berardi (2), poterit quidem excusare pro aliqua vice non vero frequenter, poterit excusare a formali prædicatione non a parva exhortatione vel instructione habenda.

2/ *Absentia legitima.* Notum est Conc. Trid. curam animarum habentibus quamdam permittere absentiam, ea conditione, ut « causa prius per episcopum cognita et probata, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum, debita mercedis assignatione relinquant » (3). Hinc sequitur parochos debere ideoque posse procurare ut prædicationis officium ab alio assumatur (4).

3/ *Obligatio canendi Missam conventualem,* si parochus esset etiam canonicus; nam in hoc casu jam excusatur ab officio magis stringente celebrandi personaliter pro grege (5).

4/ *Major populi utilitas.* Si nempe major fructus speretur a prædicatore alieno, hic interdum, non vero frequenter, admitti potest.

---

(1) Vide præsertim Berardi in *l. c.*

(2) *De Parocho,* n. 128. Apposite etiam D'Abreu, *l. c.,* n. 13: « Si tamen potest, etiam cum labore aliquid dicat ad populi instructionem; brevitatem enim excusabit lassitudo. Si autem vere non possit præ nimia lassitudine, vel non habuerit tempus ad recolenda præparata, excusabitur; quia difficilium eadem est ratio ac impossibilium ».

(3) Sess. XXIII, cap. 1, *de reform.*

(4) Bouix, *l. c.,* n. 10.

(5) De Brabandere-Van Coillie, n. 447. Similiter dicendum et propter idem motivum de parocho, qui præfectus est duabus parochiis non unitis unione extinctiva et plenaria.

Hæc igitur sufficere possunt ut parochus, non quidem perpetuo, sed identidem prædicationis onus aliis idoneis committat; quamvis enim valde intersit ut grex pastoris vocem audiat, tamen substantia est ut pabulum gregi non desit. Ideoque etiam nemo est qui non videt, cessante obligatione personaliter prædicandi, statim urgere obligationem supplendi, nisi de una dumtaxat vel altera vice ageretur et qui suppleat in promptu non sit vel commode haberi non possit (1). Si vero impedimentum prævideretur diuturnum, tunc certe, etiam cum notabili incommodo quæri deberet qui vices gerat. Multum enim semper institit Ecclesia in hoc ut fierent prædicationes in ipsa parochia; signanter Innocentius XIII in Constit. *Apostolici Ministerii* redarguit parochos qui se exemptos prætendunt a præcepto Concilii, sive *immemoriali consuetudine,* quæ potius corruptela est, sive *frequentia concionum* quæ in aliis ecclesiis habentur, sive *exiguo numero* parochianorum (2).

R. De Schepper.

(1) Ita Berardi, *Praxis Confess.*, n. 747.
(2) Cfr. De Brabandere-Van Coillie, *l. c.*

ACTA PII PP. X

EPISTOLA (1).

AD R. P. CLEMENTEM A SS. FAUSTINO ET JOVITA, PRÆPOSITUM GENERALEM, ET UNIVERSUM ORDINEM FRATRUM CARMELITARUM EXCALCEATORUM, TERTIO PLENO SÆCULO AB HONORIBUS CÆLITUM S. THERESIÆ TRIBUTIS.

Quemadmodum jam plures sanctos

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Ex quo Nostræ humilitatem personæ ad fastigium Pontificatus evexit divina benignitas, hoc Nobis pro Apostolico officio cum primis duximus faciendum, ut quandocumque sollemnis se obtulisset occasio ad celebrandos filios Ecclesiæ, virtutum splendore, doctrinæ laude rerumque gestarum gloria maxime nobilitatos, ea Nos perdiligenter uteremur. Cum enim ad movendos animos multo plus facta quam verba valeant, semper Nobis persuasum fuit, illi proposito, quod urgemus, instaurandi omnia in Christo, non tam hortamenta Nostra conducere, quam exempla eorum, qui studiose in Christum

(1) *Acta Apostol. Sedis*, t. VI, 1914, p. 137 ss. Cum delectatione legent sacerdotes ipsi et cum fructu fidelibus communicabunt quas Ss. Pontifex ante paucos menses scripsit litteras in laudem S. Theresiæ occasione tertii expleti sæculi inde ab ejus beatificatione elapsi. Præclarum exhibent compendium totius ad altissimam usque perfectionis christianæ eximio matris legiferæ Carmeli reformati vitæ exemplo expressum. S. Theresia, ut noverit lector, nata est Abulæ (Avila) 28 martii 1515. Octodecim annos nata in eadem civitate ordinem Carmelitarum Calceatarum ingressa per triginta annos illic commorata est, donec anno 1562-1563 ibidem initium fecerit emendandi Ordinem seu ad veterem severiorem disciplinam reducendi. Albæ defuncta 4 octobris 1582, anno 1614 a Paulo V in beatorum numerum relata, brevi « Regis æternæ gloriæ » dato 24 aprilis, et in sanctorum catologo adscripta est a Gregorio XV bulla canonizationis data 12 martii 1622. Ejus festum colitur postridie obitus (4 octobris) id est **15** octobris: hoc scilicet anno 1582 Gregorius XIII calendarium reformando decem dies suppressit a 5 ad 14 octobris inclusive.

ipsum, imitationis causa, intuentes, ejus in se formam sanctitatis mirifice expressissent. Itaque in sæcularibus sollemnibus Gregorii Magni (1), Joannis Chrysostomi (2) et Anselmi (3) Augustani litteras ad orbem catholicum dedimus, quibus eorum laudes persecuti sumus: similiterque haud ita pridem Caroli Borromæi (4) celebrem commemorationem egimus, tertio exeunte sæculo postquam in Sanctorum numerum est relatus.

Gregorium Magnum, Joannem Chrysostomum, Anselmum, Carolum Borromæum,

Jam sollemnitatem id genus, dilecti filii, inclyto Ordini vestro proximus aprilis allaturus est, quod ipsos trecentos ante annos decessor Noster Paulus V beatorum cælitum honores Theresiæ, Matri legiferæ, decrevit: vosque, ut affertur, in generali cœtu Ordinis, suscepistis nuper consilium, actuoseque paratis lætabilis facti memoriam sollemnibus sacris ac multiplici gratulantis animi significatione prosequi. Hoc enimvero Nos admodum probamus, libenterque, totius Ecclesiæ nomine, domesticæ lætitiæ vestræ venimus in partem. Nam commune orbis catholici decus et lumen, idque e præclarissimis, quibus ipse ornatur, non sane postremum Abulensis Virgo est; quam: « Dominus » implevit spiritu sapientiæ et intellectus et thesauris gratiæ » suæ adeo illustravit, ut splendor ejus, tamquam stella in » firmamento, fulgeat in domo Dei in perpetuas æternitates » *(Bull. Canoniz.)*. Ita Gregorius XV de Theresia, et verissime quidem, prædicavit: tanta enim tamque utilis ad salutarem christianorum eruditionem fuit hæc femina, ut magnis iis Ecclesiæ Patribus et Doctoribus, quos memoravimus, aut non multum aut nihil omnino cedere videatur.

ita nunc S. Theresiam celebrare gestit S. Pontifex.

Commune illa orbis catholici decus

Etenim ad cæleste magisterium, quod gessit, sanctæ disciplinæ, mirum in modum ipsa eam natura conformavit. Singularis erat et acies mentis et magnitudo benignitasque animi et judicii constantia et rerum hominumque prudentia, nec minus jucunditas ingenii et morum suavitas, quæ om-

tum dotibus naturæ,

(1) In encyclica *Jucunda sane,* 19 martii 1904, *Collat. Brug.*, t. IX, p. 289 ss.

(2) Oratio Ss. Patris ad episcopos et prælatos orientales Romæ congregatos, 12 februarii 1908. *Il monitore ecclesiastico,* t. XX, 1908-09, p. 67 ss.

(3) Encyclica *Communium rerum* 21 aprilis 1909. *Acta Apost. Sedis,* t. I, 1909, p. 333 ss.

(4) Encyclica *Editæ sæpe,* 26 maii 1910, *Collat. Brug.*, t. XV, p. 385 ss.

tum præprimis donis gratiæ.

nium illi animos conciliaret. Sed multo admirabiliora his naturæ bonis illa erant supra naturam. Non paucos quidem vitæ sanctimonia divinarumque rerum scientia præstantissimos viros hæc habuit æquales — adeo ut illa Hispaniæ catholicæ ætas aurea recte nominari possit; — at quibus, ex eo numero, consiliariis aut familiaribus uti consuevit, eorum omnium in se virtutes et charismata cumulasse dicenda est.

Longum profecto est et alienum proposito, si, quæcumque in hac femina eluxerunt, persequi omnia scribendo velimus; sed tamen nonnulla de virtutibus ejus vobis proponere, dilecti Filii, quæ et ipsi non sine fructu recolatis, et per vos christianus populus addiscat, valde his temporibus opportunum arbitramur.

Fides ejus vivida catholica.

Ac primum omnium, cum videmus, quæ modulum rationis humanæ superant quæque angustum sane naturæ gyrum excedunt, ea nunc a tam multis temere negligi, aut etiam pervicaciter, ut nulla, contemni, juverit recogitare quanta Theresiæ fuerit Fides. Quæ cum sit *sperandarum substantia rerum,* id est quasi radix quædam in homine divinæ ac cælestis vitæ et fundamentum quo tota christianæ perfectionis tamquam fabricatio nititur, mirabile est quomodo hæc ex fide viveret, et sola fides omnia ipsius consilia, verba, factaque gubernaret. Ecclesiam igitur, magistram veritatis, nemo obedientius coluit, nemo doctrinis ejus adhæsit firmius: atque non modo nec hæreticorum fallaciis nec diaboli insidiis unquam commoveri potuit; sed etiam scriptum reliquit, si aut aliquis angelus aut missa de cælo vox quid sibi nuntiaret credendum quod cum Ecclesiæ doctrina parum congrueret, nequaquam se fuisse credituram. Quare paratissimam scimus fuisse millies mortem oppetere, si opus esset ad defensionem fidei: neque enim quicquam ei erat tam perspicuum atque evidens, quam christianorum veritas dogmatum; quæ quidem quo humanæ mentis acumini impenetrabiliora erant, eo vehementius in ea Theresiæ assensus ferebatur.

Fides erga Ss. Eucharistiam.

Itaque ad Sacramentum augustum cum accesserat, sic animo affici videbatur, quasi in contemplatione tanti mysterii toto pectore conquiesceret: nempe, ut idem Gregorius decessor Noster ait, « Domini nostri Jesu Christi corpus in sanc-
» tissima Eucharistia mentis oculis adeo clare intuebatur,

» ut assereret nihil esse quod invideret eorum beatitudini » qui corporeis oculis Dominum conspexissent » *(Bull. canoniz.)*. Ac merito suæ fidei consecuta etiam est, ut arcana Dei, vel altissima omnium longissimeque ab hominis intelligentia sensuque disjuncta, cum penitus, quoad humana mens in hac mortali concretione potest, introspiceret, tum percommode interpretando explanaret: in quo non absurde iis, quibus magistris pietatis utebatur, visa est comparanda cum Moyse, cui licuit alloquio aspectuque Dei ipsius frui.

Mysteriorum intelligentia.

Hoc tantum Fidei donum quam vehementer cuperet cum ceteris, qui carerent, communicare, quis ignorat? Nondum e pueris excesserat cum statuit deliberavitque trajicere in Africam, feris eis gentibus « Christum datura aut sanguinem » *(Hymn. Breviar.)*. Quod cum nequicquam tentasset, miseram ethnicorum et hæreticorum sortem, usque dum vixit, deflere, sancteque invidere iis qui animos hominum ab errorum vitiorumve tenebris ad lucem veritatis vel virtutum traducerent. Verum, si muliebris sexus et vitæ condicio sibi ad apostolicum munus erant impedimento, Eliæ tamquam induta spiritu, *apostolatum* quem vocant *precum* et *pœnitentiæ* instituit. Propterea, quam prohiberetur fidei propagandæ dare operam, eam omnem eò contulit, ut evangelica strenue sequeretur consilia, quippe non dubitans, quin suis precibus, quibus christiani nominis incrementum et animarum salutem flagitabat, majus apud Deum pondus commendationis ex innocentioris vitæ instituto accederet. Denique studium, quo flagrabat, tuendæ vulgandæque christianæ doctrinæ inde etiam apparet, quod plurimi *catechismum* faciebat, neque alium librum malebat filiæ suæ in manus crebro sumerent studioseque lectitarent.

Zelus fidei propagandæ

ope apostolatus precum et pœnitentiæ.

Catechismi existimatio

Illud quoque est in præcipuis Theresiæ laudibus maximeque tam alieno sæculi more prædicandum, singulari eam pietate Jesum Dominum coluisse. Dolendum est enim id vulgo oblitterari, quod Apostolis, quærentibus qua via ad Deum contenderent, Christus respondit: *Ego sum via, veritas et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* (1) Id scilicet *Quietistæ* qui tunc appellabantur, item ut quidam hujus memoriæ novatores, oblivioni dabant; sed alte in mente et in animo

Pietas ejus erga Jesum Christum

(1) Jo., XIV, 6.

hujus virginis insidebat. Ergo, quæ accepisset a Deo beneficia, Christo tribuere; quicquid a Deo exspectaret boni, a Christo expectare; Christum unice vel magistrum ad conformandos mores, vel ducem ad ascendendos divinæ contemplationis gradus habere; qui de Christo ita sentirent, eos beatos dicere; miserrimos vero, utpote Fidei expertes, qui contra. Ab his autem sensibus non sane ratio vivendi discrepabat: neque enim aliud summa semper contentione studuit, nisi ad Jesu Christi exemplum vitam exigere, ejusque magis ac magis in se effingere imitando imaginem, ut jure illud usurparet Apostoli: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (1).

Talem vivendi præceptorem cum sibi propositum haberet, mature abdicare terrena omnia didicit, diligenterque tum vel minimas animi eluere maculas, tum ornamenta virtutum consectari. Itaque sensim ad eam Domini sui similitudinem pervenit, ut quicquid Ipse, cum ævum mortale ageret, ærumnarum, sollicitudinum dolorumque passus esset, id omne Theresia itemque solatia Ejus et gaudia, intima caritatis communicatione, sentiret. Quæ caritas cum ita inflammet animum, ut aciem quoque mentis illustrando exacuat, singulari Dei munere huic contigit, ut non modo Christi Hominis perfectas cumulatasque virtutes perspiceret, sed etiam inaccessa Verbi penetralia contemplando attingeret, dignaque fieret, cui non pauca Trinitatis augustæ aperirentur arcana et quæ Filium Dei audiret cum sibi diceret: *Deinceps ut vera sponsa meum zelabis honorem; jam ipse sum totus tuus et tu tota mea* (2).

Hujus fœderis quam diligenter servarit officia, nihil attinet disserere: cognitum est eam, cum antea non quæ sua essent, sed quæ Jesu Christi, consuevisset quærere, postea usque ad extremum spiritum jam non sibi vixisse, sed Christo. Sed omnino est animadvertendum, quemadmodum, majori Sponsi gloriæ studens, sese erga illa duo præsertim gesserit, maxima ex omnibus, quæ infinitus Jesu amor invenit, quæque, utpote ex animo vel supremum decedentis vel in cruce dormientis profecta, debent optimo cuique esse carissima: Eucharistiam dicimus et Ecclesiam.

---

(1) *Philip.*, I, 21.
(2) Bulla Canoniz.

Nam quis magnificentius umquam Dei laudavit sapientiam et benignitatem, qui, tali Sacramento condito, incredibili modo et sese exiguitati Nostræ accommodasset, et suæ caritati satisfecisset, et sacrificium, quo semel humani generis salutem redemerat, in perpetuum prorogasset? Quis Panem Angelorum appetivit ardentius! Quo enim tempore hanc mensam ipsi boni haud ita sæpe frequentabant, quotidie Theresia ad eam accedebat, et quidem tam cupide, nulla ut vi, ne si obstaret quidem gladiorum seges, a divina dape prohiberi posse videretur. Quis cum homines cerneret tam se in hoc Sacramentum aut negligentes exhibere aut impios, indoluit vehementius? Quis injurias huic mysterio immensæ caritatis illatas studiosius compensavit? Quod ipsum ut suæ quoque alumnæ summo cum studio facerent, hortari eas non desiit. Atque hæc aliquando, quasi non ferens nimiæ ægritudinis morsum, supplex clamabat ad Deum, ut aut improbitati tantæ hominum ingratissimorum celeriter finem imponeret, aut orbem terrarum funditus everteret.

in Eucharistia: missa s. communio,

Communem vero christianorum matrem quanto opere dilexit! quæ affirmabat neminem posse amare Deum ex animo, quin, uti Jesu Christi gloriam, ita Sponsæ ejus incrementa quæreret. Quantum Ecclesiæ in rebus omnibus, deditissimæ filiæ more, profitetur obsequium! Quam divinis effert laudibus datam Ecclesiæ a Christo ejus auctore potestatem! Etenim, si non — ut potest rem specie tenus æstimantibus videri — nimium, certe mirum est, tam Spiritus Sancti donis ornatam feminam, quæ divinæ majestatis consuetudine quasi familiariter frueretur, tanti fecisse ea divinæ gratiæ adminicula, quæ sacramentalia vocantur, ut pro iis atque adeo pro minimo Ecclesiæ sanctæ ritu vel millies emori paratam se diceret. Ut autem erat acris judicii et cælestis sapientiæ plena, non eam sane illud fugit vel secundas vel adversas Ecclesiæ res, magnam partem ab ipsius administrorum pendere moribus, multoque plus ad animarum salutem unum proficere sacerdotem qui recte in officiis suis ambularet, quam plurimi qui claudicarent. Quare, cum dolet non sine lacrimis quod videt Ecclesiam tantis jactari fluctibus tamque multos in sempiternum interitum ruere, simul et vitæ austeritate corporisque castigatione multiplici et humilium assiduitate precum a Deo contendit,

et in Ecclesia: sacramentalia sacerdotes.

ut affluat Ecclesia sacerdotibus, qui probe doctrina ac virtutibus idoneis instructi, sic aliorum saluti serviant, ut suæ non capiant detrimentum.

Sodales

Nec vero satis Theresia habuit ipsa per se in commune prodesse; sed — quæ natura caritatis est, ut beneficam vim suam in quam plurimos possit, effundat — alios sibi ascivit adjutores, quos deinde instituti sui ac studii heroïs relinqueret. « Postquam mirabili victoria carnem suam perpetua » virginitate, mundum admirabili humilitate et cunctas » adinventiones diaboli multis maximisque virtutibus su- » perasset, excelsiora moliens et virtutem sexus animi ma- » gnitudine supergressa, accinxit fortitudine lumbos suos et » roboravit brachium suum et instruxit exercitus fortium, » qui pro domo Dei Sabaoth et pro lege ejus et pro manda- » tis ejus armis spiritualibus decertarent » *(Bull. canoniz.)*. Concitata enim duplici Eliæ spiritu, divinitusque cum altero parente vestro, Joanne, conspirans, illustrem Ordinem, cui nomen dederat, ad veterem disciplinæ severitatem revocare aggreditur. Magnum sane propositum atque ad peragendum perdifficile; quod eam tamen feliciter, opinione celerius, assecutam esse nemo ignorat. Itaque, Theresiæ maxime opera, licuit per id tempus ingentem admirari hominum multitudinem qui, cum ex agitatione communis vitæ ad vacandum Deo secessissent, duro quidem vivendi genere at multa cælestis contemplationis suavitate mollito, priscos illos Carmeli et Thebaidis anachoretas æmularentur, iidem vero quicquid contemplando didicissent conducibile ad æternam vitam, id omne deinceps vel pænitentiæ et precum apostolatu quem diximus, vel actuosa sacrorum perfunctione munerum cum aliis communicarent. — Equidem jam pridem novimus, dilecti Filii, non vos a virtute majorum discedere, multoque minus degenerare a Theresiæ spiritu: diu enim fuit Nobis cum Ordine vestro domesticus usus et consuetudo. Nunc autem, cum opportunitas datur, libet palam aperteque magnam eam profiteri benevolentiam, qua tantæ Matris tum filias tum filios merito complectimur. Et vero institutum vitæ numquam satis laudandum illæ tenent, quæ mundi opibus, laudibus deliciisque nuditati Crucis posthabitis, cum sese in silentia sacri recessus abdiderint, ad aram

ad veterem disciplinam revocat.

Laus Carmeli

contemplativi

christianæ pænitentiæ igne caritatis, gratæ Deo victimæ, absumuntur; atque, ignotæ huic sæculo, sæculi tamen salutem interdiu noctuque implorare non cessant. Nec minus ii probandi sunt religiosi viri, qui non adeo in divinarum rerum contemplatione versantur, nihil ut tribuant actioni vitæ, sed, utrumque rite et ordine insistentes, bonum Christi odorem, quem in suis claustris magnarum virtutum exercitatione collegerint, foras in communem fructum diffundere consueverunt. Quare vos, dilecti Filii, hanc duplicem in vita rationem et contemplandi et agendi, more institutoque Patrum vestrorum, non modo retinebitis constanter, sed efficietis etiam, ut vigeat semper in vobis et floreat. Nunc enim maxime, si umquam alias, talibus Sacrorum administris indiget Ecclesia, qui utraque laude abundent, intimæ cum Deo conjunctionis sollertisque erga homines caritatis, quales nimirum Theresia mater cum primis expetebat.

et apostolici.

Postremo, quoniam rerum novarum cupido, quæ nimio plus hodie dominatur, in ipsum asceticæ et mysticæ disciplinæ campum invasit, nemo non videt quanti referat in hoc duplici genere ea religiose custodire quæ Theresia docuit. Namque « adimplevit eam Omnipotens spiritu intelligentiæ, » ut non solum bonorum operum in Ecclesia Dei exempla » relinqueret, sed et illam cælestis sapientiæ imbribus irri- » garet, editis de mystica theologia aliisque etiam multa » pietate refertis libellis » *(Bull. Canoniz.)*. Quos quidem qui perlegerit, is profecto ad vitam sancte instituendam nihil præterea documenti desideret. Hic enim præclara magistra pietatis tutam demonstrat viam inde a rudimentis vitæ christianæ ad absolutionem perfectionemque virtutis proficiendi; hic rationes accurate tradit perquam accommodatas ad animi vel corrigendas pravitates vel sedandas perturbationes vel labes abstergendas; hic denique legenti, quæcumque sunt virtutum incitamenta, suppeditat. Atque hæc omnia explicans, non modo insignem ostendit rerum divinarum scientiam, sed etiam aperte indicat naturam omnesque latebras et recessus humani animi penitus sibi esse cognita. Ex hac autem tanta cognitione infirmitatis humanæ, quæ nimium quam debuit flectere tenerum pectus ad misericordiam, eoque magis ex ardore caritatis illa repetenda est vis orationis et suavitas, quæ mirifice ad permovendos animos valet, ut

Laus doctrinæ S. Theresiæ

tum asceticæ

sanæ psychologiæ innixæ

pulchre decessor Noster fel. rec. Leo XIII de Theresiæ scriptis affirmavit: « Inest in ipsis vis quædam, cælesti quam » humanæ propior, mirifica emendatrix vitæ, ut omnino » cum fructu legantur, nec ab iis solum qui aut animis » regendis student aut diviniorem vitæ sanctimoniam appe- » tunt, sed plane ab unoquoque homine qui de officiis, de » virtute christiana, hoc est de salute sua cogitet paullo » diligentius » (1). Jam vero, quod ad mysticam theologiam attinet, supremas illas quasi regiones spiritus tanta cum libertate peragrat disputando, ut ibi, tamquam in suo regno, habitare videatur. Nullum est enim hujus disciplinæ arcanum, quod non acute rimetur, ac per omnes gradus contemplationis assurgens, in sublime fertur adeo, ut nisi qui divinas affectiones animi experiendo noverint, non assequi eam possint; et tamen nihil exponit quod non ex intima theologia catholica petitum sit, exponit autem tam commode tamque perspicue, ut nobilissimi ejus ætatis doctores admirarentur, quæ de mystica theologia Patres Ecclesiæ passim et obscure tradidissent, ea concinne in unum corpus ab hac virgine esse redacta. Nobis autem, in hac re considerantibus errores horum maxime temporum, illud admodum notatu dignum videtur, quod Theresia in motibus animi mysticis non modo accurate distinguit inter id quod humanum et quod divinum est, acuteque intelligentiæ ac voluntatis partes describit, sed etiam iis ipsis motibus perpetuo vult virtutum omnium exercitationem comitari. Docet enim: gradus orationis quot numerantur, veluti totidem superiores in christiana perfectione ascensus esse; imo hominis in oratione progressus hac una re maxime cerni, si religiosius officia servet, moresque sanctius conformare studeat; quo denique magis quis Deo mystice *uniatur*, eo ferventiorem ipsius fieri erga alios caritatem, magisque de animarum salute sollicitam. — Hæc omnia qui reputarit, intelliget quam recte quotquot de rebus scripsere tam arduis Theresiam uti magistram coluerint et secuti sint, et, quod majus est, quam juste Ecclesia huic virgini honores qui Doctorum sunt, deferre consueverit, comprecans publico ritu Deum « ut » cælestis ejus doctrinæ pabulo nutriamur et piæ devotionis » erudiamur affectu ». Atque utinam qui de psychologia, ut

tum mysticæ

a virtutum exercitio nunquam sejunctæ.

(1) Epist. ad M. Bouix e S. I., die 17 Martii 1883.

ajunt, mystica nunc disserunt, a vestigiis tantæ magistræ non discedere, aliquando animum inducant!

Habetis, dilecti Filii, præcipua quædam de sanctæ Theresiæ laudibus; quæ quidem, divulgata per vos, non parum posse videntur et ipsius in populo augere cultum, et sacris sæcularibus, quæ acturi estis, addere celebritatem. Optabile enim est eam apud omnes bonos notitia et veneratione florere « quæ — ut ex his quæ strictim diximus, liquet — tamquam » splendidissimum Carmeli sidus effulsit, et catholicam Ec- » clesiam tum angelicæ vitæ virtutibus, tum cælestis sapien- » tiæ documentis, tum etiam læta prole, tantæ matris et » magistræ exempla fideliter persequente, illustravit » (1). — Ea vero sollemnia quo vobis aliisque fructuosiora eveniant, plenariam peccatorum veniam, quater anno MCMXIV vertente, concedimus omnibus, qui, cum usitatis Ecclesiæ præscriptionibus satis fecerint, sive singulatim, sive catervatim, unam ex iis ædibus adeant, quæ infra scriptæ sunt: Vota et favores.

vel ædem Carmelitarum Abulæ, quo loco S. Theresia nata est;

vel Abulensem Carmelitarum Excalceatarum, ubi emendandi sui Ordinis initium fecit;

vel Carmelitarum Calceatarum Abulæ, quo loco diu commorata est;

vel Carmelitarum Excalceatarum Albæ, ubi sacrum ejus corpus requiescit.

Præterea Indulgentiam item plenariam semel iis tribuimus qui quamlibet ædem aut publicum vel semipublicum oratorium prioris, alterius tertiique Ordinis Carmelitarum per eos dies celebraverint, quibus contigerit triduanas vel novendiales supplicationes in iisdem ædibus aut oratoriis haberi.

Cælestium interea munerum auspicem paternæque benevolentiæ Nostræ testem, tibi, dilecte fili, alumnisque sanctæ Theresiæ universis apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romæ apud sanctum Petrum die VII mensis martii, in festo S. Thomæ Aquinatis, anno MCMXIV, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. X.

---

(1) Leo XIII Epist. ad Ep. Salmanticensem, *10 oct. 1882.*

Ex S. Congr. Rituum

I

DECRETUM (1)

Adprobationis et concessionis circa Officia et Missas de Communi plurium Confessorum Pontificum vel non Pontificum et plurium Virginum vel non Virginum.

Quum in Kalendariis particularibus aliquoties duo vel tres Sancti aut Beati sub eodem Communi descripti, eadem die et sub eodem ritu ita occurrant, ut unico Festo, Officio et Missa sint recolendi ad normam decreti 28 octobris 1913 (2), humiles enixæque preces ab ejusmodi Kalendaria habentibus sacræ Rituum Congregationi porrectæ sunt, ut pro his casibus nova Officia cum Missis de Communi, præter cetera jam exsistentia, conficere atque adprobare vellet, in Propriis particularibus opportune inserenda. Sacra porro ipsa Congregatio his votis precibusque indulgens, facto verbo cum sanctissimo Domino nostro Pio Papa X, quatuor Officia cum Missis de Communi, nempe plurium Confessorum tam Pontificum quam non Pontificum itemque plurium tam Virginum quam non Virginum concinnanda curavit; atque, opere diligenter absoluto et reviso, ejusdem sanctissimi Domini nostri auctoritate probavit. Potestatem insuper fecit R^mis^ Episcopis aliisque locorum Ordinariis ac Superioribus cujusvis Ordinis, Congregationis seu Instituti Kalendarium particulare habentis, suprarelata Officia et Missas de Communi, juxta prudens eorum judicium, respectivis Propriis adprobatis inserendi, et semel pro semper ecclesiis, clero aliisque personis ad divinum Officium recitandum adstrictis ac subditis concedendi, jubendi ac præceptiva declarandi in enunciatis Festis (3), sive ex integro, sive pro ea parte quæ de

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VI, p. 282.
(2) Vide *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 710, *c*/ et nota 1.
(3) Hujusmodi festa non occurrunt in Proprio diœceseos Brugensis

Communi sumenda est, si altera propria habeatur. Pro clero autem sæculari almæ Urbis sacra eadem Congregatio, de mandato ipsius sanctissimi Domini nostri, eadem Officia præceptive adhibenda esse declarat.

Contrariis non obstantibus quibuscumque etiam, speciali mentione dignis. Die 22 maii 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secret.*

II

DUBIA (1)

Sacræ Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione submissa sunt, nempe:

I. Quodnam Officium sumendum sit a diœcesibus Galliæ, quæ hucusque Festum S. Genovefæ Virg. in Kalendario diœcesano inscriptum non habebant,

II. Quodnam Officium item recitari debeat in Hispania pro Festis Ss. Fulgentii, Ildephonsi ac Leandri, utrum scilicet de Doctoribus, ut hucusque factum est, an de Communi Confessorum Pontificum,

III. Utrum Lectiones emendatæ in Festis Ss. Felicis III Papæ et Conf., Benedicti Josephi Labre Conf., Felicis a Cantalicio Conf., Joannis Baptistæ de Rossi Conf., Hadriani III Papæ et Conf., Rochi Conf., Hilari Papæ et Conf. ac Eusebii Papæ et Mart., necnon Bb. Urbani V Papæ et Conf., Gasparis del Bufalo Conf., Joannis Leonardi Conf. et Victoris III Papæ et Conf., quæ in Proprio Romano nuper adprobato habentur, sumi debeant vel possint ab omnibus diœcesibus seu institutis eadem Festa celebrantibus, quæ magis proprias non habeant,

IV. Utrum in Propriis particularibus fas sit Lectiones historicas Festorum Ecclesiæ universalis, quæ in respectivis Kalendariis impedita ab Officio nobiliori, Commemoratione

---

pro universa ditione. Sed forte casus occurrere posset in iis ecclesiis pro quibus dies octava (dupl. maj.) festi Titularis ecclesiæ vel Patroni loci occurrit in duplici majori universalis Ecclesiæ.

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VI, p. 285.

tantum pollent, contractas in unam redigere, uti factum est in præfato Proprio Romano.

Et sacra Rituum Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, omnibus perpensis, rescribendum censuit:

Ad I. Sumatur Officium adprobatum die 27 januarii 1853, et hucusque pro aliquibus locis ad calcem Breviarii adpositum,

Ad II. Nihil innovetur,

Ad III. Congruentius posse, sed non teneri; juxta decisionem ab Ordinario seu Superiore semel pro semper sumendam et in posterum observandam,

Ad IV. Affirmative et in casu Lectiones contractæ a sacra Rituum Congregatione postulentur.

Atque ita rescripsit, die 25 maii 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus*.
† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secret*.

III

DECRETUM seu DECLARATIO (1)

Circa Propria Officiorum et Missarum.

Evulgatis sacrorum Rituum Congregationis decretis n. 4166 diei 11 augusti 1905 circa editionem et approbationem librorum cantum gregorianum continentium, et n. 4260 diei 24 februarii 1911 circa modum servandum in expetenda approbatione Propriorum alicujus diœcesis, Ordinis seu Instituti cum cantu gregoriano ad normam Gradualis vel Antiphonalis Romani Vaticanæ editionis, sacra eadem Congregatio opportunum atque utile nunc declarare censuit ac declarat quod tum prædicta Propria cum cantu tum alia Propria sine cantu in triplici exemplari revisioni et approbationi hujus sacri Consilii una cum postulato respectivi Episcopi, Ordinarii vel Superioris subjicienda, tanquam opus non definitivum sed adumbratum atque uti schema manuscriptum etsi typis impressum, esse habenda. Revi-

(1) *Acta Apost. Sedis*, t. VI, p. 316.

sione autem peracta et indulta approbatione, unum ex dictis exemplaribus remittetur ad Episcopum seu Ordinarium vel Superiorem cum testimonio authentico revisionis et approbationis, adjecta clausula posse ab iis ad quos spectat, eisdem Propriis approbatis concedi *Imprimatur* in usum respective diœcesis, Ordinis seu Instituti. Hujusce vero Proprii typis definitive impressi, cum testificatione tum approbationis S. Sedis tum licentiæ Ordinarii seu Superioris præfixa, duplex exemplum ad sacram Rituum Congregationem transmittatur.

Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 3 junii 1914.

L. ✠ S. Fr. S. Card. Martinelli, *Præfectus.*
† Petrus La Fontaine, Ep. Charyst., *Secret.*

CONSULTATIO

Q. Titius parochus qui solus præest parochiæ rurali, litteras mittit ad Superiorem instituti religiosi, ut sacerdotem religiosum mittere dignetur qui vices ejus agat tempore absentiæ, per paucos dies protrahendæ. In hisce autem litteris declarat Titius se delegare sacerdotem a Superiore eligendum, ut matrimonio seu matrimoniis assitat interea celebrandis, et peregre proficiscitur, antequam ad parochiam accesserit religiosus sacerdos, ad vices agendas electus.

Quid censendum de hujusmodi delegationis valore, ac de validitate matrimonii coram sic delegato celebrandi? Adde qua ratione procedendum fuisset Titio in casu.

R. **Ad I^m^.**

Censemus *delegationem* esse *nullam et invalidam.*

Ratio est quia, ad tramites Decreti *Ne temere*, art. VII, non potest a parocho vel Ordinario concedi licentia matrimonio assistendi, nisi sacerdoti « *determinato ac certo* », adeo ut nulla sit delegatio facta sacerdoti indeterminato et incerto. Jamvero hæc indeterminatio obtinet in casu proposito, cum delegatio afficiat sacerdotem, cujus determinatio, momento delegationis, adhuc est facienda, cujusque identitas dependet ab electione nondum facta. Equidem sacerdos in casu potest dici determinatus in actu primo, sed non est dubium tenorem Decreti ac rationem legis velle ut delegatio terminetur in sacerdotem qui, ipso delegationis momento, determinatus existat in actu secundo.

Neque juvat, ut videtur, cum R. P. VERMEERSCH, *De Religiosis-Periodica*, VI (1912), p. (22) s., in favorem validitatis invocare universalitatem delegationis a Titio parocho datæ, quasi principium de necessaria determi-

natione sacerdotis delegandi valeret pro sola delegatione ad causam particularem, ad exclusionem delegationis ad universalitatem causarum. Nimirum principium applicatur delegationi ad universalitatem causarum (in quantum talis fuerit hic concessa), non secus ac delegationi ad causam particularem: absque ulla namque restrictione enuntiatur principium, illimitate et absolutè, de quavis licentia seu delegatione danda.

Neque magis proficit laudato Auctori alterum effugium, quatenus nempe, per modum dubitantis, sacerdotem religiosum in casu æquiparandum proponat parocho, ita ut sit habendus non quasi delegatà, sed quasi ordinarià potestate munitus, adeoque ipso facto subtrahatur dispositioni modum delegandi moderanti.

Et sane ægre quis neget hîc meram præsto esse delegationem, esto generaliorem; nec ullo jure contendi potest sacerdoti nostro religioso, ex facto Titii parochi, competere potestatem quasi-parochialem, per dies absentiæ. Ad hoc nimirum ut quis æquiparari possit parocho, ad mentem Decreti *Ne temere*, art. III, oportet ut ipsi ab Episcopo committatur *plena et a parocho independens* cura animarum, quemadmodum contingit in casu parochi qui, v. gr. ob mentis aberrationem, administrationi parochiæ penitus impar existat; minimè sufficit ut a parocho deputetur ad vices suas momentanee explendas, salva in omnibus dependentia ab auctoritate parochi.

Ad II^{m}.

Matrimonium in descriptis adjunctis celebratum coram sacerdote sic delegato non illico esset habendum uti irritum.

Quamvis delegatio, juxta modò dicta, censetur ex seipsa invalida, potest illi aliunde valor accedere, ex suppletione scil. Ecclesiæ. Meritò namque dici potest sacerdoti, in casu, suffragari titulum coloratum, cum a competente auctoritate, a parocho scil. loci, processerit actus delegationis, vitio occulto laborantis: ad titulum

autem coloratum accedente errore communi, supplere docetur Ecclesia.

Ad III^m.

Solutio difficultatis fuisset sequens: Vel Titius parochus debuisset exspectare adventum religiosi a Superiore electi, ipsique certo ac determinato concedere delegationem ad assistendum matrimonio. Vel si temporis augustiæ non permiserint parocho discessum suum differre usque ad religiosi sacerdotis accessum, debuisset in litteris ad Superiorem directis delegare, ad matrimonium vel matrimonia in absentia celebranda, ipsum Superiorem, vel, ejus defectu, Vicarium domus, *cum potestate subdelegandi*: qua subdelegandi potestate munitus Superior vel Vicarius, ex sua parte subdelegasset quemvis subditum religiosum, a se electum, ad causam particularem, nempe ad assistendum matrimonio vel matrimoniis, de quo vel de quibus in litteris parochi.

A. De Smet.

NOTÆ BIBLIOGRAPHICÆ

P. Bernard, passioniste. *Harmonieux accord de la foi et de la raison d'après Bossuet.* Lille, Société Saint-Augustin, 1913. In-16, XXIII-374. Fr. 2,00.

L'A. n'a pas eu pour but de composer un cours d'apologétique, mais d'offrir un recueil de pages d'apologétique chrétienne tirées des œuvres de Bossuet. Il y a là beaucoup d'extraits très aptes à faire mieux comprendre les notions et les arguments nécessaires à un traité d'apologétique; mais ces pages sont des fragments et elles n'ont pas entre elles cette suite logique requise à un exposé clair et continu des diverses thèses qui constituent un traité d'apologétique. L'A., au moyen de remarques placées en tête des chapitres, tâche de combler cette lacune: mais il ne le fait pas toujours de façon heureuse nous semble-t-il: notamment p. 184, le chapitre est intitulé: « La beauté de la morale chrétienne prouve la vérité de la foi ». Mais cette *preuve* ne se trouve pas dans les textes de Bossuet. L'A. semble aussi confondre la *beauté* de la morale avec la *sainteté* produite dans l'Eglise catholique. On se demande encore quelle est la *conclusion* démontrée par ce que l'A. appelle la *preuve du cœur,* p. 196. L'A., qui est bien au courant des œuvres de Bossuet, aurait fait œuvre plus utile s'il avait exposé complètement et critiquement la pensée de Bossuet sur tels ou tels sujets bien précis.

Verdoodt, A. *Godewaarts*, Antwerpen, « Veritas », 1912. In-16, 286 bl.

Dit is een degelijk boek gericht tot de geloovigen, dat den inhoud van geheel de kristelijke leering voorstelt en verdeeld is in korte onderrichtingen. « Die onderrichtingen zijn min ontledend en meer samenvattend dan de meeste dergelijke zijn voorgesteld. Als een tweede kenmerk mag gelden, dat het goddelijk licht- en liefdeleven in den mensch dieper is

uiteengewerkt, en dat het bovennatuurlijke van onzen godsdienst daardoor duidelijker op den voorgrond treedt » (bl. 6). Met deze woorden kenschetst S. goed zijn werk. Nuttig ware het geweest had hij een bijzonder hoofdstuk geschreven over het begrip van het *bovennatuurlijke*. Mijn dunkens, is er geen waarschijnlijkheid toe te kennen aan de meening volgens de welke God de menschelijke zielen alle te zamen zou geschapen hebben bij den aanvang van het menschdom of zelfs bij de eerste scheppingsdaad, om ze vervolgens te paren bij elk menschelijk worden (bl. 45). Op enkele plaatsen, b. v. bl. 49, 121, laat de klaarheid der gedachte iets te wenschen over ; maar daar buiten is de veropenbaarde waarheid in dit boek nauwkeurig, duidelijk, in kernachtige taal uiteengedaan ; de lezing ervan zal de menschen helpen om « te voelen, te denken, te spreken en te handelen zooals de goddelijke Meester het leert ».

Rouët de Journel, S. J., *Enchiridion Patristicum*, 2ª editio. Friburgi Br., Herder, 1913. In-8, XXVI-802 p. Fr. 11,00.

Hujus perutilis operis indolem et dotes indicavimus in *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 335. Altera nunc prodiit editio quæ « etsi mole quidem minor est, re tamen vera nullus omnino locus deletus est, at vero triginta circiter additi sunt novi, præsertim Nestorii, Theodori Mopsuesteni, S. Leonis Byzantini, etc. » (p. VIII). Emendationes quædam allatæ sunt tum in ipsis textibus, tum in indicandis temporibus quibus scripta sunt composita. Iterum opus commendamus theologiæ studiosis necnon concionatoribus.

Bittremieux J., *Die Lehre des hl. Thomas über das Heil des Ungläubigen* — excerptum ex periodico « Theologie und Glaube » Paderborn, 1914.

Quæstio de modo quo infideles negativi ad salutem pervenire possint non est minima inter eas quæ ad tractatum *de gratia* pertinent. Circa illud problema nuper scripsit duos libros eruditione et scientia egregios cl. Capéran (1). Rema-

(1) *Le problème du salut des Infidèles* — Essai historique — Essai théologique. Paris, Beauchesne, 1912.

nent tamen quædam dubia. In specie mentem sancti Thomæ de hac re iterum examini subjecit et interpretationem diversam ad explicatione a Capéran propositam defendit cl. Bittremieux. Cujus hæc est conclusio : secundum sanctum Thomam, ad justificationem et proinde ad salutem hominis infidelis requiritur necessitate medii fides proprie dicta et *explicita;* porro objectum hujus fidei explicitæ, ante adventum Christi, erat *pro omnibus* Deum, ut auctorem ordinis supernaturalis, existere et de hominibus providere; pro *majoribus* vero inter judæos erat ulterius Incarnatio, Redemptio et Trinitas. Post Christum autem *pro omnibus* hominibus requiritur fides explicita etiam in Incarnationem et Trinitatem. Quapropter infidelibus, si faciunt quod in se est, procurabit Deus ut hanc fidem habere possint, vel mittendo ad illos Evangelii præconem, vel inspirando et revelando interne id quod est credendum. S. Thomas vero *Sum. theol.*, I-II, Q. LXXXIV, n. 6, docet homini, quum usum rationis attigerit, primum cogitandum occurrere ut deliberet de seipso : et si quidem se ipsum ordinaverit ad debitum finem per gratiam consequetur remissionem peccati originalis. Ex hoc asserto sequitur *omni homini infideli, quum usum rationis attigerit, proponi illas veritates quæ sunt explicite credendæ,* secus enim nec credere posset, nec justificari. Hanc conclusionem censet B. esse evolutionem doctrinæ s. Thomæ qui eamdam, quam antea docuerat doctrinam de necessitate fidei explicitæ deque ejus objecto, ulterius in illo loco determinat indicando temporis momentum quo infidelibus datur possibilitas fidei et justicationis. Hanc interpretationem esse certam asserere non possumus sed valde utilem et cum cura peractam præbuit nobis B. disquisitionem quæ cooperabitur ad elucidandam s. Thomæ sententiam circa gravissimam quæstionem.

J. Van der Meersch.

Ouvrages envoyés à la Rédaction (1).

Anizan F. *Les hommes de France au Sacré Cœur.* 2e éd. Aux bureaux de l'Œuvre diocésaine du Sacré Cœur. Verdun (Mense). In-12, p. 119. F. 1.

Bainvel. *De vera Religione et Apologetica.* Paris, Beauchesne, 1914. In-8, VIII-270 p. Fr. 3,00.

Beauduin (Dom Lambert). *La piété de l'Église.* Principes et faits. Louvain Abbaye du Mont-César. In-12°, 100 p. Un franc la demi-douzaine, franco.

Breznay A. *Clavis theologiæ moralis* seu introductio in studium ethicæ christianæ scientificum. Fasc. I. Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1914.

De Smedt Ch., S. J. *Notre vie surnaturelle.* Nouvelle édition. Bruxelles, De Wit, 1913. 2 vol. 560-500 p. F. 8.

Ecker J. *Petite Bible illustrée du jeune âge.* Paris, Bloud et Gay, 1914. In-8°, 145 p. Fr. 1,20.

Kirsch O., S. J. *Enchiridion fontium historiæ ecclesiasticæ antiquæ.* Edit. 2a et 3a. Friburgi Brisgoviæ, Herder. In-8°, XXX-636 p. Fr. 10.

Lamers. *De psychologie van het geheugen.* Nymegen, Malmberg, 1914. In-8, 132 bl. Fr. 2,65.

Laminne. *Déchéance originelle, Responsabilité et liberté* Louvain, Uystpruyts, 1914. In-12, 214 p.

Lindemann H. *Florilegii hebraici lexicon.* Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1914. In-8°, XII-26 p. Fr. 1,90.

Morawski. *Soirées au lac de Genève.* (Discussions religieuses). Bruges, Geûens-Willaert, 1913. In-12, 312 p. Fr. 3,50.

Pesch, S. J. *Institutiones logica et ontologicæ.* — Pars I. *Introductio in philosophiam ; Logica,* edit. altera, auctore **C. Frick,** S. J. Friburgi Brisgoviæ, Herder, 1914. In-8°, XXII-684 p. Fr. 15.

Van Cauwenbergh P. *Étude sur les moines d'Égypte depuis le Concile de Chaliédoine (451) jusqu'à l'invasion arabe (640).* Dissertation doctorale. Louvain, Desbarax, 1914. In-8°, X-200 p.

---

(1) Quelques uns des ouvrages cités sous cette rubrique seront ultérieurement l'objet d'un compte rendu ou d'une notice bibliographique. La simple insertion d'un ouvrage dans cette série n'équivaut pas à une recommandation.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Octobris.

—

I

Solve sequentem difficultatem quæ contra realitatem historicam apparitionum Jesu redivivi *in Jerusalem et in Judæa* movetur ex Evangelio S. Matthæi:

1/ Matthæus nil refert de hisce apparitionibus; unde eas *ipso suo silentio* excludit, quum eas certe *cognovisset* si locum habuissent, et certe eas *retulisset* si cognovisset;

2/ Imo eas *positive excludit,* nam, juxta ea quæ enarrat, a/ Angelus mulieribus apparens, jubet eas monere Apostolos ut eant *in Galilæam;* nam, sic ait, « *ibi* eum videbitis (v. 7) »; — b/ idem monitum Jesus ipsis apparens iterat (v. 10); — c/ et *de facto* Apostoli tendunt in Galilæam, et ibi vident Jesum (v. 16); imo in hac apparitione Jesu quidam Apostoli adhuc *dubitant* (v. 17): quod sane difficulter intelligitur, si vere locum habuissent omnes istæ apparitiones a Luca et Joanne in Jerusalem et Galilæa repositæ.

II

Expone notionem *dogmatis.*

III

An et qualem influxum *metus levis* in contractum exerit.

IV

Quid *metus reverentialis*, et quid *preces importunæ* in contractus firmitatem efficiunt.

V

Expone discrimen inter dubium conscientiæ negativum et dubium irrationabile.

VI

Quantum peccant parochi, verbi divini prædicationem negligentes?

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques*, 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia*, in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

Id. *Tractatus de Casibus reservatis necnon de sollicitatione et absolutione complicis*, in-8, XVI-222 p. Brugis, 1914. Pretium 2,50 fr.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

De Brabandere-Van Coillie. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium.* Editio octava, curante A. De Meester. T. I, pars prior. Brugis, Desclée et Soc., 1913, in-8, 425 p.

*
* *

Is verschenen : **KERKZANGBOEKJE** ten behoeve van de schoolkinderen en van het christen volk. 2e vermeerderde uitgave, bevattende gezangen voor de Mis, het Lof en de Vespers, 72 bl.

Prijs (*netto*, verzendings- en inningskosten niet inbegrepen). 1 tot 10 ex., 0,25 fr. — 10 tot 25 ex., 0,20 fr. — 25 en meer 0,15 fr.

Te verkrijgen bij Z. E. H. De Meester, leeraar Groot Seminarie, Brugge.

Het boekje wordt verkocht ten voordeele van de Missiën.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

ACTA PII PP. X

AD UNIVERSOS ORBIS CATHOLICOS

HORTATIO

Dum Europa fere omnis in anfractus abripitur funestissimi belli, cujus quæ pericula, quas clades, quem exitum qui paullulum reputaverit, is profecto luctu atque horrore se confici sentiat, non possumus non gravissime et Ipsi affici, non angi animo mœrore acerbissimo, quum simus de tot civium, de tot populorum salute ac vita solliciti. In tanta rerum omnium perturbatione ac discrimine plane sentimus atque intelligimus hoc a Nobis paternam caritatem, hoc apostolicum ministerium postulare, ut christifidelium omnium animos eo convertamus impensius *unde venit auxilium,* ad Christum, dicimus, *principem pacis* et *Dei atque hominum mediatorem* potentissimum. Hujus igitur thronum gratiæ ac misericordiæ adeant omnes, hortamur, quotquot sunt per orbem catholici in primisque viri e clero; quorum insuper erit, jussu episcoporum in unaquaque parœcia publicas peragere supplicationes, ut misericors Deus, quasi piorum precibus defatigatus, funestas belli faces amoveat quantocius detque benignus iis qui publicæ rei præsunt *cogitare cogitationes pacis et non afflictionis.*

Ex ædibus Vaticanis, die II augusti MCMXIV.

PIUS PP. X.

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XIX, pag. 498).

—

De dono sapientiæ ad mentem Rusbrochii.

Quæ jam exposuimus de donis, præcipue consilii et intellectus, ad mentem B. Rusbrochii, haud parum conferent sternendæ viæ ad facilius interpretandam ejusdem doctrinam de sapientiæ dono.

In hac autem doctrina explicanda aptius nos procedere non posse putamus, quam si eam ex diversis opusculis, in quibus de dono sapientiæ agit, in unum colligamus, ita ut loci paralleli se invicem illustrent, additis paucis annotationibus, ubi id utile visum fuerit.

Incipimus a textu libri II *Ornatus spirit. nuptiarum* (1), ubi satis fuse originem describit efficientiæ doni sapientiæ, hujusque indolem.

Postquam caput immediate præcedens conclusit dicendo: Curandum nobis esse ut cum Deo in unitate permaneamus, et cum Eo Sanctisque omnibus communi charitate promanemus; rursumque intro revertentes,

(1) Cap. 71 apud Surium; 69 in edit. David.

amore perfruenti in essentialem nos quietem demergamus; sic in præsenti capite de dono sapientiæ loquitur:

« Porro intellige: quando rursus intro nos recipimus, fruitiva Dei unitas, ceu caligo quædam et velut quiddam modi expers ac incomprehensibile omnino sese habet. Per amorem autem et simplicem intentionem spiritus noster intro se recipit, active quidem virtutes omnes, et fruitive seipsum supra virtutes omnes offerens. Itaque sub hac amorosa introversione septimum sese exserit donum, puta spiritus sapientiæ vel sapidæ scientiæ, idemque spiritus nostri simplicitatem, animam et corpus, sapientia et spiritali quodam sapore penetrat. Atque hæc est motio quædam spiritualis seu attactus in spiritus nostri unitate, estque totius gratiæ et donorum virtutumque omnium illapsus et fundum. In hoc Dei attactu unicuilibet sua exercitia suaque vita, juxta ipsius attactus virtutem et amoris sui mensuram, sapiunt. Et est revera tactus ille divinus inter Deum et nos, inter quietem et actionem, inter modum et ea quæ modi sunt nescia, inter tempus denique et æternitatem, medium maxime internum. Et licet spiritali hoc contactu Deus ante cætera dona nos afficiat, omnium tamen novissime a nobis cognoscitur ac proprie degustatur. Posteaquam enim Deum in cunctis exercitiis ad intimum usque fundi nostri quæsivimus, jam tum gratiarum ac donorum omnium influxum quemdam percipimus ac experimur, sentimusque tactum hunc in supremarum virium nostrarum unitate supra rationem quidem, non tamen absque ratione: quandoquidem nos tangi percipimus. Atqui si, quid sit vel unde veniat, explorare velimus, ratio ipsa et omnis creata consideratio fallitur seu deficit. Nam quemadmodum licet aër solis splendore perfusus sit, et oculorum acies bene firma et perspicax, si quis tamen radios splendorem efficientes oculis insequi, et in ipsum solis axem aciem intendere velit, non possunt non oculi in sua actione deficere, et radiorum splendorem patiendo suscipere: ita plane lucis incomprehensibilis (Dei) corusca irradiatio, in supremarum virium nostrarum unitate tam vehemens tamque ingens occurrit, ut actionem omnem quatenus creaturæ est, cum discretione sive distinctione conjunctam, deficere oporteat; et hic activitas nostra Dei

operationem perpeti debet; quæ nimirum donorum omnium fons et origo est. Enimvero si Deum nostra capacitate vel captu comprehendere possemus, absque medio seipsum nobis daret. Sed id nobis impossibile est, angustiores enim et minores longe sumus, quam ut illum comprehendere queamus; idcirco dona sua pro captus nostri mensura et exercitiorum nostrorum præstantia nobis infundit. Fœcunda namque Dei unitas supremarum virium nostrarum unitati superne imminet, et nunquam non eam quæ charitate et virtutibus constat similitudinem exigit a nobis. Singulis igitur quibusque horis de novo tangimur, quo singulis horis in virtutum crescamus nova similitudine. Sentiens autem spiritus novum hujusmodi attactum, fame ac siti afficitur, totusque gustu et amoris impetu ac vehementia omnem (divinitatis) abyssum penetrare molitur, quo vel sic expleatur et exsatietur. Inde porro perpetuum quoddam, idemque avidum valde et famelicum nascitur desiderium, quod tamen nunquam id quod vult, perfecte potest agendo adipisci; siquidem omnes amantes spiritus, pro suæ quisque nobilitatis et divini contactus ratione, avidi adspirant ad Deum: ac nihilo secius nunquam Deus a nostro desiderio, quatenus activum vel actuosum est, comprehendi potest. Quamobrem perennis quædam in nobis fames ac perpetua, eademque cupida vel desiderabunda, cum Sanctis omnibus introversio perseverat. Ubi vero Deo occurrimus, tam ingens et immensa illius claritudo et æstus est, ut spiritus omnes sua actione destituantur, et amore sensibili in spiritus sui unitate colliquescant et absorbeantur: ubi tum divinam operationem tanquam meræ creaturæ patiantur oportet. Hic nimirum et spiritus noster, et divina gratia, et cunctæ virtutes nostræ in sensibilem (ut sic dicam) transierunt amorem, et actione vacant: quoniam quidem spiritus noster totus agendo sese exhausit ac ipse jam amor est. Itaque simplex hic est, et capax donorum omnium et ad virtutes omnes habilis. Denique in hoc ipso sensibilis amoris fundo vena scaturiens vivit, hoc est, irradiatio aut intra nos operatio divina, horis omnibus nos movens, incitans, urgens, introrsum trahens, et novis virtutum actibus emanare faciens (1) »

---

(1) Ex versione Surii, quibusdam mutatis pressius sequendo textum Rusbrochii.

Hæc haud ægre intelliges ex doctrina generali Rusbrochii jamjam explicata, dummodo tamen bene advertas quæ satis fuse heic exponit de attactu Dei seu motione divina, de qua jam actum est ubi de donis consilii et intellectus. Hæc motio divina, ut diximus (1), origo est efficientiæ doni; adeoque ne intelligas tum primum infundi ipsum doni habitum. Propterea in versione Surii, supra initio dicentis: « Itaque sub hac amorosa introversione septimum *oritur* donum », melius diximus: *sese exserit* donum, ubi habet Rusbrochius: *ontspringht*. Et paulo infra: « Est autem hoc donum attactus ille divinus » mutavimus dicendo: « Atque hæc est motio quædam spiritualis seu attactus *(Ende dit es een gheestelic ruercn ofte gherinen in die enicheit ons gheests; ende het is inval ende gront alre gracien en alre gaven en alre doghede)*. Etenim *dit* non afficit donum *(die gave)*, sed totum illud dictum de efficientia doni, seu de spiritu sapidæ sapientiæ sapientia et sapore quodam spirituali spiritus nostri simplicitatem, corpus et animam, penetrante. Quod autem statim additur: « Estque totius gratiæ et donorum virtutumque omnium illapsus et fundum », rursus non primam infusionem habituum gratiæ ac donorum virtutumque importat, sed perceptionem influxus illorum omnium habituum, ut paulo infra distincte notatur: « Jam tum gratiarum ac donorum omnium influxum percipimus ac experimur. »

Hæc qui rite attenderit, naturam ac indolem — in hoc dono sapientiæ — divinæ motionis seu attactus, mirabili doctrina descriptam, sine difficultate intelligere poterit.

Subjungimus jam textum textui citato supra omnino parallelum, de dono sapientiæ, e libro *Regnum Deum amantium*, cap. XXXIII, qui quidem textus se invicem illustrant ac complent:

---

(1) Vid. supra hoc tomo, p. 284-285.

« Septimum donum divinum sapida sapientia est. Datur autem in supremo introversæ mentis apice, penetratque intellectum et voluntatem, secundum introversionem in supremo vertice. Ista sapientia sive sapor immensus ac inexhaustus est, atque ab intimis foras promanat, ipsum corpus et animam (prout eorum singulæ vires capaces sunt) penetrans usque in sensum extimum (1), id est sentire vel tactum corporeum. Alii sensus, puta visus et auditus, suum de foris gaudium capiunt ex mira rerum creatione, quas Deus ad suum honorem et hominum usus necessarios condidit. Sapor autem iste incomprehensibilis, supra mentem quidem, in animæ amplitudine sive vastitate, immensus est, et hic est ipse Spiritus sanctus, incomprehensibilis Dei amor. Infra mentem vero, finitus ac mensus est: sed quia vires suspensæ sunt et inhærent, idcirco omnes redundant ac superfluunt. Porro cum Pater æternus mentem introversam fruitione in unitione exornaverit, præstiteritque illi ut et comprehendat, et comprehendatur in suiipsius amissione, sitque thronus et quies Dei; Filius etiam, ipsa æterna veritas, intellectum introversum sua ipsius decoraverit claritudine, ut illius quo fruitur vultum contempletur: ipse jam Spiritus sanctus itidem voluntatem introversam, viriumque

---

(1) Edit. David habet *intimum* (inwendichsten), loco *extimum* (uutwendichsten) uti legit Surius. Ex duabus lectionibus, e diametro oppositis, haud facile est quænam vera sit discernere, cum et utraque dictis aptari queat. Cæterum quoad doctrinam ipsam res haud magni refert. Si legis cum Surio: *extimum,* sensus erit: sapor ille ab intimis *foras* promanat, penetrans usque ad *extimum* sensum; ita ut hæc appositio explicet *foras*. Si vero legis cum manuscriptis David: *intimum,* sensus est: sapor ille ab *intimis* foras promanat, penetrans usque in *intimum* sensum, ita ut hæc appositio explicet ab *intimis*. Nisi forte Rusbrochium utrumque scripsisse conjicias, quorum alterutrum omiserint copistæ: nempe « corpus et animam penetrans usque in intimum et extimum sensum, id est sentire corporeum. »

Quæ sequuntur: « Alii sensus, puta visus et auditus, suum deforis gaudium capiunt », rite explicantur in quavis ex tribus lectionibus supra indicatis. Scilicet: ille sensus saporis divinus ab intimis foras promanat... Alii sensus... deforis gaudium suum capiunt; ita ut hæc sit oppositio inter sensum saporis divini et alios sensus, nequaquam vero in eo quod idem sapor penetrat usque ad intimum, vel extimum sensum, vel utrumque. Si tamen legis solummodo: usque in *intimum* sensum, tunc posset esse etiam oppositio cum sequentibus; Alii sensus... deforis, etc.

suspensam et inhærentem unitatem adornare constituit, quo gustet, cognoscat, et experiatur anima, quam bonus (1) sit Deus. Et hic gustus tam ingens est, ut animæ illum percipienti, cœlum, terra et quæcumque in eis sunt, præ illius magnitudine colliquescere, et in nihilum redigi posse videantur. Hujus autem gustus deliciæ superius ac inferius, intus et foris percipiuntur, totumque animæ regnum complexæ sunt ac penetrarunt. Itaque intellectus eam contemplatur simplicitatem, unde omnes istæ deliciæ promanant. Atque hinc rationis illuminatæ oritur consideratio : tametsi satis ea compertum habet, non posse se delicias hasce incomprehensibiles comprehendere vel cognoscere, quandoquidem creato considerat lumine, gaudium autem istud immensum est : sicque fit, ut ipsa ratio in sua consideratione deficiat. Intellectus autem immensa hac claritate transformatus (2), sine intermissione incomprehensibilia hæc beatitudinis gaudia contemplatur, in eaque suos defigit et intendit obtutus. »

Circa hanc doctrinam quædam animadvertenda occurrunt. Primo quidem, in hoc quod dicit Rusbrochius : « Sapor iste incomprehensibilis, *supra mentem quidem,*.... immensus est, et hic *est ipse Spiritus sanctus... Infra mentem* vero, finitus ac mensus est. » Scilicet, Rusbrochius supremum donum sapientiæ solet non disjungere ab ipso Spiritu sancto ; quamquam optime, ut in præsenti textu, ipsum donum discernit ab Auctore donorum, Spiritu sancto. Sic alio loco (3) : « Suprema quidem, *ait,* lucerna in ipsius hastilis vertice posita [nempe in candelabro aureo cum septem lucernis, tamquam figura Spiritus sancti cum septem donis] sanctum significat Spiritum, et sapientiæ donum. Ubi enim est Domini Spiritus, illic etiam sapientia est, et ubi vera est sapientia, ibi quoque Domini Spiritus adest : quippe qui donorum omnium fons vivus est. Supremus, inquam, ex hoc

(1) Edit. David legit : « hoe *groet* (magnus) God is. »
(2) In textu originali : *overformt.*
(3) *Comment. in tab. fœderis*, c. XXV. Et cf. *De septem grad. amoris*, c. VII.

vivo divinæ charitatis fonte promanans rivus, sapientiæ spiritus est, quem nos usitata voce sapidam dicimus sapientiam. Hæc in Domini Jesu totam permanavit humanitatem; ex cujus plenitudine omnes nos quoque compleri poterimus. Exigit autem a spiritu nostro primarius ac summus hic rivus ut sit simplex, expeditus, imaginum expers, immobilis, liber, absque curis, sibi-ipsi perpetuo moriens, vivensque in Deo. »

Deinde vero, cum hoc quod ait paulo infra: « Et hic gustus tam ingens est » etc., conferre juvat quæ alio loco scribit in libro modo citato (1): « Septima denique lucerna, id est, sapientiæ donum, in præsenti vita guttulam unam divinæ bonitatis gustare et intelligere (2) nos facit; et est sane guttula illa tam dulcis, ut nedum omne mundi solatium, sed et quidquid impar est Deo, superet; attamen in die gloriæ æternæ Spiritus sanctus superessentiali nos amore circumplectetur, nosque claritudine, veritate et totius beatitudinis gustu ineffabili prorsus affluemus et superfluemus. »

Hæc quæ scripsimus ad interpretandam mentem B. Rusbrochii de dono sapientiæ, sufficere existimamus ut ea rite intelligatur. Attamen non possumus quin addamus, etsi recitatu longa, quæ sequuntur duo capita, nempe XXXIV et XXXV libri *Regnum Deum amantium,* tum quia doctrinam Rusbrochii complent, tum quia et rebus ipsis et stilo tam insignia sunt, ut in illis non humana sed divina eructare videatur mirabilis Contemplator. Citamus quidem versionem Surii, ipsum vero Auctoris textum qui possit legat.

In priore ex his capitibus exercitium quoddam contemplationis exhibetur in hunc modum:

---

(1) *Comment. in tab. fœderis,* c. CXII. Et cf. *De septem grad. amoris,* c. VII.

(2) Obiter notemus Rusbrochium constanter indicare veram indolem doni sapientiæ, per verba *intelligere, cognoscere, gustare, experiri,* qua nempe hujus doni est, secundum gustum et experimentum spirituale, secundum quamdam connaturalitatem de divinis judicare eaque intelligere.

« Atqui ratio juxta modum creaturæ in creato lumine multum attente speculatur, ut in rationabilibus sive intellectualibus imaginibus, et ex infinita divinitate emergentibus effectionibus sive actibus sese recreet, exhilaretque. Animadvertit igitur, dilectum suum tantæ esse magnitudinis, ut secundum modum suum nec a se, id est, a ratione, nec ab ulla creatura unquam comprehendi queat. Tam etiam excelsum, ut nunquam creaturæ modo quisquam eum apprehendat vel assequatur. Tam simplicem, ut omnis multitudo sive multiplicitas in ipso initium finemque capiat. Animadvertit præterea esse eum pulchritudinem, quæ cœlum terramque adornat; opulentiam, ex qua creaturæ omnes profluxere, et in qua essentialiter permanent; decus sive honestatem cœli, terræ, et creaturarum omnium. Vitam, in qua vivunt omnia, quæ unquam facta sunt aut fient. Victoriam, qua cuncta superantur. Coronam, amantium omnium. Sanitatem, quam adeptus, deinceps perpetua salute et incolumitate gaudebit. Pacem, in qua cuncti amantes acquiescunt. Securitatem, quam quisquis adeptus est, ei nihil unquam deesse potest. Beatitudinem, quæ fruitionem præstat. Solatium, quo mœrore affecti exhilarantur. Suavitatem, omnes sui appetentes penetrantem. Gaudium, in quo amantes gloriantur. Lætitiæ fontem et originem, in quo fruentes colliquescunt. Jubilum, id est, gaudium quod verbis non potest explicari, in quo sensus viresque deficiunt. Præmium, cui omnes inhiamus. Voluptatem, quæ hominem nusquam durare sinit. Ardorem sive fervorem, qui amantes omnes incendere vult et concremare. Potentiam, quæ potest compescere ac domare omnia. Divinitatem, quæ potest implere omnia. Æternitatem, per quam facta sunt tempora. Bonitatem, quæ cuncta dare parata est. Pietatem sive liberalitatem, quæ cœlum, terram, cunctaque penetrat atque permanat. Charitatem immensam, quæ omnes virtutum studiosos sibi unire appetit. Præstantiam sive nobilitatem, quæ cuncta decenter ac præclare ordinavit. Puritatem, cui nihil falsum, nihil injustum uniri potest. Fœcunditatem, per quam movetur firmamentum, atque ita res omnes corporeæ naturaliter vivunt et crescunt, per quam itidem cunctis Deum amantibus supernaturaliter dona omnia divina, et res spiritales conferuntur, et in beatitudinis gloria, vita æterna et fruitio præstatur. Virtutem

ac potestatem, cui nihil est impossibile. Sapientiam, quæ cuncta ornare, moderari, regere, ordinare novit. Stabilitatem, quæ peccatores ut resipiscant, et justos, ut coronentur, expectat. Fidelitatem, quæ neminem unquam deserit. Veritatem, cui perspecta sunt corda omnium. Sanctitatem, quæ a terrenis rebus hominem expedit et absolvit. Calorem, in cunctis hominem virtutibus inflammantem. Lumen, quod virtutes omnes reddit manifestas. Satietatem, quæ in eis quidem qui per virtutes ipsi similes sunt, perpetuam efficit esuriem; eis autem qui ipsi uniti sunt, plus multo quam appeti possint largitur. Fortitudinem, quæ hominem supra cuncta novit attollere ac evehere. Justitiam, quæ secundum actus alios damnabit, aliis vitæ æternæ præmium conferet. Puritatem, quæ in extremo judicii die impuros omnes aspernabitur, et puros ac mundos omnes felicissima sibi unione copulabit. Hæc, inquam, omnia ratio illuminata in infinita divinitate considerat: quæ quidem rationales seu intellectuales sunt imagines, ex simplici divinitatis essentia creaturæ modo petitæ et extractæ. Et quatenus ratio eas comprehendit, eatenus creatæ sunt, et a divina natura quædam abstractæ similitudines. Sed quia cunctæ, secundum quod intro respiciunt, in abyssali seu interminata essentia incipiunt, desinuntque in eamdem, hic jam ratio et consideratio deficiunt; siquidem hic simplex Dei natura sunt. Hunc igitur in modum ratio illuminata in cunctis jam enumeratis excellentiis suum solet considerare dilectum, atque inde omnis hujus opulentiæ capitur admiratione, simul animadvertens ea, quæ commemoravimus, omnia possidere eum supra omnem suum, id est, rationis captum. Quæ res tamen in anima desiderium ac impatientiam excitat, ut in lucis simplicitatem intendere ac contemplari cogatur, quo impatiens desiderium fruitionis avidum refocillet ac consoletur. »

En contemplatio quæ fit creaturæ modo in creato lumine, in qua sapor gustatur incomprehensibilis, attamen infra mentem, non infinitus nec immensus. Nunc jam altius ascendet Rusbrochius ad ipsum Auctorem donorum ac præprimis supremi doni Infusorem, Spiritum sanctum, cujus præconia magnificis verbis prædi-

cabit, quo sapor gustetur supra mentem, infinitus et immensus, qui est ipse Spiritus sanctus. Quod fit in capite sequente, quod nunc recitabimus; in quo id etiam advertes, quod similiter de aliis donis notavit: videlicet, primo, quod donum sapientiæ fuerit et sit in Christo (1); secundo, per hoc donum nos assimilari spiritibus seraphicis; tertio, huic dono respondere beatitudinem pacis: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

« Et in hac mentis intentione absque discretione contemplatur, cunctaque divinitatis flumina in supremam regni animæ portionem promanant, unde totum animæ regnum inflammatur et magno flagrat igne, qui est Spiritus sanctus, in divinæ unitatis fornace ardens: in qua quidem præcelsa unitate per spiritus omnes amor incomprehensibilis permanat, eosque perlustrat. Ista nimirum fruitiva unitas thesaurus est in animæ agro absconditus, quem qui fodiendo reperit, repertumque degustat, seipsum et omnia, quantum ad delectationem attinet, vendit et abnegat, quo hunc agrum, id est, delicias hasce possideat. Et Spiritus sanctus Dei ac animæ thesaurus est: quandoquidem is amoris nexus et complexus ac penetratio est, cunctos introversos spiritus in fruitiva unitate penetrans ac circumplectens. Idemque ipse charitas est, quæ amantes præ amoris æstu deficere atque consumi facit. Ipse etiam est digitus Dei, qui cœlum terramque et creaturas omnes secundum naturam condidit; eas autem, quæ ad seipsum converterunt supra naturam, singulas pro dignitate muneratus est, atque in seipso eosdem omnes, quos suis affecit donis, conjunxit ac univit. Ipse præterea vastissimum pelagus est, ex quo bona cuncta promanarunt. Ipse est ardens et lucidus Sol divinus, qui septem præcipuis iisdemque supernaturalibus radiis, id est, septem sublimibus donis suis regnum animæ decoravit. Ipse est itidem ignis immensus, quo cuncti introversi spiritus in gratia et gloria transformantur ac perlustrantur, instar auri in divinæ unitatis fornace liquefacti, perfruentes singuli atque gustantes Deum pro statu et dignitate sua, licet ignis

(1) Et cf. supra textum cit. c *Comment. in tab. fœderis*, c. XXV.

iste divinus ardeat indiscriminatim : sed quia diversa metalla, puta cuprum, plumbum, ferrum, stannum, argentum et aurum in hoc igne incomprehensibili simul in unum conflata sunt, et singula metalla, id est, singuli spiritus intelligunt, sentiunt, patiunturque essentialis charitatis Dei transformationem pro sua ipsorum excellentia, nobilitate et dignitate, tametsi charitas ipsa in commune promanet, inde videlicet fruitionis discrimen seu differentia oritur. Porro amor ille inexhaustus ac infinitus secundum fruitionem essentialis est, non activus. Etenim per essentialis hujus charitatis redundationem, Pater et Filius et cuncti inhærentes spiritus, supra actionem in fruitionem diffluxerunt et inundati sunt; atque per ejusdem charitatis ex Patre et Filio emanationem cunctæ virtutes in creaturis omnibus aguntur et perficiuntur. Ita ergo divina charitas actuosa est secundum emanationem, impellens ac incitans hominem ad colendas virtutes omnes; quatenus autem introrsus manat, essentialis est, omnes sibi unitos gustu quodam incomprehensibili inundans. Ipsa ergo est abyssus immensa, cui omnes præclaræ mentes per fruitionem inhærent; et in quam per suî amissionem demersæ sunt. Ipsa est Sol splendidus, qui in supremo animæ vertice radians et flagrans, intellectum sursum trahit in contemplationem et illustrationem, facitque eum absque defectu in æternitatem intendere. Ipsa est fons vivus et inexhaustus, quæ ab intimis foras manat cum septem principalibus rivis, quæ sunt septem dona, animæ regnum cunctis virtutibus fœcundantia.

Hanc autem vivam scaturientemque venam præcellentes spiritus in vitalem usque fundum insecuti, ubi fons iste suam trahit originem, inibi diffluunt ac inundantur a claritate in claritatem, et a deliciis in delicias. Isthic enim mellifluæ ineffabilium gaudiorum stillæ rorant, quæ in divinæ beatitudinis deliciis colliquescere ac manare eos faciunt. Et ii sunt Seraphim, celsissimi ac supremi perennis regni spiritus, in fruitivæ divinæ unitatis conspectu ardentes ac liquescentes. Et quicumque hoc divinæ sapientiæ donum hac ratione obtinent, Seraphicis spiritibus istis similes sunt, singuli pro sui illustratione et claritate. Est namque et in Seraphicis spiritibus claritatis, amoris, fruitionis differentia, adeoque omnes spiritus et in gratia et gloria, cognitione, amore et

gustu differunt sive discreti sunt. Sed qui minimum obtinet in gloriæ lumine gradum, majora cognoscit, amat et gustat, ac experitur gaudia, quam qui in gratia excellentissimus est. Et licet indiscriminatim ac æqualiter delicias hasce Deus communicet ac impertiatur, sed qui eas percipiunt, dispares sunt. Interim nihilominus, quatenus unitate perfruuntur, omnes superabundant. Ubi vero seipsos in divinæ sollitudinis caligine amiserunt, illic nihil manet reliquum, nec quicquam superest: quandoquidem ibi nec dare est, nec accipere, sed simplex duntaxat essentia in quam Deus, Deoque similes et uniti, immersi sunt, seque amiserunt; nec unquam in hac modi nescia essentia sese possunt reperire, cum sit ibidem pura quædam ac simplicissima simplicitas, eaque est regni Dei præcipua ac summa beatitudo; attamen qui in terris sunt horum Seraphicorum spirituum similes, ad actus charitatis et virtutes omnes exequendas sese submittere ac descendere coguntur. Quanto enim excelsiores præclarioresque sunt, tanto et communiores sunt omnibus, opis ipsorum vel corporaliter vel spiritaliter indigis. Et Deus ipse seipso quidem supra Sanctos omnes modo immenso perfruitur; siquidem ejus introversio fundi expers est, et essentia ejus modum non recipit. Nisi enim essentia ejus modi expers foret, non esset ibi perfecta fruitio; sed in ipsa eadem modi nescia essentia actio personarum cessat. Itaque fruitur Deus supra cunctos creatos spiritus, qui excellentiam et dona, certa mensura definita, divinitus sunt adepti; at nihilominus idem ipse perpetuo cum donis omnibus tam spiritualibus quam corporalibus in cœlo terraque active promanat.

Christus etiam secundum creatam animam suam et fuit et est omnium qui unquam fuerint, summus ac præcipuus contemplator et amator, et præ omnibus maxime fruitur. Secundum divinitatem autem suam illud est, quo fruimur. Neque tamen ulli unquam defuit, sed nec deerit unquam: quandoquidem communem se præbet omnibus ipsum appetentibus. Qui vero ipsum non appetunt, eorum utique dolet vicem, et pro omnibus precatur Patrem, eidemque se ipsum et omnem Passionem suam offert. Sic itidem quotquot in cœlestibus thronis excellentissimi sunt Sancti, iidem cum essent in terris, communes fuere omnibus, et sunt etiamnum

in regno illo superno, orantque et postulant pro nobis. Supremi quoque Seraphim, et quicumque tam in terris quam cœlis ad illorum pertinent ordinem, hominum salutem multo impensius precantur et optant, quam ulli ordinum cæterorum: quippe qui et clarius cognoscunt, et amant vehementius; ideoque et communiores sunt, Deique honorem et salutem hominum ardentius sitiunt et concupiscunt.

Et qui eorum similes sunt ad eos illa Christi pertinent verba, quibus ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Isti namque præcelsi spiritus pacem fecerunt cum Deo, cum cunctis viribus suis, et cum creaturis omnibus, cunctaque decorarunt ac ordinarunt, singula in dignitate seu nobilitate sua; Deique regnum in vera possident pace in unitatis seu simplicitatis divinæ abyssum absorpti. Et hæc est suprema regni illius æternæque beatitudinis excellentia. Atque hac ratione regnum istud non incongrue supremo cœlo assimilatur, quod est pura quædam ac simplex claritas, immota origo et principium cunctarum rerum corporalium, creatumque et corporeum Dei Sanctorumque omnium regnum. Istæ igitur rectæ sunt viæ, per quas Dominus justum deduxit supra vias omnes in perpetuum quoddam silentium et tranquillitatem. »

(Continuabitur).

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Julii propositas.

—

I

Apostolorum tarditas in credendo facto Resurrectionis Jesu.

Q. *Invitis visionibus, sive Angelorum sive ipsius Christi, relatis a mulieribus, a Magdalena, a discipulis Emmaus, ab ipso Petro, — nihilominus manserunt apud plures saltem Apostolos hæsitationes et dubia.* Quæritur *quomodo Apostoli tam diu dubitare potuerint. Nonne enim audierant Jesum prædicentem suam resurrectionem? Quomodo ergo ipsi non exspectant resurrectionem? Et quomodo præsertim non statim credunt primo nuntio?*

R. Primo breviter recolamus facta, ea deinde dijudicaturi.

I. Ipsa facta adstruuntur.

A/ Ex una parte ab Evangelistis refertur Jesum **pluries prædixisse suam resurrectionem**, sive modo satis velato, quemadmodum apud Jo. II, 19: « *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* », quæ verba discipuli recordabuntur postquam a mortuis resurrexerit; cfr. Mt. XII, 39 s., XVI, 4, sive verbis apertis, ut apud Mt. XVI, 21: « Cœpit ostendere discipulis suis, quia oporteret eum... pati... et occidi et *tertia die resurgere* »; cfr. Mc. VIII, 31; Lc. IX, 22; Mt. XVII, 21; Mc. IX, 30; Mt. XX, 19; Mc. X, 34; Lc. XVIII, 33.

B/ Unde ex altera parte primo aspectu nonnisi mirum videri poterunt ea quæ referuntur circa **animæ disposi-**

tiones piarum mulierum, discipulorum et Apostolorum hisce diebus qui mortem Jesu sunt secuti. *Mulieres* die tertia tendunt ad sepulchrum ad ungendum corpus Jesu, nec aliquid suspicari apparent de resurrectione; sepulchro vacuo reperto concludunt ad hypothesim corpus esse ablatum furto (1). Eædem erunt dispositiones Magdalenæ dum postea redibit ad sepulchrum (2). — *Petrus et Joannes* currunt ad sepulchrum, eoque inspecto Joannes et ipse, ut videtur credit corpus esse ablatum (3); ambo redeunt domum, et de Petro notatur quod ipse abierit domum, « mirans quod factum fuerat » (4). — *Apostoli omnes*, dum audiunt mulieres narrantes visa et audita ab Angelis, in specie factum resurrectionis, hæc verba habent *sicut deliramentum, et non credunt illis* (5). Similiter dum Magdalena eis nuntiat se ipsum Jesum vidisse et audiisse, « *non crediderunt* » (6). — Circa vesperam *discipuli Emmaus,* qui et ipsi audierant nuntium priorum mulierum circa visionem Angelorum, *erant tristes,* et videntur vixnon animum despondisse (7), ita ut Jesus ipsis *incredulitatem* suam vitio vertere debeat (8). — Redeunt in Jerusalem, narrant ipsi ea quæ sibi contigerant, audiunt Jesum apparuisse hac die Petro, et tamen « *nec illis crediderunt* » (9). — Dum ipse Jesus nunc apparet, conturbantur, conterrentur, existimant se spiritum videre, cogitationes ascendunt in corda eorum; quare Jesus vulneribus suis probat realitatem resurrectionis suæ; ipsis *adhuc non credentibus* præ gaudio et mirantibus, manducat coram ipsis, et ex prophetiis Veteris Testamenti probat sese, utpote Mes-

(1) Cfr. Mc. XVI, 4; Lc. XXIV, 2 s.; Jo. XX, 1 s.
(2) Jo. XX, 11-16.
(3) Jo XX, 3-10. Cfr. tamen dicenda infra.
(4) Cfr. Lc. XXIV, 12.
(5) Lc. XXIV, 11.
(6) Mc. XVI, 11.
(7) Lc. XXIV, 14 ss.
(8) Ibid., 22 ss.
(9) Mc. XVI, 12 s.; Lc. XXIV, 33 ss.

siam, pati debuisse et resurgere (1). — *Thomas,* qui non erat cum ipsis, iis auditis, non *credit* (2). — Ejusdem incredulitatis vestigia generalia manent apud Mc. qui, post relatam visionem Magdalenæ et discipulorum Emmaus, eorumque nuntium ad Apostolos, addit: « Novissime undecim apparuit: et exprobravit *incredulitatem eorum et duritiam cordis:* quia iis, qui viderant eum resurrexisse *non crediderunt* » (3). Imo primo aspectu apud Mt. videtur referri, post omnes visiones quæ in Jerusalem contigerant, *quosdam Apostolos adhuc dubitasse* dum Jesus in Galilæa ipsis apparebat (4).

II. Unde **quæstio** sese obtrudit: **Quomodo hæc duo facta** de quibus sub **I, A/** et **B/ concilianda sunt?**

Ad solutionem hujus quæstionis imprimis aliquid notandum ducimus circa istud utrumque factum, ne nimirum ultra limites debitos extendantur hinc Jesu prædictiones (**A/**), hinc Apostolorum hæsitationes (**B/**), deinde ipsam quæstionem solvere conabimur (**C/**).

A/. Ne indebito modo intelligantur **prædictiones Jesu,** seu potius ne exaggeretur effectus quem istæ prædictiones in Apostolos, discipulos et mulieres producere potuerunt.

Plures enim ex istis non erant tales ut facile intelligerentur ab ipsis; hujusmodi erant quæ referuntur apud Mt. XVI, 39 s.: « *Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus* »; — sicut et ista quæ refert Jo. II, 19 ss.: « *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud* »: et revera notat Joannes Judæos hæc verba minime intellexisse, ipsosque discipulos ea tantummodo post factum resurrectionis intellexisse.

---

(1) Lc. XXIV, 36-46.
(2) Jo. XX, 26-29.
(3) Mc. XVI, 14.
(4) Mt. XXVIII, 16 s.

Præter hæc, *tres tantum* manent *loci* apud Synopticos ubi apertis verbis Resurrectio prædicitur; sed tum ex scopo a Jesu intento, tum ex verbis ipsius, tum ex effectu in Apostolos, facile colligitur harum prædictionum *præcipuum objectum* fuisse rejectionem Christi a populo suo, ejusque passionem omnigenam, crucifixionem et *mortem;* et quæstio ponenda erit quousque Apostoli ad mentionem resurrectionis attenderint et quonam sensu ipsam intellexerint (1).

B/. Ne ex opposito nimiæ quam par est fingantur **dubitationes et hæsitationes Apostolorum.** Ita:

1°/ In IV° Ev. XX, 8 refertur Joannem viso sepulchro vacuo, visisque sudario et linteaminibus ita ordinate dispositis, *credidisse:* et hoc quidem cum pluribus antiquis et paucis recentioribus ita intelligendum putamus, quod Joannes crediderit *corpus esse ablatum;* sed tamen a plerisque antiquis et modernis eo sensu ille textus intelligitur ut Joannes jam tunc *crediderit Jesum resurrexisse a mortuis:* cito apparet in hac interpretatione, si tibi præplacet, ruere omnem difficultatem ex hoc textu petitam; imo haberes sic unum Apostolum qui ab initio, Jesu nondum viso nec ullo nuntio de resurrectione accepto, ex solo inspecto sepulchro conclusit ad factum resurrectionis.

2°/ Apud Mt. XXVIII, 16 refertur undecim Apostolos abiisse in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Jesus; « et videntes eum adoraverunt: quidam autem *dubitaverunt* ». Hunc textum nonnulli ita intelligunt: Apostoli optime jam sciebant, ex variis apparitionibus quæ in Jerusalem contigerant, Jesum surrexisse, imo jam bis saltem ipsum viderant; sed nunc Ipso iterum apparente, quidam eum statim agnoscunt et adorant, alii vero *dubitant utrum hac forma ipsis apparens sit Jesus* necne. Et iterum in hac interpretatione cadit omnis difficultas quæ ex hoc textu desumi posset.

---

(1) Vide dicenda infra, sub C, 2°.

3°/ Nota quoque quæ Lucas habet, in vv. 36 ss.: Dum Jesus apparet vespere diei resurrectionis, Apostoli conturbantur et conterrentur, et existimant se spiritum videre; Jesus eis ostendit manus et pedes, et « *adhuc illis non credentibus* et mirantibus præ gaudio », manducat coram ipsis. — Hæc minime intelligenda sunt quasi pleno sensu increduli mansissent; nota enim quæ addit Lc.: « *et mirantibus præ gaudio* », imo juxta textum græcum: adhuc illis *non credentibus præ gaudio,* et mirantibus: unde multo magis notatur ista animi dispositio qua quis, uti dicere solemus, aliquid oculis videt et jam admittit, sed « *credere non audet ea quæ videt* »; quæ dispositio quam longe distet a vera incredulitate omnes novimus.

C/ Nihilominus, invitis istis explicationibus de quibus sub **A**/ et **B**/, manet *factum* Jesum nuntiasse suam resurrectionem Apostolis saltem, illudque modo satis intelligibili, et tamen Apostolos, plures saltem, non videri exspectasse resurrectionem, nec statim credidisse primis indiciis resurrectionis, et signanter primis nuntiis ad eos transmissis.

Nihilominus non ita mirum videbitur hoc factum, si quæ sequuntur rite perpensa fuerint:

1/ Apostoli utique, per miracula et doctrinam Jesu, eo devenerant ut ipsum tamquam Christum seu Messiam agnoscerent; sed **quam imperfecta manserat eorum de hac messianitate Jesu opinio.** Sicut cæteri Judæi sui temporis, sic et ipsi Apostoli hanc Jesu Messianitatem intellexerant de dignitate quadam *regia* et *temporali*:

Messias enim venturus esset qui liberaret « populum electum » Dei a jugo dominationis extraneæ, populos adversarios destrueret vel submitteret populo Israel, totique mundo imperaret (1). Adhuc in fine vitæ Jesu,

(1) Hanc ideam circa personam et opus Messiæ manifeste invenire est in apocryphis scriptis Christo coævis; eademque perspicue apparet in

annuentibus filiis suis, petit mater Jacobi et Joannis, ut in regno a Jesu instaurando, habeant primum locum (Mt. XX, 21); in ultima cæna disputant quisnam eorum esset major (Luc. XXII, 23 s.); et quam ingenue fatentur discipuli Emmaus, notionem pandentes quam sequaces Jesu de ipso habebant: « Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël » (Luc. XXIV, 21); et dum Jesus erat jam in cœlum ascensurus, adhuc petunt Apostoli: « Domine, si in tempore hoc (an nunc) restitues regnum Israël » (Act. I, 6)?

Porro hujusmodi *Messiam-patientem* non intelligebant Judæi, nec intelligebant Apostoli. Quam nervose dicet Paulus: « Prædicamus *Christum crucifixum, Judæis quidem* scandalum » (I Cor. I, 23). Et ut de Apostolis tantum loquamur (1) quando Jesus, statim post confessionem messianitatis suæ a Petro, « cœpit ostendere discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, et multa pati a senioribus, et Scribis et principibus sacerdotum et occidi, et tertia die resurgere », audimus Petrum increpantem ipsum: « *Absit a te, Domine; non erit tibi hoc* »! ipseque Jesus ipsum vocat Satanam, « *quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum* » (2). — Similiter quando iterum, post transfigurationem suam, prædicit eis passionem et mortem et resurrectionem, Apostoli « *contristati sunt vehementer; — ignorabant verbum istud, et timebant interrogare eum; — et erat verbum istud velatum ante eos ut non sentirent illud* » (3). — Tertia quoque vice, notat Lc.: « *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis et non intelligebant quæ dicebantur* » (4). — Et in

---

Evangeliis. Imo hinc præcise desumpta fuit accusatio quæ adversus Jesum allata fuit coram Pilato, quasi seipsum faceret regem sicque adversaretur auctoritati Romanæ.

(1) Negligimus eos locos ubi Jesus obscuro tantum modo passionem suam prædixit.

(2) Mt. XVI, 20 ss.; cfr. Mt. VIII, 30 ss., Lc. IX, 21 s.

(3) Mt. XVII, 21 s., Mc. IX, 29 ss., Lc. IX, 44 s.

(4) Lc. XVIII, 34. Cfr. Mt. XX, 17 ss., Mc. X, 32 ss.

ipsa historia apparitionum Jesu apprime apparet hanc fuisse præcipuam ipsorum difficultatem: *Christum seu Messiam — crucifixum* intelligere non valebant. Lege præclaram pericopam Lc. de discipulis Emmaus quæ sic fere sonat: « Ibant, et loquebantur ad invicem de his omnibus quæ acciderant, et erant tristes... Jesus Nazarenus fuit vir propheta, potens in opere et sermone coram Deo et omni populo; nos sperabamus quia ipse esset redempturus Israël; sed ecce eum tradiderunt summi sacerdotes, et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum ». Quomodo hæc conciliari possent ignorabant. Nota quoque ea quæ Jesus discipulis et Apostolis inculcat, indeque desumes sensa istorum: « O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ! » *Nonne hæc oportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam?* (Lc. XXIV, 19-26). Et « aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, *et sic oportebat Christum pati* et resurgere... » (*ib.*, 45 s.) (1).

Negandum non est: cum passione et morte Jesu, *quam profunde turbata fuerat eorum spes et fides in Jesum-Messiam:* nimis eos perculserant omnia ista mala tam subito in Jesum irruentia, et in specie quod fuerat ab ipsa gente sua, a tota fere illa turba, ab ipsis summis sacerdotibus et principibus. (Cfr. Lc. XXIV, 20), a ducibus gentis judaicæ rejectus et occisus: hinc enim facile ipsis jam non apparebat quomodo posset Jesus istam gentem Israel a dominatione Romanorum liberare, eam facere in gentem liberam et magnam, cui populos universos aliquando submitteret.

2°/ Equidem Jesus prædixerat suam resurrectionem. Sed quæri potest a/ **utrum ita multum attenderint** ad hanc partem prædictionum Jesu? Non ita sane Petrus,

---

(1) Nonne ex Actibus Apostolorum continuo apparet hic præcise jacuisse magnam difficultatem Judæos convertendi ad Jesum *crucifixum* tamquam ad *Messiam?* Cfr. II, 23 s., III, 18, IV, 10 s., etc.

qui sola dicta de passione et morte videtur notasse et clamat: « Absit a te, Domine, non erit tibi hoc »; nec alii Apostoli ubi dicuntur: « *contristati sunt vehementer* ». Nonne ergo prædictio de passione et morte, præprimis a Jesu intenta, et magis evoluta, in seipsam fere totam attentionem convertit? — Cæteroquin b/ etsi attenderint **an ita bene intellexerunt?** Notant Evangelistæ quod « *ignorabant verbum istud; erat verbum istud velatum ante eos* », etc. Revera nullum habebatur exemplum in Scripturis neque unquam audierant de facto hominis qui ipse propria virtute a mortuis surrexerat; et si non propria virtute resurgeret Jesus, cujusnam interventu istud ergo fieret (1)?

His omnibus attentis, mirum ut putamus jam non videbitur quam difficile esse debuerit Apostolis ut *ex ista dejectione animi* ad quam per passionem, mortem et sepulturam Jesu devenerant, nunc subito ascenderent *ad fidem firmam et inconcussam in factum tam excelsum, plane inauditum et nequaquam intelligibile:* Jesum istum, cruci affixum, morti traditum, sepulchro reconditum, ex sepulchro, sigillis signato et custodibus custodito, nullius interventu vivum esse egressum.

3°/ Et hæc difficultas, quæ Apostolos retinere eorumque fidem retardare debebat, magis adhuc intelligetur si **attendas ipsa facta** quæ contingebant **et nuntia** quæ ipsis deferebantur: *Mulieres* magnum istum lapidem inveniunt revolutum, sepulchrum vacuum reperiunt; Jesum non vident, sed Angelos qui dicunt ipsum vivere: quid mirum si talia non statim credunt Apostoli? — *Discipuli Emmaus* cum Jesu iter instituunt et ipsum non agnoscunt; cum ipso manducant, et dum subito in fractione panis ipsum agnoscunt, ecce evanescit ex oculis eorum: quid mirum si Apostoli quidam, nondum

(1) Ne quæso modum quo Apostoli hæc intelligere poterant æstimes juxta ea quæ nos, post factum et doctrinam toties inculcatam, de his **rebus apprehendimus!**

sane edocti omnes proprietates corporis Jesu gloriosi, non statim plenam fidem adhibent hujusmodi nuntio? — "Et ecce hoc ipso momento, dum, januis clausis, simul sunt congregati, *Jesus* subito stat *in medio eorum:* quid mirum si perturbantur et conterrentur et existimant se spiritum videre? Quid mirum quoque si unus ex iis, Thomas, hujusmodi relationibus auditis, anceps hæret nec credit antequam ipse Jesum viderit, sicut alii Apostoli non crediderant antequam vidissent?

Nota. Neminem fallet **momentum apologeticum** quod, in ordine ad probandum factum Resurrectionis Christi jacet in iis quæ exposuimus. Etenim factum resurrectionis denique tandem probandum est ex testimonio eorum qui sepulchrum vacuum repererunt ipsumque Jesum redivivum viderunt. Porro hoc testimonium eo validius apparebit, quo magis in luce ponentur ea quæ Apostolos ab admittendis istis factis retinere debebant et quo magis ostendetur eos de facto, invitis ipsis prædictionibus Jesu, nonnisi tardos et difficiles, nonnisi evidentia plena convictos, ascendisse ad istam inconcussam persuasionem qua totam suam prædicationem ipsamque vitæ suæ profusionem fundaverunt in facto Resurrectionis Christi: « Si Christus non resurrexit, inanis est ergo prædicatio nostra » (1).

A. Vander Heeren.

II

Q. *Explica qua ratione* doctrina sacra *sit* scientia.

R. 1. S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. I, a. 1, docet ad humanam salutem necessarium fuisse ut detur doctrina quædam secundum revelationem divinam, præter philosophicas disciplinas quæ ratione humana investigantur. Prædictæ necessitatis *duplex ratio* assignatur: *una* est, quia homo ordinatur ad finem supernaturalem: hæc

(1) I Cor. XV, 12.

est necessitas *physica*. Huic necessitati satisfit revelatio *eorum quæ excedunt humanum intellectum,* imo quæ omnis creati intellectus capacitatem excedunt, quæ sunt mysteria proprie dicta. *Altera* ratio est quia homines, in præsenti rerum ordine, laborant impotentia morali ad congruam cognitionem sibi acquirendam de veritatibus religiosis quæ per rationem investigari possunt: huic necessitati satisfit etiam per revelationem illarum veritatum quæ non excedunt capacitatem humani intellectus: hæc est *moralis* necessitas revelationis (1).

Jamvero complexus omnium veritatum a Deo revelatarum vocatur *doctrina sacra* (2).

2. *Scientia*, strictissima et propriissima acceptione, et *subjective* sumpta (h. e. pro actu cognoscendi) definitur: « Cognitio certa veri evidentis, necessarii, ex causis ejus propriis et immediatis » (3). Quapropter actus sciendi est cognitio *conclusionis* certæ, evidentis (evidentia intrinseca), de scibili necessario, obtentæ per demonstrationem stricte dictam *a priori*, in qua id quod in præmissis enuntiatur est ontologice ratio proxima ejus quod in conclusione asseritur (4).

Si scientia sumitur *objective,* et non quidem pro *particulari* quodam *scibili*, sed pro eo quod vocatur *scientia totalis*, et in strictissima acceptione, tunc scientia totalis est: integrum aliquod organicum systema conclusionum certarum, evidentium de scibili necessa-

---

(1) De qua cf. suprà, p. 171.

(2) Circa quam rite notat CAJETANUS in *h. l.*, n. VI: « Sacra doctrina neque sumitur pro fide, ut distinguitur contra theologiam; neque pro theologia, ut distinguitur contra fidem: sed sumitur pro cognitione a Deo revelata, sive formaliter, sive virtualiter, ut habet rationem disciplinæ et doctrinæ, abstrahendo a ratione crediti et sciti ». Eamdem interpretationem tradit PÈGUES, *Commentaire français littéral de la Somme théologique,* T. I, Toulouse, 1907, p. 10.

(3) DE JAEGHER, *Institutiones philosophicæ*[2], Rollarii, 1914, n. 183. V. explicationem *ibid.*

(4) Cf. *o. c.*, n. 176, 179 s.

rio, quæ statuuntur per demonstrationem *a priori* et quæ ratione ordinantur in unum totum logicum. Talis scientia est v. gr. mathematica.

Secundum quod deficit plus vel minus ratio alicujus elementi in iis quæ enumeravimus, secundum hoc etiam deficit ratio strictissima et propriissima scientiæ, et porro secundum hoc sumitur scientia acceptione plus vel minus lata. Ut autem habeatur scientia essentialiter requiritur *illatio unius veritatis ex alia* seu *demonstratio* et proinde ratiocinium: unde scientia est de *conclusionibus*. Quopropter scientia objective sumpta et totalis, sive strictissime sive non stricte accepta, definitur: « complexus conclusionum, quæ circa aliquod *subjectum* (1) versantur, et sub principiis a quibus procedunt, ad ordinem et unitatem exiguntur » (2).

3. Hisce præmissis intelligemus qua ratione doctrina sacra fiat scientia. Complexus veritatum a Deo revelatarum seu doctrina sacra est ampla materia circa quam versari potest humana cogitatio et ad intellectualem inquisitionem movetur homo desiderio sciendi. Homo igitur, qui *credit* impellitur ad perfectiorem sibi acquirendam de creditis cognitionem: hoc significatur a S. Anselmo per hoc dictum: *fides quærens intellectum* (3).

Credens porro quærendo penitius intelligere id quod credit, investigat in explicite revelatis ea quæ implicite continentur. Illa autem eruuntur *ratiocinio*.

Jamvero duobus modis aliquid e veritatibus revelatis deducitur: a/ proxime cum argumentis hermeneuticis

---

(1) Hoc est *subjectum attributionis*, scil. « illud unum ad cujus perfectam nobis ingerendam notitiam ultimo ordinantur omnes alicujus scientiæ considerationes ». De Jaegher, *o. c.*, n. 186.

(2) De Maria, *Philosophia peripatetico-scholastica*, Roma, 1893, t. I, p. 301. Propter imperfectionem cognitionis humanæ, sæpe in una totali scientia (sensu latiori) inveniuntur conclusiones certæ, evidentes et a priori demonstratæ; aliæ a posteriori certæ, aliæ probabiles.

(3) Hujus locutionis sensum necnon totam scientificæ inquisitionis methodum adhibitam a s. Anselmo dilucide exponit cl. Grabmann, *Die Geschichte der scholastische Methode*, Freiburg i. Br., 1909, t. I, p. 272-339.

et historicis in verbo Dei scripto vel tradito enuntiatum aliquod contentum, adeoque in se ipso revelatum, esse ostenditur; b/ remote, cum ex his quæ in se revelata sunt, ratiocinando deducitur cum certitudine conclusio quæ virtualiter tantum in revelata veritate continetur (1). Circa has conclusiones habetur scientia proprie dicta.

Præter hunc intellectus laborem, habetur et alius qui consistit in hoc quod *ordo logicus constituatur* tum inter veritates in se revelatas, tum inter has et conclusiones ex his illatas: hoc negotio doctrina sacra excolitur in scientiam totalem. Tandem ad perfectionem scientiæ requiritur etiam ut objectiones, quæ vel contra veritates revelatas, vel contra earum conclusiones moventur, refutentur.

Jamvero circa complexum veritatum a Deo revelatarum factus est, præsertim a tempore S. Anselmi (2) et deinceps, ille triplex labor intellectualis, scilicet ex revelatis inferre conclusiones, inter illas omnes veritates constituere ordinem logicum, refutare objectiones; sic condita est vera quædam scientia totalis quæ vocatur *theologia*.

4. Theologia definitur: « rerum divinarum ex divina revelatione comparata scientia » (3).

a/ Per vocabulum *scientia* indicatur genus; per alia indicatur differentia specifica. Jam explicuimus quomodo ex revelatis constituatur scientia, remanet ut de objecto formali et de subjecto formali addamus verbum. Ad theologiam pertinent ea omnia et sola quæ demonstrari possunt *ex revelatione divina,* quapropter theologiæ

---

(1) Cf. KLEUTGEN, *Institutiones theologicæ,* V. I, *De ipso Deo,* Ratisbonæ, 1881, n. 92 ss.; GARDEIL, *Le donné révélé et la théologie,* Paris, 1910, p. 190 ss.

(2) Cf. GRABMANN, *o. c.,* p. 332. Quapropter s. Anselmus recte vocatus est *pater Scholasticæ, o. c.,* p. 337.

(3) KLEUTGEN, *o. c.,* n. 2. Hic autor perfectissime totam quæstionem *de ipsa theologia* pertractat. Ut patet, agitur hic de theologia *supernaturali,* quæ communitur theologia sine addito nuncupatur, et alia est a theologia naturali quæ vocatur *theodicea,*

objectum formale est *verum demonstrabile ex verbo Dei.* Sed objectum materiale seu res cognita, quæ et quatenus ex verbo Dei cognoscitur, est vel ipse Deus vel aliquid ad Deum spectans, ita ut Deus sit illud unum ad cujus perfectam nobis ingerendam notitiam ultimo ordinentur omnes prædictæ scientiæ considerationes: quapropter *Deus* est *subjectum attributionis* seu subjectum formale theologiæ (1).

b/ Ex dictis intelligitur theologiam esse scientiam *fidei*. Etenim fides, proprie dicta, seu intellectus adhæsio ad veritates a Deo revelatas propter auctoritatem Dei revelantis, præsupponitur in illo qui ex illis veritatibus deducit alias, et sub lumine principii revelati, quod ut præmissa assumitur, infertur conclusio. Inde theologia, considerata subjective, est habitus acquisitus ex fide (2), et ideo excellit certitudine alias scientias (3), attamen quia est acquisitus, non infusus, ideo est *entitative* naturalis (4), supernaturalis autem dici potest tum quia ex revelatione divina argumenta sumit, tum quia ex supernaturali habitu animi efflorescit (5).

c/ Concludes ulterius *apologeticam* non pertinere ad theologiam et esse ab hac scientia realiter distinctam (6): apologetica enim non ex divina revelatione sumit argumenta, sed unice ex philosophia et historia, nec præsupponit fidem sed, e contrario, tota ordinatur ad ipsum factum Revelationis ostendendum et ad stabiliendum judicium credibilitatis ac credenditatis quod est prius

---

(1) KLEUTGEN, *o. c.*, n. 15 ss. Cf. S. THOMAS, *Sum. theol.*, I, Q. I, a. 3, 7.

(2) Inde patet hanc scientiam haberi non posse in rationalista, etiamsi ille sibi acquireret cognitionem de eo quod docent theologi catholici.

(3) Cf. KLEUTGEN, *o. c.*, n. 30.

(4) Cf. JANSSENS, *Prælectiones de Deo Uno*, t. I, Roma, 1899, p. 38.

(5) KLEUTGEN, *o. c.*, n. 45.

(6) KLEUTGEN, *o. c.*, n. 52, 80. Hoc assertum propugnavit fusius cl. P. GARDEIL, *La crédibilité et l'apologétique*², Paris, 1912, p. 203 ss. Inde apologetica non recte vocatur theologia fundamentalis, cf. *Collat. Brug.*, t. XIII, p. 46.

fide. Proinde apologetica, nec objective nec subjective, est *fidei* scientia.

d/ Tandem notari potest theologiam dici posse scientiam *imperfectam*, nempe quoad *evidentiam* cognitionis. Theologiæ enim *principia* sunt veritates revelatæ quas theologus *credit*, quas non demonstrat, nec de quibus *intrinsecam* evidentiam habet. Ille tamen defectus non impedit quominus theologia sit scientia proprie dicta: hæc enim est de conclusionibus quas deducit ex revelatis (1).

5. Uti suprà exposuimus, doctrina sacra constituitur scientia per *operationem rationis*. « Per rationem humanam hîc intelligimus non ipsam tantum ratiocinandi facultatem, sed omnes etiam disciplinas quæ naturali intelligentiæ lumine continentur. Itaque multiplex sane in theologia isque legitimus est rationis usus » (2).

Disciplinæ porro rationis, quæ præcipuum munus habent in constituenda theologica scientia, sunt *dialectica* et *metaphysica* (3).

Dialectica seu formalis logica « docet quo artificioso ordine inter se schematice construendi ac disponendi sint actus rationis ad hoc ut recte pro sua indole procedant » (4). Inde dialectica informat rationem ut rite rem propositam investiget, dividet in partes, notiones definiat, recte ratiocinetur et demonstret, principia ac conclusiones ordinet.

Per metaphysicam introspiciuntur veritates revelatæ, quatenus ad illas applicamus notiones de essentiis rerum et principia quæ cum essentiis rerum connectuntur. V. gr. revelata veritas qua credimus in unico Deo esse

---

(1) Etiam naturales dantur scientiæ quæ sua principia mutuantur ab aliis scientiis, ut notat S. Thomas, *o. c.*, a. 8.

(2) Kleutgen, *o. c.*, n. 80. De multiplici rationis usu in theologia sermo erit in proxima nostra responsione, ubi agetur de distinctione theologiæ in *speculativam* et *positivam*.

(3) Cf. Grabmann, *o. c.*, p. 311 ss.

(4) De Jaegher, *o. c.*, n. 5.

tres, nempe Patrem, Filium, Spiritum Sanctum, enucleatur per metaphysicas notiones de substantia, de hypostasi, de relatione, etc.; per conclusiones v. gr. quod non possunt nisi *tres* Personæ esse in Deo (1).

Quibus intelligitur cur Leo XIII doceat perpetuum et multiplicem requiri philosophiæ usum ut sacra theologia naturam, habitum, ingeniumque veræ scientiæ suscipiat atque induat (2).

J. Van der Meersch.

III-IV

De Contractibus in genere. III.

Q. *Ostende quid sit* dolus *relate ad contractum ineundum.*

R. Cum *causa erroris*, unde frequenter in contrahendo vitiatur consensus, non tantum ipse errans esse queat, sed etiam alter contrahens aut imo tertius quidam, et hoc culpabiliter vel inculpabiliter, agendum nobis nunc est de hac culpabili erroris causa seu de *dolo* alterius contrahentis sive tertii: nam præter influxum quem dolus in contractum habere potest ratione *erroris* quem causat, *injuriam* insuper continet eamque sæpe efficacem, et proinde apte reparandam.

Notio doli.

Itaque dolus de quo nobis est sermo dicitur: *omnis fallacia, fraus aut machinatio ad contrahentem injuste decipiendum adhibita* (3).

---

(1) Cf. S. Thomas, *Sum. theol.*, I, Q. XXX, a. 2.

(2) Encyclica « *Æterni Patris* », 4 Aug. 1879, ap. *Leonis XIII acta*, Brugis, Desclée, t. I, p. 92. — De valore objectivo scientiæ theologicæ, seu de *homogeneitate* illius scientiæ cum revelata veritate, cf. Gardeil, *Le donné révélé et la théologie*, p. 187 ss.

(3) Sint quædam exempla: « Een eigenaar b. v. om zijn huis tegen een overdreven prijs te doen aankoopen door een buurman, veinst dat hij op het punt staat het tegen een hoogen prijs te verkoopen aan iemand die aan dien buurman veel hinder en last zou berokkenen; — iemand

a/ Hæc definitio jam *intentionem et conscientiam* injuste fallendi includit, et proinde *bonam fidem* dolum adhibentis non compatitur. Sic mercator equum qua velocem et omni parte præstantem vendens cum tamen tardus sit et vere mediocris, non culpabitur dolo illo malo de quo agimus si et ipse revera deceptus fuerit circa qualitates equi, illumque eximium esse reapse credat. Casus est tunc erroris tantum, non doli proprie dicti.

b/ Ulterius: *error* unius contrahentis per dolum injustum causari supponitur. Profecto si contrahens fallaciam alterius perspiciat sed nihilominus libere emat, scienti volentique non fiet injuria; adeoque dolus jam detectus nec ratione erroris nec ratione efficacis injustitiæ influxum exeret in contractum ineundum.

c/ Unde infertur hinc quidem *silentium* quandoque dolum malum continere: ubi nempe quis culpabiliter reticet ea quæ ex justitia manifestare tenetur sicque alterum decipit; illinc vero non omnem *solertiam* in contractu efficere dolum injustum. Quod jam apparet si quis in propriam tantum defensionem quid machinetur adversus malefidum in contrahendo; sed insuper sequitur ex dictis quoad quasdam saltem artes communiter adhibitas, quæ utpote notæ et vicissim receptæ jam non proprie decipiunt, vel saltem non injuste. Sic plurima sunt dicteria vendentium merces (aut vicissim ementium) et affirmantium eas minimo pretio offerri seque cum proprio vendere damno etc., quæ si stricte sumantur mendacia forte sunt, sed tamen ob consuetudines et mores utrimque receptos communiter sunt nota et mutuo quasi consensu adhibentur, nec proinde dolum

---

om voortaan een kleineren interest voor geleend geld te betalen, veinst dat, in geval de geldschieter den hoogeren interest blijft eischen, hij aanstonds het heele kapitaal zal terugbrengen, alhoewel hij in der waarheid geen rooden duit beschikbaar heeft; — iemand om aan geld te geraken, schildert zijn nood veel zwarter af dan hij wezenlijk is ». SALSMANS, *Rechtelijke plichtenleer*, n. 197.

injustum continere videntur. Quamquam sæpius in hac agendi ratione limes justi et injusti difficulter assignatur, nec quorumcumque contrahentium recipiendæ sunt quæcumque artes, sed proborum consuetudines tantum (1).

d/ *Divisiones* tandem doli rationem sequuntur erroris ab ipso causati; sicque datur dolus *substantialis* et *accidentalis,* dolus *concomitans* et *antecedens* seu dans causam contractui; de quibus notionibus supra disputavimus.

Rationem vero injuriæ illatæ sequitur obligatio apte reparandi, quoties fuerit injuria stricte dicta, efficax et culpabilis in conscientia.

Q. *Explica influxum doli in contractum.*

R. Cum ex dictis appareat dolum culpabilem ex duplici fonte tum erroris tum injuriæ influxum quemdam in contractum exerere posse, duplici puncto responsum proponemus.

A/ **Ratione erroris.**

Explicato supra influxu erroris substantialis et accidentalis, antecedentis et concomitantis in consensum et proinde in contractum, inde habemus: *dolum substantialem* quemcumque *ratione erroris* jam contractum reddere jure naturæ *inexistentem; dolum* vero *acciden-*

---

(1) Cf. SALSMANS, *ibidem:* « Of er, in een bepaald geval, bedrog in 't spel is, hangt ook *eenigszins* af van *de bestaande gewoonten,* volgens welke binnen zeker beperkingen de kontraktanten hun overeenkomst verstaan. Menschen b. v. zijn aan 't onderhandelen omtrent een koopverdrag; de liefhebber dringt op vermindering van prijs aan; de ander partij veinst dat de gestelde prijs door een ander liefhebber reeds wordt aangeboden of licht zal aangeboden worden. Daarom stemt de liefhebber in den geëischten prijs toe. Indien die prijs niet paal en perk te buiten gaat, kan wellicht de verkooper van onrechtvaardigheid en bedrog vrijgepleit, in geval in bepaalde plaats en tijd dergelijke middeltjes doorgaans worden gebruikt. Verfoeielijk blijven ze altijd, doch wij hebben het nu over strikte rechtvaardigheid. — Deze zou zonder twijfel, door bedrog, geschonden worden, indien de verkooper een valschen brief, waarin de geëischte prijs aangeboden werd, aan den liefhebber getoond had ».

talem, si tantum sit *concomitans*, *firmum* relinquere pactum, si vero *antecedens* sit seu dans causam contractui, conventionem *ratione erroris* nunc invalidam vel saltem *rescindibilem* efficere, nunc contra sinere *firmam*.

Et hæc quidem explicatione jam non indigent; sed ea insuper quæ in præcedentibus de influxu erroris *secundum jus civile* notavimus, ad dolum etiamnunc applicanda veniunt, hoc uno tantum mutato: sufficere nempe ad legalem *nullitatem* contractus dolosi errorem *accidentalem,* ut ex art. 1116 eruitur; modo dolus ab altero contrahente probetur provenire, et simul dederit evidenter causam contractui.

B/ **Ratione injuriæ.**

At ulterius, ob fallaciam adhibitam, usuvenit principium generale: reparandam esse omnem injuriam stricte talem, efficacem et culpabilem in conscientia, quoties id fieri potest absque damno multo majore decipientis. Inde:

1/ *Rescindibiles* fiunt ad nutum decepti, propter fraudem alterius contrahentis, contractus onerosi (1) cum dolo accidentali dante causam. Et hoc quidem ratione injuriæ alterius partis, non vero ratione erroris; nam

---

(1) Agitur heic de contractibus *dissolubilibus* tantum, non autem de indissolubilibus uti sunt matrimonium et professio religiosa. Insuper contingere potest contractum natura sua dissolubilem non jam de facto rescindi posse, *quia res integra non mansit:* ut si vinum per contractum rescindibilem venditum jam exhaustum sit. Patet enim totam rem tunc in pristino statu non posse reponi: verum in casu doli reparandum manebit omne damnum, sive in pretio, sive alias per fraudem causatum. Et quandoque illud damnum in pretio, pro speciali scopo et utilitate emptoris, totum quasi valorem rei utut in se bonæ adæquabit, ut advertit De Lugo, *De Justitia et Jure,* II, disp. XXII, sect. 6, n. 109: « quid enim si indigenti equo velocissimo ad iter longis itineribus brevi conficiendum, equum segnem et tardum vendidisti, sed robustum et æqualis fere valoris, quem emptor, ne impediretur a suo itinere, in via dimittere coactus est? Advertendum ergo est ad utilitatem, quam emptori afferre poterat res illa, et ad damnum etiam, quod ea occasione passus est, ut restitutio æqualis fiat propter dolum positive datum ».

de errore hujusmodi antea ostendimus ipsum ad rescindibilitatem per se haud sufficere, saltem postquam contractus executioni mandatus fuerit.

Ipsa vero injuria alterius partis tales contractus facit jure naturæ rescindibiles; nam certe reparanda est injustitia culpabilis et efficax cum omnibus suis consequentiis, confuse saltem prævisis: jamvero prima consequentia fuit heic ipse contractus, cum dolus sit antecedens. Aliis verbis libertas contrahendi, apud deceptum, fuit non quidem ablata sed ab altera parte injuste læsa; et hæc præcise læsio efficaciter contractum adduxit. Apta igitur reparatio talis damni exigit ut decipiens decepto restituat suam contrahendi libertatem (1).

Sequitur ergo mercatorem fraudulenter vinum vendentem qua talis anni emptori cuidam qui cognita veritate non emisset (2), ultro et per se deceptum monere debere, ipsique propriis expensis rescissionem offerre contractus (3). Item emptori hujusmodi, de fraude conscio, nullatenus expectandam esse sententiam judicis antequam pactum proprio marte rescindat. Potest tamen et contractum retinere, si malit, atque firmare; quo casu et decipiens definitive tenebitur.

---

(1) Ad rem De Lugo, *ibid.*, n. 78: « Dolus ille, ut diximus, non aufert voluntarium simpliciter: quare cum uterque velit se obligare (suppono enim neutrum ficte consentire) uterque vere se obligat: decipiens quidem firmiter et irrevocabiliter, deceptus autem revocabiliter, et non firmiter. Quia decipiens ratione doli appositi tenetur dolum auferre, et remittere jus, quod ex contractu acquisivit, ut deceptum reddat indemnem et liberum, sicut erat antequam contraheret; et per consequens deceptus habet jus adversus decipientem, quo eum obligat ad dissolvendum contractum ».

(2) Suppono circumstantiam illam pro intentione ementis manere accidentalem, etsi causam det contractui.

(3) « Hæc obligatio gravis erit, si non rescindendo contractum decepto grave damnum infert; levis vero, si deceptus aut nullum aut nonnisi leve damnum exinde caperet. Ab hac levi obligatione deceptor facilius aut propter gravius, quod sibi timet incommodum, aut propter præsumptum alterius contrahentis consensum excusatur ». Marres, *De Justitia*, III, n. 72.

Consonat et *jus civile;* quippe quod in his casibus *nullitatem* proclamat (art. 1116) sed relativam, hoc est a solo decepto reclamandam; unde si non reclamet, utraque pars per contractum legaliter obligatur.

2/ Sed præterea alia omnia *damna,* si quæ ex dolo causata sint, reparanda veniunt: scilicet lucrum cessans et damnum emergens. Hinc v. g. dolus *concomitans* non quidem rescindibilem per se reddit contractum, quia cum ipsi non dederit causam, injuria ex hac parte affectiva forsan sed non effectiva seu efficax fuit; verum si fraus pretium efficaciter auxerit, illud jam damnum injustum erit compensandum; adeoque restituendum erit hoc augmentum sive ad mensuram pretii quod absque dolo dedisset deceptus — ut plures volunt — sive saltem ad mensuram qua deceptor sincere agens vendere voluisset, ut censet De Lugo (1).

Sic, si quis in contractu assecurationis mala fide decipiat societatem tali modo ut hæc societas, veritatis conscia, majori tantum præmio contrahere voluisset, ex justitia tenetur ad partem præmii proportionatam ultro addendam.

Necdum vero finis: nam et aliorum adhuc damnorum erit forsan facienda reparatio, ut si deceptus in proprio suo commercio aut in fama sua propter fallaciam alterius detrimentum passus sit. Et sic fieri poterit ut

---

(1) *Ibidem,* n. 97: « Molina... monet, primo restituendum esse non solum excessum supra pretium summum rigorosum, sed etiam excessum supra pretium illud justum quod de facto emptor dedisset, si deceptus non fuisset; quia totum id per injuriam et dolum extortum est. Hoc limitatione indiget: quid enim si emptor noluisset emere nisi pretio infimo? Numquid cogendus est deceptor vendere rem suam infimo pretio, quo eam nunquam vendidisset? Credo ergo eum satisfacere offerendo excessum pretii supra illud pretium justum, quo de facto deceptor non posito dolo, rem suam vendidisset, et non minori; vel si deceptus dare noluerit, offerendo ei rescissionem contractus. Solum enim tenetur ex injuria venditor ad reponendum emptorem in eo statu in quo fuisset non posito dolo, qui esset, vel rem tanti emere quanti venditor, et non minoris, vendidisset, vel illam non emere, sed retinere totum pretium quod dedit ».

contractus quidam, etsi propter dolum substantialem *inexistens* sit, nihilominus debeat executioni mandari, eo nimirum modo quo intendebat deceptus, quia aliter non est reparabilis injuria.

3/ *Jus civile* autem, ex art. 1382, actionem pariter confert in reparationem damnorum, casu doli efficacis.

Nota.

a/ Cum ab ipso decipiente, ut patet, sit reparandum damnum, ad nihil ratione *injuriæ* erga deceptum tenebitur altera pars si non ipsa sed *tertius* quidam dolum adhibuerit; excepto sane casu conniventiæ (1). Nec magis rescindibiles fient ob hanc extranei injuriam contractus onerosi cum dolo accidentali antecedente; et in hoc iterum consonat jus civile. Verum, ratio *erroris* in contractu, undecumque proveniat, proprium suum influxum semper exerit.

b/ Dolus *non culpabilis* cujusdam contrahentis, seu bona fides aut solertia non injusta qua alteram partem decepit, ipsum ad nullam formalem injuriam reparandam obligat, ut patet (2). Adstringit tamen eum ad materialem inæqualitatem pretii temperandam, casu quo pretium supra summum accepisset; insuper quoad alia damna, non quidem sunt compensanda illa quæ decepto jam evenere, sed pro posse impedienda sunt futura. Si ergo bonæ fidei deceptor prævideat ex contractu inito adhuc alteri parti propter deceptionem imminere damna, quæ per monitionem præcaveri aut imminui queant, ad hanc tunc monitionem tenetur; ex

---

(1) Sic particeps sane injuriæ esset illa pars quæ tertio deceptori mandatum dederit aut præbuerit adjumentum; necnon pars illa quæ, doli conscia, mala fide sileret *in his rebus* quæ ex justitia decepto manifestare tenebatur. Item, secundum De Lugo, *ibid.*, n. 86, si tertius deceptor eadem persona reputatur cum contrahente, ut si sit tutor ejus aut procurator aut negotiorum gestor, perinde est ac si contrahens ipse decepisset.

(2) Jam supra diximus in tali casu *rescindibilem* fieri contractum ratione erroris, si deceptor bonæ fidei qualitatem aliquam accidentalem falso *assecuraverit*, quæ dederit causam contractui.

facto enim suo utut inculpabili posito, oritur obligatio positiva justitiæ impediendi hæc detrimenta, nisi tamen ob proprium proportionatum damnum excusetur.

c/ Tandem, ad quæstionem: *quantum sit peccatum* contrahentis qui dolo malo utitur, respondetur cum MARRES (1):

1/ « Peccatum *mortale* committit, si deceptus damnum patiatur in bonis aut *fortunæ*, aut *corporis,* aut *animæ,* quod ad *materiam gravem* assurgit: v. g. *in bonis fortunæ,* si emptor incrementum, quod ad materiam gravem pervenit, indebite supra pretium justum solvit; *in bonis corporis*, si merces adulterinæ graviter valetudini nocent; *in bonis animæ*, si emptor deceptus alios bona fide deinde decipiendo honesti mercatoris famam amittit.

Illudque peccatum mortale triplici modo committi potest:

Si quis dolo *ad contractum ineundum* utitur;

Si re adhuc integra injustum contractum *rescindere negat;*

Si re aut integra aut non integra *restitutionem gravis damni* per injustum contractum illati *recusat.*

2/ Peccatum *veniale* autem committit, quando alteri aut *nullum damnum* infertur, aut illatum alteri damnum *ad materiam gravem non pervenit* (2), aut etiam si contrahens *bona fide* illud damnum *materiam levem* tantum æstimat; v. g. qui dolo usus vinum Leodiense pro Burgundino vendidit, venialiter tantum peccavit aut

---

(1) *De Justitia,* III, n. 77.

(2) Hoc ergo casu, si decipiens non offerat rescissionem contractus cum tamen deberet, peccatum ejus leve tantum erit, quia totum damnum decepti ad materiam gravem non pertingit. Ita v. g. si de facto non grave sit discrimen inter pretium reapse solutum et illud quod deceptor, non posito dolo, exegisset, nec aliud grave damnum emptori inferatur. Notat tamen DE LUGO, *ibidem,* n. 108 tunc insuper requiri ut deceptus rem similem ab aliis venditoribus non potuerit emere pretio multo minori; nam oportet ut nec discrimen inter hoc ultimum pretium et pretium reapse solutum ad materiam gravem pertingat.

vendendo aut contractum non rescindendo, si aut nullum damnum decepto dedit, aut supra justum pretium (scil. quanti revera valet vinum Leodiense) tantam solummodo pecuniæ summam recepit, quæ non nisi levis materia reputatur, nec aliud grave damnum emptori intulit ».

E. HOSTEN.

V

Notiones de Conscientia.

Q. *Varias explica acceptiones vocis « conscientia » pro diversis muniis quæ conscientiæ attribuuntur testificandi, ligandi, remordendi.* S. th. I, q. 79, a. 13.

R. Conscientia, συνείδησις, si vim vocis attendas, designat intimam cognitionem qua nobiscum aliqua scimus (con-scientia) vel de aliquibus quodammodo testimonium reddimus nobisipsis. Primo et proprie designat actum hujus cognitionis; secundario vero et minus proprie principium ejus, nimirum potentiam et habitum (1).

Distinguitur autem conscientia *psychologica* et conscientia *moralis* et hæc rursus subdividitur in *antecedentem* et *consequentem:* prout illæ intima cognitio seu illud testimonium quod nobis reddimus versatur vel circa *existentiam et qualitates psychicas* affectionum nostrarum, vel circa *qualitates morales* actionum nostrarum humanarum sive *ponendarum* sive jam *positarum*. Et hæ quas hic breviter recensuimus et nunc ulterius explicabimus, sunt variæ acceptiones vocis « conscientia » ubi illa dicitur « testificari, ligare vel instigare, vel etiam accusare, vel etiam remordere sive reprehendere » (2).

---

(1) Cfr. E. DE JAEGHER. *Institutiones philosophicæ*, 2ª ed., 1914, p. 158. Hæc etymologia videtur nobis præferenda præ aliis quales sunt: cordis scientia, concludens scientia seu conclusio syllogismi practici, cum alio scientia, etc.

(2) S. th. I, q. 79, a. 13; coll. *De veritate* q. 17, a. 1. P. PÈGUES. *Commentaire français littéral*, t. IV, p. 525 ss.

Conscientia psychologica (bewustzijn) est apperceptio τοῦ ego agentis et patientis.

Est vel directa vel reflexa.

Directa seu exercita et concomitans, est sensus intimus, interior experientia eorum quæ a nobis vel in nobis fiunt. Refert nobis existentiam seu factum nostrarum affectionum subjectivarum in sua specifica modalitate, prout sunt modificationes nostri proprii subjecti. Sic, quando intellectus cogitat, judicat, ratiocinatur; quando voluntas amat, desiderat, gaudet; quando membra corporis operationes exercent, intima quædam perceptio hos omnes actus pervadit eosque nobis ut nostros præsentes sistit: conscientia directa experior me agentem hoc specifico modo, cogitantem, volentem, ambulantem etc. Item quando sensus externi objectis percelluntur propriis, conscientia experior me affectum hac determinata sensatione (1).

Reflexa conscientia propria est solius intellectus qui solus potest perfecte in se redire et seipsum tamquam objectum cognitum sibi tamquam subjecto cognoscenti repræsentare.

Sub conscientiam psychologicam directam cadunt 1° actus, non vero principia actuum; ut sunt natura, potentia, habitus, concursus divinus (2). At 2°, non omnes actus sed tantum actus animæ sensitivæ et intellectivæ, sive cognoscitivi, sive appetitivi, exclusis actibus animæ vegetativæ (3). Imo 3°, etiam inter illos

---

(1) Advertamus hanc perceptionem intimam affectionum nostrarum esse quidem actum, non tamen actum distinctum ab ipsis affectionibus. Cfr. E. De Jaegher, *l. c.*, p. 159.

(2) Inde intelligitur quomodo in ordine supernaturali constituti nullam habeamus conscientiam sive gratiæ sanctificantis, quæ est habitus entitativus, neque virtutum infusarum aut donorum Spiritus Sancti, quæ sunt habitus operativi. Sed neque ipsorum actuum supernaturalium conscientiam habemus in quantum sunt supernaturales, seu supernaturalitas illorum non cadit sub conscientiam: hæ enim operationes eadem ratione attingunt objectum suum ac actus naturales ejusdem speciei.

(3) Sic sanguinis nostri circulatio, ciborum digestio, membrorum evolutio etc. ordinario conscientia non percipiuntur, nisi propter aliquam perturbationem in hisce functionibus tactus internus afficiatur.

actus ad quos se extendit conscientia, multi in nobis et a nobis fiunt inconscio modo, seu nobis insciis, præsertim propter defectum attentionis.

Hæc est, ut videtur, acceptio vocis « conscientia » ubi illa dicitur mere « testificari. » Hoc enim est munus, ut diximus, conscientiæ psychologicæ, testimonium reddere nobis de actibus nostris, imprimis quidem de actibus præsentibus (conscientia actualis), deinde etiam de actibus præteritis quorum conscientia, memoriâ servata, iterum excitari potest (conscientia habitualis).

Conscientia moralis refert nobis qualitates morales actionum nostrarum, honestatem, obligationem, imputabilitatem, sive antecedenter sive consequenter ad ipsas actiones. Aliis verbis est æstimatio, appretiatio activitatis nostræ sive futuræ sive anteactæ, per comparationem ad regulam ejus.

Unde apparet quod conscientia moralis solis entibus intellectu præditis convenit et sese extendit ad solos actus humanos, moralitatis capaces, procedentes a voluntate deliberata.

Distinguitur autem, uti ex dictis facile intelligitur, in antecedentem et consequentem.

Conscientia antecedens nimirum est judicium proxime practicum de honestate operationis, prælucens voluntati agenti (1).

Circa quam definitionem duo tantum breviter advertimus:

1° quod hæc conscientia præcedit executionem seu factum operationis et supponit tantum intentionem ejus, hoc sensu: dum intentioni nostræ proponitur actio aliqua concreta, ratio nostra judicium pronuntiat de honestate ejus (2);

---

(1) Vide hanc definitionem explicatam apud *Collat. Brug.*, t. I, p. 222 ss.

(2) Id notamus contra quosdam objicientes conscientiam antecedentem repugnare in terminis quum involvat contradictionem quatenus non potest haberi conscientia actus antequam actus existat. Hæc objectio valet de conscientia psychologica, non vero de conscientia morali.

2° quod sola conscientia antecedens est regula proxima et formalis moralitatis operationis. Tota moralitas subjectiva contracta ab agente pendet ab hac conscientia: quid enim est quod voluit agens et consequenter quod illi adscribi seu imputari potest? Id tantum quod per judicium rationis judicavit et intendit facere.

Hæc est quæ dicitur « ligare » si sit præcipiens vel prohibens, aut « instigare » si sit consulens.

Tandem conscientia *consequens* est judicium de moralitate actuum præteritorum. Hæc est quæ dicitur « accusare » et « remordere » si testimonium reddit nos male egisse, « excusare » et « approbare » si secus. — Illa conscientia ordinario vestigium est et signum conscientiæ antecedentis adeoque recte testatur moralitatem antea contractam; attamen quatenus consequens est ad actionem positam, non est regula seu principium moralitatis ejus, ut facile patet. Immerito igitur anguntur sæpe fideles de præteritis actionibus bona fide positis sed quas postea didicerunt esse peccaminosas. Conscientia consequenter ad aliquam actionem formata fit antecedens relate ad eamdem actionem postea iterum ponendam hujusque actionis evadit regula proxima et formalis, ut supra diximus.

Adnotemus vocem conscientiæ pluribus sensibus impropriis usurpari. Aliquando enim nomine conscientiæ intelligimus ipsam facultatem, rationem nimirum practicam, qua judicamus de moralitate actionum nostrarum, aut etiam habitum primorum principiorum moralium qui *synteresis* vocatur, aut habitum principiorum generalium inde ulterius deductorum per scientiam moralem: hoc sensu loquimur de formanda, educanda conscientia. Aliquando etiam hæc vox designat voluntatem liberam quæ est subjectum moralitatis contractæ: sic dicimus conscientiam peccatis esse maculatam seu peccata conscientiæ inhærere. Aliquando significat objectum conscientiæ consequentis ut quando dicimur « aperire conscientiam alicui. » Tandem con-

scientia sæpe designat habitum judicandi determinato modo de moralitate actionum: ita conscientia tenera, laxa, scrupulosa.

A. LEGRAND.

VI

De obligatione parochi prædicandi verbum Dei. II.

Q. Breviter indica quid in Jure statutum reperiatur de frequentia, necnon de forma et materia concionum quas parochi ad populum habere debent.

R. Determinatio circumstantiarum, de quibus hic inquiritur, maxima ex parte haberi potest ex cap. 2°, Sess. V^a^ Tridentinæ Synodi, supra jam allato (1); ratio tamen habenda est aliorum ejusdem Concilii statutorum ac recentiorum S. Sedis actorum. Præsertim notandum ampliissimam esse in hac re Episcoporum potestatem (2), ita ut omnino Juri consona incumbat parochis obligatio, sese episcopalibus ordinationibus adamussim in hac re submittendi. His prænotatis, jam breviter dicamus de præcipuis concionum parochi conditionibus (3):

I. **Frequentia:**

1/ Quædam parochis jus commune *directe* præscribit, nimirum:

a/ Ut prædicent « diebus saltem dominicis et festis solemnibus »; ita fert citatum cap. Sess. V^ta^ Conc. Trid. Festa solemnia hic intelliguntur *festa de præcepto,* ut patet ex decisione S. C. C. d. d. 1 Aprilis 1876; juxta idem rescriptum « erit prudentiæ Episcopi dis-

(1) Supra p. 521.

(2) Prædicandi enim officium, quod jam antiquitus tanquam Episcopo proprium a canonibus agnoscebatur, declaratur a Conc. Trid. ipsorum « præcipuum munus », cap. 4, Sess. XXIV, *de reform.*

(3) Cfr. CLAEYS BOUUAERT, *De canonica cleri sæcularis obedientia,* Lovanii 1904, p. 40 seq.; WERNZ, *Jus Decret.*, t. III, P. I, sec. 1ª tit. II; BERARDI aliaque opera in responso præcedenti citata.

pensare ab hac ordinatione in aliquibus solemnioribus diebus » (1).

b/ Vi hujus præcepti tridentini stricte sufficeret unica concio, a parocho ipso regulariter habenda infra missam parochialem; « quoniam vero, hac præsertim tempestate, grandior ætas, non secus ac puerilis, religiosa eget institutione, *parochi universi*, cæterique animarum curam gerentes, *præter consuetam homiliam de Evangelio*, quæ festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, *catechesim ad fideles* instituant facili quidem sermone et ad captum accomodato. » Ita præscriptum fuit a SS. D. Pio P. X in encyclica *Acerbo nimis*, 15 apr. 1905 (2).

Illa vero catechesis, quæ major dicitur, antea jam in Statutis nostris commendabatur (3) et juxta usum receptum ubique in nostra diocesi tradi solet in missis quæ, præter summum Sacrum, hora fixa celebrantur. Ille usus, quo abunde satisfit postulatis, non est mutandus sed potius qua *obligatorius de jure communi* nunc retinendus.

2/ Præter hæc, quæ parochis directe jure communi imponuntur, alia sunt quæ *Episcopi arbitrio* imponi possunt, juxta Trid. Syn. Sess. XXIV, cap. 4 *de reform.* Ita:

a/ Imperare potest episcopus ut tempore jejuniorum Quadragesimæ et Adventus Domini parochi quotidie vel saltem tribus in hebdomada diebus sacras scripturas divinamque legem annuntient. Apud nos nihil pro hisce diebus præscribitur; sed valde commendantur medita-

---

(1) Vide hoc rescriptum in *Nouv. rev. théol.*, t. VIII, p. 582. Optimo igitur jure permittit Illustrissimus noster ut propter solemnem et majorem processionem concio omittatur dominica infra octavam SS^{mi}: decr. 3^{m}, Congreg. prosyn. 1913, *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 345.

(2) *Collat. Brug.*, 1905, t. X, p. 337 ss.

(3) Ed. 1890, p. 123.

tiones Quadragesimales de amarissima passione Christi Domini (1).

b/ Potest insuper Episcopus decernere ut prædicatio fiat per parochum aliis etiam anni temporibus, « quotiescumque id opportune fieri posse judicaverit. »

Inde permultæ legislationes particulares statuerunt ut, diebus dominicis et festivis de præcepto in omnibus vel in pluribus missis, populus pabulo verbi Dei pasceretur. Ita, jam ante Const. *Acerbo nimis,* Statuta nostra præscribebant concionem habendam diebus dominicis et de præcepto festivis, in omnibus missis hora fixa celebratis (2).

Hac potestate etiam usus est Illustrissimus noster quando nuper, nempe in epistola ad clerum d. d. 12 februarii 1908, *præscripsit*, juxta vota Summi Pontificis, triduum eucharisticum, quod inter alia importat triduanam prædicationem (3).

Sed inter extraordinarias prædicationes, quas Episcopus indicere potest, eminentem locum obtinent illæ, quæ missiones pro populo dicuntur. Illas Romani Pontifices multum commendarunt (4), et multæ particulares legislationes stricte præcipiunt. Apud nos per decretum episcopale, datum in Congreg. prosyn. an 1881 et renovatum anno 1890, mandatum est ut in omnibus parochiis diœceseos singulo ad minus septennio missionis exercitia tradantur, quinque saltem diebus duratura (5).

---

(1) Ibid. p. 124.

(2) *Statuta* p. 119. Imponebatur concio aut major catechesis; nunc vero post Const. *Acerbo Nimis,* ut modo dixi, catechesis est obligatoria. In majoribus autem festis concio post meridiem haberi potest. (*Statuta* p. 120).

(3) Cfr. *Collat. Brug.*, 1907, t. XII, p. 430 ss.; 1908, t. XIII, p. 395.

(4) Cfr. Bened. XIX, Const. *Gravissimum,* 8 sept. 1745 (Bullarium Mechlin., t. III, p. 223); Pii X Epistola d. d. 15 maii 1911 ad Galliæ Ordinarios congressum de diœcesanis missionibus provehendis celebraturos gratulationis adhortationisque causa. (*Act. Ap. Sedis,* t. III, p. 268).

(5) *Coll. epist. pastor.*, t. XV, p. 195; cfr. etiam *Decr. Congr. prosyn.*, an. 1897, III, 3° (Coll. cit., t. XVI, p. 346).

II. **Forma** et **materia** concionum parochi generalibus tantum verbis in Jure determinantur, notatim in jam sæpe citato cap. 2. Sess. V^æ Conc. Trid. « Quicumque parochiales ecclesias obtinent..... plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant. »

1/ Inde AA. tanquam præcipuas dotes concionis parochialis habent:

a/ Ut sit *facilis* et *ad captum,* ita ut non tantum ab eruditis sed etiam a rudibus bene intelligatur; ideoque alibi statuit Trid. Synodus ut institutio religiosa fiat fidelibus in lingua vernacula seu ea, quam bene intelligunt, lingua (1).

Disputata fuit olim apud S. C. C. quæstio utrum episcopus cogere possit parochum ad habendam concionem formalem, i. e. adamussim juxta eloquentiæ regulas elaboratam et declamatam; at, teste Benedicto XIV, id a parochis exigi non debere S. C. definivit (2); ex alia tamen parte ut insufficiens ab omnibus habetur lectio, nisi determinata quædam ab Episcopo imponeretur.

b/ Alterum requisitum est ut sit *brevis,* ne tædium generet. Pleræque legislationes particulares de duratione concionum ordinationes habent. Nostra statuta mandant ut concio Summi Sacri, inclusis omnibus commendationibus, horæ dimidium non excedat, conciones, quæ in aliis missis habentur, intra decem minuta absolvantur (3).

2/ Quod materiam spectat, notandum est Conc. Trid.,

---

(1) Sess. XXIV, c. 7 *de ref.*

(2) Bened. XIV, *Instit. eccl.*, Lovanii, 1762, t. I, p. 95 sq.

(3) *Stat diœc. Brug.*, p. 121.

præter illa quæ supra indicavimus et quæ in catechismo continentur, etiam præcipere ut parochi « frequenter inter missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in missa leguntur, aliquid exponant; atque inter cetera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim dominicis, et festis » (1). Nuper S. C. C. decretum de quotidiana SS. Eucharistiæ sumptione, 20 dec. 1905, injunxit etiam parochis ut crebris admonitionibus populum christianum ad hunc tam pium et salutarem usum cohortentur (2).

Cæterum nihil obstat quominus Episcopi materiam concionum accuratius et positive definiant, per modum præcepti vel saltem commendationis. In nostra et plerisque Belgii diœcesibus commendatur ut, diebus dominicis, in missa parochiali homilia fiat de evangelio diei, dum in aliis missis tradatur instructio catechetica (3). Quædam etiam themata apud nos tractari prohibentur, signanter: non licet parochis e suggestu loqui de dissidio forsan exorto inter ipsum et parochianos, de eorum ingratitudine, de casualium aut pensionis subtractione aut similibus; stricte prohibetur e suggestu populo prælegere gazulas, tractare de rebus politicis, aut, sine licentia Episcopi, propriam apologiam facere (4).

Qui plura de hac quæstione cupiat, adeat AA. theologiæ pastoralis et eloquentiæ sacræ (5), præsertim documenta pontificia (6) et episcopalia (7); liceat tamen

---

(1) Sess. XXII, cap. 8, *De Sacrificio Missæ*, et Sess. XXIV, cap. 7, *de reform.*

(2) *Collat. Brug.*, t XI, p. 216.

(3) Hæc nunc, ut patet ex C. *Acerbo Nimis*, de jure communi requiruntur.

(4) *Statuta*, p. 125 sq.

(5) Præsertim S. ALPHONSUM, *Homo Apostolicus*, tract. VII; BERARDI, *De Parocho*.

(6) Cfr. præsertim S. C. Ep. et Reg., *Instr. de Sacra prædicatione*, 31 jul. 1894, a Pio X commendata in constitutione *Sacrarum Antistitum*, 1 sept. 1910; vide *Collat. Brug.*, 1910, t. XV, p. 566 sq.

(7) Cfr. *Statuta diœc. Brug.*, p. 118-113; Oratio Ill^mi habita in *Congr.*

conclusionis gratia in memoriam revocare ea quæ nuper scripsit ad Italiæ Episcopos S. D. Pius P. X de qualitate et ratione prædicationis (1): « Argumenta prædicationis ea sint quæ Redemptor Noster innuit, jubens *Prædicate evangelium* (2) *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (3)..... Procul igitur omnino pellantur a sacra cathedra quæ potius diariorum contentiones aulasve academicas sapiunt; de moribus sermones præ « conferentiis » anteponantur, quarum minimum quod pariant detrimentum, temporis est jactura: sermo vero fiat *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (4). Præcipuus igitur prædicationis fons sacræ Litteræ habeantur, expositæ vero non ex privato mentis judicio, quod non semel malæ passiones præoccupare solent, sed juxta Ecclesiæ traditionem ad mentem S. Patrum et Conciliorum. »

R. De Schepper.

---

prosyn., anni 1903 (*Collat. Brug.*, t. VIII, p. 414 ss.); aliosque locos indicatos in De Brabandere-Van Coillie, t. I, p. 380.

(1) Litteræ encycl. *Pieni l'animo* de clero recte instituendo, 28 julii 1906. Cfr. *Collat. Brug.*, t. IX, p. 567.

(2) Marc. XVI, 15.

(3) Math. XXVII, 20.

(4) *I Corinth*, II, 4.

PIUS PP. X.

MOTU PROPRIO

Pro Italia et insulis adjacentibus.

De studio doctrinæ S. Thomæ Aquinatis in Scholis Catholicis promovendo.

Doctoris Angelici nemo sincere catholicus eam ausit in dubium vocare sententiam : *Ordinare de studio pertinet præcipue ad auctoritatem Apostolicæ Sedis qua universalis Ecclesia gubernatur, cui per generale studium providetur* (1). Quo Nos magno quidem officii munere cum alias functi sumus, tum præsertim die 1 sept. a. MCMX, quum datis litteris *Sacrorum antistitum* ad omnes Episcopos summosque Religiosorum Ordinum magistros, quibus cura rite instituendæ sacræ juventutis incumberet, hæc in primis eos admonebamus : « Ad studia quod » attinet, volumus probeque mandamus ut philosophia scho- » lastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur... Quod » rei caput est, philosophiam scholasticam quam sequendam » præscribimus, eam præcipue intelligimus, quæ a Sancto » Thoma Aquinate est tradita : de qua quidquid a Decessore » Nostro sancitum est, id omne vigere volumus et, qua opus » sit instauramus et confirmamus, stricteque ab universis » servari jubemus. Episcoporum erit, sicubi in Seminariis » neglecta fuerint, ea ut in posterum custodiantur, urgere » atque exigere. Eadem Religiosorum Ordinum Moderato- » ribus præcipimus ».

Ordinare de studio pertinet præcipue ad auctoritatem Apostolicæ Sedis. Quod de studio jam antea ordinavimus hoc renovamus et ulterius declaramus:

Jam vero, cum dictum hoc loco a Nobis esset *præcipue* Aquinatis sequendam philosophiam, non *unice*, nonnulli sibi persuaserunt, Nostræ sese obsequi aut certe non refragari voluntati, si quæ unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset, quamvis principiis S. Thomæ repu-

Aquinatis *philosophiam* ita esse sequendam ut principia ejus fundamentalia in-

(1) Opusc. « Contra impugnantes Dei cultum et religionem, » c. III.

violate teneantur, rejicianturque asserta illis repugnantia :

gnantia, illa haberent promiscua ad sequendum. At eos multum animus fefellit. Planum est, cum præcipuum nostris scholasticæ philosophiæ ducem daremus Thomam, Nos de ejus principiis maxime hoc intelligi voluisse, quibus, tamquam fundamentis, ipsa nititur. Ut enim illa rejicienda est quorumdam veterum opinio, nihil interesse ad Fidei veritatem quid quisque de rebus creatis sentiat, dummodo de Deo recte sentiatur, siquidem error de natura rerum falsam Dei cognitionem parit; ita sancte inviolateque servanda sunt posita ab Aquinate principia philosophiæ, quibus et talis rerum creatarum scientia comparatur quæ cum Fide aptissime congruat (1); et omnes omnium ætatum errores refutantur; et certo dignosci licet quæ Deo soli sunt neque ulli præter ipsum attribuenda (2); et mirifice illustratur tum diversitas tum analogia quæ est inter Deum ejusque opera; quam quidem et diversitatem et analogiam Concilium Lateranense IV sic expresserat: « inter Creatorem et creaturam » non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit » dissimilitudo notanda » (3). — Ceterum, his Thomæ principiis, si generatim atque universe de iis loquamur, non alia continentur, quam quæ nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiæ meditando et argumentando invenerant de propriis cognitionis humanæ rationibus de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo vitæ fine assequendo. Tam præclaram autem sapientiæ copiam, quam hic a majoribus acceptam sua prope angelica facultate ingenii perpolivit et auxit et ad sacram doctrinam in mentibus humanis præparandam, illustrandam tuendamque (4) adhibuit, nec sana ratio vult negligi nec Religio patitur ulla ex parte minui. Eo vel magis quod si catholica veritas valido hoc præsidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab ea philosophia, cujus principia cum *Materialismi, Monismi, Pantheismi, Socialismi* variique *Modernismi* erroribus aut communia sunt aut

illa enim principia sunt quæ nobilissimi ingenio homines invenerunt, quæ optime præparant ad sacram doctrinam cognoscendam ac tuendam; sine quibus non defenditur catholica veritas: sunt enim fundamenta omnis scientiæ naturalium divinarumque rerum.

(1) « Contra Gentiles », lib. II, c. III et II.

(2) Ib. c. III; et I, q. XII, a. 4; et q. LIV, a I.

(3) Decretalis II^a « Damnamus ergo, etc. » Cfr. S. Thom. Quæst. Disp. « De scientia Dei, » art. 11.

(4) In Librum Boethii « De Trinitate, » quæst. II, art. 3.

certe non repugnant. Nam quæ in philosophia sancti Thomæ sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit: quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipiant significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiæ magisterio proponuntur.

Itaque omnes qui philosophiæ et sacræ theologiæ tradendæ dant operam, illud admonitos jam voluimus, si ullum vestigium, præsertim in metaphysicis, ab Aquinate discederent, non sine magno detrimento fore. — Nunc vero hoc præterea edicimus, non modo non sequi Thomam, sed longissime a sancto Doctore aberrare eos, qui, quæ in ipsius philosophia principia et pronuntiata majora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant. Quod si alicujus auctoris vel Sancti doctrina a Nobis Nostrisve Decessoribus unquam comprobata est singularibus cum laudibus atque ita etiam, ut ad laudes suasio jussioque adderetur ejus vulgandæ et defendendæ, facile intelligitur eatenus comprobata, qua cum principiis Aquinatis cohæreret aut iis haudquaquam repugnaret.

Eatenus unquam a RR. PP. comprobata est doctrina quatenus cohæret aut non repugnat cum principiis Aquinatis.

Hæc declarare et præcipere Apostolici officii duximus, ut in re maximi momenti, quotquot sunt ex utroque Clero, sæculari et regulari, mentem voluntatemque Nostram et penitus perspectam habeant, et ea, qua par est, alacritate diligentiaque efficiant. Id autem peculiari quodam studio præstabunt christianæ philosophiæ sacræque theologiæ magistri, qui quidem probe meminisse debent non idcirco sibi factam esse potestatem docendi, ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinæ suæ communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiæ probatissimas impertiant.

Jam, quod proprie attinet ad sacram theologiam, hujus quidem disciplinæ studium semper ejus luce philosophiæ, quam diximus, illustratum esse volumus, sed in communibus Seminariis clericorum, modo idonei præceptores adsint, adhibere liceat eorum libros auctorum, qui, derivatas de Aquinatis fonte doctrinas, compendio exponunt; cujus generis libri suppetunt, valde probabiles.

Theologia semper illustretur philosophia Aquinatis.

In communibus seminariis licet uti libris qui compendio exponunt doctrinam Angelici: sed in omnibus Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, adhibenda est *S. Thomæ Summa theologica* tamquam liber textus et latino sermone est explicanda.

At vero ad colendam altius hanc disciplinam, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenæis atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, omnino oportet, veteri more, qui numquam excidere debuerat, revocato, de ipsa *Summa Theologica* habeantur scholæ: eo etiam, quia, hoc libro commentando, facilius erit intelligere atque illustrare solemnia Ecclesiæ docentis decreta et acta, quæ deinceps edita sunt. Nam post beatum exitum sancti Doctoris, nullum habitum est ab Ecclesia Concilium, in quo non ipse cum doctrinæ suæ opibus interfuerit. Etenim tot sæculorum experimentis cognitum est in diesque magis apparet, quam vere Decessor Noster Joannes XXII affirmarit: « Ipse (Thomas) plus illuminavit Ecclesiam, quam » omnes alii Doctores: in cujus libris plus proficit homo » uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitæ » suæ » (1). Quam sententiam S. Pius V, cum sancti Thomæ festum, ut Doctoris, toti Ecclesiæ celebrandum indiceret, ita confirmavit: « Sed quoniam omnipotentis Dei providentia » factum est, ut Angelici Doctoris vi et veritate doctrinæ ex » eo tempore quo cælitibus civibus adscriptus fuit, multæ, » quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ et convictæ » dissiparentur, quod et antea sæpe et liquido nuper in » sacris Concilii Tridentini decretis apparuit, ejusdem me- » moriam, cujus meritis orbis terrarum a pestiferis quotidie » erroribus liberatur, majore etiam quam antea grati et pii » animi effectu colendam statuimus » (2). Atque, ut alia præconia Decessorum, plurima quidem et præclara, mittamus, libet his verbis Benedicti XIV omnes scriptorum Thomæ, præsertim Summæ Theologicæ, laudes complecti: « Cujus doctrinæ complures Romani Pontifices, prædeces- » sores Nostri, perhonorifica dederunt testimonia, quemad- » modum Nos ipsi in libris, quos de variis argumentis » conscripsimus, postquam Angelici Doctoris sententiam » diligenter scrutando percepimus atque suspeximus, ad- » mirabundi semper atque lubentes eidem adhæsimus atque » subscripsimus; candide profitentes si quid boni in iisdem

(1) Alloc. hab. in Consistorio an. MCCCXVIII.
(2) Bulla « Mirabilis Deus », d. d. XI aprilis an. MDLXVII.

» libris reperitur, id minime Nobis, sed tanto Præceptori » totum esse adscribendum (1).

Itaque « ut genuina et integra S. Thomæ doctrina in » scholis floreat, quod Nobis maxime cordi est » ac tollatur jam « illa docendi ratio, quæ in magistrorum singulorum » auctoritate arbitrioque nititur » ob eamque rem « muta- » bile habet fundamentum, ex quo sæpe sententiæ diversæ » atque inter se pugnantes oriuntur... non sine magno » scientiæ christianæ detrimento » (2), Nos volumus, jubemus, præcipimus, ut qui magisterium sacræ theologiæ obtinent in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quæ habeant ex apostolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam Theologicam* S. Thomæ tamquam prælectionum suarum *textum* habeant, et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illam auditores optime afficiantur. — Hoc in pluribus Institutis laudabiliter jam est usitatum; hoc ipsum Ordinum Religiosorum Conditores sapientissimi in suis studiorum domiciliis fieri voluerunt, Nostris quidem Decessoribus valde probantibus: nec, qui post Aquinatis tempora fuerunt, Sancti homines alium sibi summum doctrinæ magistrum habuerunt, nisi Thomam. Sic autem, et non aliter, fiet ut non modo in pristinum decus revocetur theologia, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quicquid intelligentia et ratione tenetur, quodammodo revirescat.

Quare nulla in posterum tribuetur cuiquam Instituto potestas conferendi academicos in sacra theologia gradus, nisi quod hic a Nobis præscriptum est, sancte apud ipsum servetur. Instituta vero seu *Facultates,* Ordinum quoque et Congregationum Regularium, quæ legitime jam hujusmodi potestatem habeant academicos in theologia gradus aut similia documenta conferendi vel tantum intra domesticos fines, eadem privabuntur privatæque habendæ erunt, si post tres annos, quavis de causa etiamsi minime voluntaria, huic præscriptioni Nostræ religiose non obtemperarint.

---

(1) Acta Cap. Gen. O. P., tomo IX, p. 196.
(2) Leonis XIII Epist. «Quite», d. d. XIX junii an. MDCCCLXXXVI.

Atque hæc statuimus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romæ apud S. Petrum die XXIX mensis junii MCMXIV, Pontificatus Nostri anno undecimo.

PIUS PP. X.

Sacra Studiorum Congregatio

Theses quædam, in doctrina sancti Thomæ Aquinatis contentæ, et a philosophiæ magistris propositæ, adprobantur.

Postquam sanctissimus Dominus noster Pius Papa X Motu Proprio *Doctoris Angelici*, edito die XXIX junii MCMXIV, salubriter præscripsit, ut in omnibus philosophiæ scholis principia et majora Thomæ Aquinatis pronuntiata sancte teneantur, nonnulli diversorum Institutorum magistri huic sacræ Studiorum Congregationi theses aliquas proposuerunt examinandas, quas ipsi, tamquam ad præcipua sancti Præceptoris principia in re præsertim metaphysica exactas, tradere et propugnare consueverunt.

Sacra hæc Congregatio, supra dictis thesibus rite examinatis et sanctissimo Domino subjectis, de ejusdem Sanctitatis Suæ mandato, respondet, eas plane continere sancti Doctoris principia et pronuntiata majora.

Sunt autem hæ:

I. Potentia et actus ita dividunt ens, ut quidquid est, vel sit actus purus, vel ex potentia et actu tamquam primis atque intrinsecis principiis necessario coalescat.

II. Actus, utpote perfectio, non limitatur nisi per potentiam, quæ est capacitas perfectionis. Proinde in quo ordine actus est purus, in eodem nonnisi illimitatus et unicus exsistit; ubi vero est finitus ac multiplex, in veram incidit cum potentia compositionem.

III. Quapropter in absoluta ipsius esse ratione unus subsistit Deus, unus est simplicissimus, cetera cuncta quæ ipsum esse participant, naturam habent qua esse coarctatur,

ac tamquam distinctis realiter principiis, essentia et esse constant.

IV. Ens, quod denominatur ab esse, non univoce de Deo ac de creaturis dicitur, nec tamen prorsus æquivoce, sed analogice, analogia tum attributionis tum proportionalitatis.

V. Est præterea in omni creatura realis compositio subjecti subsistentis cum formis secundario additis, sive accidentibus: ea vero, nisi *esse* realiter in essentia distincta reciperetur, intelligi non posset.

VI. Præter absoluta accidentia est etiam relativum, sive *ad aliquid*. Quamvis enim *ad aliquid* non significet secundum propriam rationem aliquid alicui inhærens, sæpe tamen causam in rebus habet, et ideo realem entitatem distinctam a subjecto.

VII. Creatura spiritualis est in sua essentia omnino simplex. Sed remanet in ea compositio duplex: essentiæ cum esse et substantiæ cum accidentibus.

VIII. Creatura vero corporalis est quoad ipsam essentiam composita potentia et actu; quæ potentia et actus ordinis essentiæ, materiæ et formæ nominibus designantur.

IX. Earum partium neutra per se esse habet, nec per se producitur vel corrumpitur, nec ponitur in prædicamento nisi reductive ut principium substantiale.

X. Etsi corpoream naturam extensio in partes integrales consequitur, non tamen idem est corpori esse substantiam et esse quantum. Substantia quippe ratione sui indivisibilis est, non quidem ad modum puncti, sed ad modum ejus quod est extra ordinem dimensionis. Quantitas vero, quæ extensionem substantiæ tribuit, a substantia realiter differt, et est veri nominis accidens.

XI. Quantitate signata materia principium est individuationis, id est, numericæ distinctionis, quæ in puris spiritibus esse non potest, unius individui ab alio in eadem natura specifica.

XII. Eadem efficitur quantitate ut corpus circumscriptive sit in loco, et in uno tantum loco de quacumque potentia per hunc modum esse possit.

XIII. Corpora dividuntur bifariam: quædam enim sunt viventia, quædam expertia vitæ. In viventibus, ut in eodem subjecto pars movens et pars mota per se habeantur, forma

substantialis, animæ nomine designata, requirit organicam dispositionem, seu partes heterogeneas.

XIV. Vegetalis et sensilis ordinis animæ nequaquam per se subsistunt, nec per se producuntur, sed sunt tantummodo ut principium quo vivens est et vivit, et cum a materia se totis dependeant, corrupto composito, eo ipso per accidens corrumpuntur.

XV. Contra, per se subsistit anima humana, quæ, cum subjecto sufficienter disposito potest infundi, a Deo creatur, et sua natura incorruptibilis est atque immortalis.

XVI. Eadem anima rationalis ita unitur corpori, ut sit ejusdem forma substantialis unica, et per ipsam habet homo ut sit homo et animal et vivens et corpus et substantia et ens. Tribuit igitur anima homini omnem gradum perfectionis essentialem; insuper communicat corpori actum essendi, quo ipsa est.

XVII. Duplicis ordinis facultates, organicæ et inorganicæ, ex anima humana per naturalem resultantiam emanant: priores, ad quas sensus pertinet, in composito subjectantur, posteriores in anima sola. Est igitur intellectus facultas ab organo intrinsece independens.

XVIII. Immaterialitatem necessario sequitur intellectualitas, et ita quidem ut secundum gradus elongationis a materia, sint quoque gradus intellectualitatis. Adæquatum intellectionis objectum est communiter ipsum ens; proprium vero intellectus humani in præsenti statu unionis, quidditatibus abstractis a conditionibus materialibus continetur.

XIX. Cognitionem ergo accipimus a rebus sensibilibus. Cum autem sensibile non sit intelligibile in actu, præter intellectum formaliter intelligentem, admittenda est in anima virtus activa, quæ species intelligibiles a phantasmatibus abstrahat.

XX. Per has species directe universalia cognoscimus; singularia sensu attingimus, tum etiam intellectu per conversionem ad phantasmata; ad cognitionem vero spiritualium per analogiam ascendimus.

XXI. Intellectum sequitur, non præcedit, voluntas, quæ necessario appetit id quod sibi præsentatur tamquam bonum ex omni parte explens appetitum, sed inter plura bona, quæ judicio mutabili appetenda proponuntur, libere eligit. Sequi-

tur proinde electio judicium practicum ultimum; at quod sit ultimum, voluntas efficit.

XXII. Deum esse neque immediata intuitione percipimus, nèque a priori demonstramus, sed utique a posteriori, hoc est, per ea quæ facta sunt, ducto argumento ab effectibus ad causam: videlicet, a rebus quæ moventur et sui motus principium adæquatum esse non possunt, ad primum motorem immobilem; a processu rerum mundanarum e causis inter se subordinatis, ad primam causam incausatam; a corruptibilibus quæ æqualiter se habent ad esse et non esse, ad ens absolute necessarium; ab iis quæ secundum minoratas perfectiones essendi, vivendi, intelligendi, plus et minus sunt, vivunt, intelligunt, ad eum qui est maxime intelligens, maxime vivens, maxime ens; denique, ab ordine universi ad intellectum separatum qui res ordinavit, disposuit, et dirigit ad finem.

XXIII. Divina Essentia, per hoc quod exercitæ actualitati ipsius *esse* identificatur, seu per hoc quod est ipsum Esse subsistens, in sua veluti metaphysica ratione bene nobis constituta proponitur, et per hoc idem rationem nobis exhibet suæ infinitatis in perfectione.

XXIV. Ipsa igitur puritate sui *esse,* a finitis omnibus rebus secernitur Deus. Inde infertur primo, mundum nonnisi per creationem a Deo procedere potuisse; deinde virtutem creativam, qua per se primo attingitur ens in quantum ens, nec miraculose ulli finitæ naturæ esse communicabilem; nullum denique creatum agens in esse cujuscumque effectus influere, nisi motione accepta a prima Causa.

Datum Romæ, die 27 julii 1914.

L. ✠ S.

B. Card. Lorenzelli, *Præfectus.*
Ascensus Dandini, *a Secretis.*

Adnotatio. Præcitata duo documenta summi esse momenti ut in Ecclesia rite promoveatur studium doctrinæ neminem latebit, necnon illa intimo nexu colligi: quum in secundo explicite ac singillatim proponantur principia quæ in primo implicite ac generatim traduntur tamquam sancte inviolateque servanda.

I. In primo documento pars prior potius doctrinalis, altera vero disciplinaris est.

1. Docet nempe Summus Pontifex ad auctoritatem Apostolicæ Sedis pertinere ut ordinet de studio. Hoc porro munere quum jam functus esset (1), et, prædecessorum suorum vestigiis inhærens, mandavisset ut *philosophia scholastica studiorum sacrorum fundamentum ponatur,* hoc iterum nunc præceptum inculcat et ulterius explicat falsam rejiciendo interpretationem.

Scilicet quum statuatur philosophiam scholasticam ponendam esse ut fundamentum studiorum sacrorum intelligendum est *principia* quibus philosophia, *qualis fuit a sancto Thoma Aquinate edocta*, nititur, *sancte inviolateque serventur.* Proinde non licet illa propugnare asserta quæ funditus evertunt ædificium philosophicum a sancto Thomo exstructum ac ordinatum, etiamsi illa defensa fuissent ab auctoribus qui scholasticorum nomine decorantur. Ratio autem est quia constat *illa sancti Thomæ principia esse fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientiæ consistit.* Quapropter non sine magno detrimento in acquirenda cognitione potest quis discedere a philosophia thomisticæ, aut illam ignorare, aut illam contemnere; etiam oportet ut sub prælandatæ philosophiæ luce ipsa theologia semper illustretur.

2. Quibus positis, jubet Summus Pontifex ut in *communibus Seminariis clericorum* theologia tradatur ad mentem divi Thomæ, sed permittit ut adhibeantur libri qui, derivatas de Aquinatis fonte doctrinas, compendio exponunt; ut vero in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, *quæ habent ex apostolico indulto potestatem gradus et lauream* [h. e. doctoratum] *in theologia conferendi, Summa Theologica S. Thomæ*

---

(1) Præsertim in encyclica « *Pascendi* » et in litteris « *Sacrorum antistitum* ». Cf. *Collat Brug.*, t. XII, p. 677 s., t. XV, p. 552 s. Pluries jam Pius X laudavit et commendavit doctrinam S. Thomæ, v. gr. in epistola data ad P. Pègues, *Commentaire français littéral de la Somme théologique*, T. II *(De la Trinité)* Toulouse, 1908; v. alias epistolas ap. *Acta apostolicæ Sedis*, T. II, p. 724, 899; T. IV, p. 164; T. V, p. 487.

tamquam prælectionum *textus* habeatur et *latino sermone* explicetur et ita ut erga illam auditores optime afficiantur. Illæ autem præscriptiones tantum *pro Italia et insulis adjacentibus* obligatoriæ sunt, quum « Motu Proprio » ad illas regiones dirigatur.

3. Qui priorem prælaudati « Motu Proprio » intellexerit, jam non dubitabit quominus velit Summus Pontifex ut ubique terrarum in Theologiæ scholis sincere exponatur, explicetur ac propugnetur doctrina S. Thomæ. Quod, in Universitatibus, non meliori ratione fieri potest quam interpretando ipsum textum sancti doctoris quatenus in *Summa theologica* exhibetur (1): hoc enim opus, quod ingenio maturus conscripsit S. Thomas, continet theologiæ compendium perfectissimo constructum ordine, nitido firmoque expressum sermone, necnon altissimas rationes metaphysicas veritatum revelatarum, quantum fieri potest, proponens simul cum connexis scibilibus quæ humana ratio naturaliter cognoscit (2).

---

(1) Hæc docendi ratio antiquitus invaluerat in Universitatibus. In Universitate Lovaniensi, *Summa theologica*, tamquam textus lectionum, adhiberi cæpit anno 1596. Cf. MARTIN, *L'introduction officielle de la « Somme » de saint Thomas à l'ancienne université de Louvain*, in *Revue Thomiste*, 1910, p. 230 ss.

(2) De *Summa theologica* præprimis valet id quod Leo XIII dicebat de S. Thomæ doctrina universim sumpta: « Doctrina quidem est tanta ut sapientiam a veteribus defluentem, maris instar, omnem comprehendat. Quidquid est vere dictum aut prudenter disputatum a philosophis etnicorum, ab Ecclesiæ Patribus et Doctoribus, a summis viris qui ante ipsum floruerunt, non modo ille penitus dignovit, sed auxit, perfecit, digessit tam luculenta perspicuitate formarum, tam accurata disserendi ratione et tanta proprietate sermonis, ut facultatem imitandi posteris reliquisse, superandi potestatem ademisse videatur. Atque illud est permagnum, quod ejus doctrina, cum instructa sit atque apparata principiis latissime patentibus, non ad unius dumtaxat, sed ad omnium temporum necessitates est apta, et ad pervincendos errores perpetua vice renascentes maxime accommodata. Eadem vero, sua se vi et ratione confirmans, invicta consistit, atque adversarios terret vehementer ». *Litteræ apostolicæ de sancto Thoma studiorum patrono*, 4 Augusti 1880, ap. Desclée, *Leonis XIII acta*, t. I, p. 148.

Magistri, qui *Summam Theologicam* tamquam textum lectionum adhibet, erit ulterius pertractare et loco proprio inserere quæstiones vel objectiones quæ forsitan non explicite proponuntur a S. Thoma, quod quomodo rite fiat videre est apud commentaria tum antiquiora, tum recentiora de *Summa theologica;* erit etiam summa cum cura exponere et propugnare argumentum ex S. Scriptura et ex Traditione desumptum, ad quod juvabitur subsidio hodiernæ eruditionis (1). Sed in methodo tradendi theologiam hoc essentiale et præcipuum est ut per logicam et metaphysicam doctrina sacra excolatur et ad veri nominis scientiam construatur, ut nempe veritates a Deo revelatæ introspicientur ac comprobentur, ordinentur in totum logicum et defendantur contra adversarios (2).

In prælaudato igitur documento Pius X non solum veritati revelatæ tuendæ fideique catholicæ servandæ prospexit, sed etiam humanæ rationis speculativæ necnon scientiæ volorem objectivum confirmavit (3).

II. Ut non in vanum loquatur Summus Pontifex, ut non quibuslibet controversiis impediatur quominus ad praxim deducatur mandatum suum, curavit ut in altero documento, a Sacra Studiorum Congregatione edito, proponerentur theses philosophicæ quæ habendæ sunt

---

(1) « Addimus heic eos etiam Nobis laude dignos videri, qui, incolumi reverentia erga Traditionem et Patres et ecclesiasticum magisterium, sapienti judicio catholicisque usi normis (quod non æque omnibus accidit) theologiam positivam, mutuato a veri nominis historia lumine, collustrare studeant. Major profecto quam antehac positivæ theologiæ ratio est habenda: id tamen sic fiat ut nihil scholastica detrimenti capiat, iique reprehendantur, utpote qui modernistarum rem gerunt, quicumque positivam sic extollunt ut scholasticam theologiam despicere videantur. Pius X, encyclica « Pascendi », ap. *Collat. Brug.*, t. XII, p. 678.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 569 ss.

(3) Quod de bello a Pio X contra Modernismum indicto scite animadvertebat Illmus ac Revmus Waffelaert in epistola data die 24a Augusti, occasione mortis Pontificis: « Zoo doende heeft Pius X den grootsten dienst bewezen niet alleen aan het geloof, maar nog. Wij zeggen het zonder aarzelen, aan de menschelijke rede zelf ».

ut Sancti Thomæ principia et pronuntiata majora, et proinde sancte tenenda.

Hic non est locus de singulis habere explicationem. Notemus tantum popositiones I-VII pertinere ad *ontologiam*, VIII-XII ad *cosmologiam*, XIII-XXI ad psychologiam, XXII-XXIV ad *theodiceam*.

Tres priores propositiones quæ de notione ac natura agunt *actus* et *potentiæ* et de *distinctione reali inter essentiam et esse*, summi esse momenti neminem latebit (1), eo vel magis quod lumen magnum afferunt ad rectam notionem de essentia et infinitate Dei (2) et ad explicationem de modo unionis hypostaticæ (3), propositio VI quæ est de *relatione* sequelam habet in explicatione de mysterio SS. Trinitatis, præsertim ut *æqualitas* Personarum rite propugnetur (4).

Quod Leo XIII de necessitate instaurandæ philosophiæ S. Thomæ edixerat ac mandaverat, hoc magis ursit ac determinavit Pius X: itaque magis ac magis elucet factum quod extra viam a S. Thoma indigitatam non datur vera philosophia, nec veri nominis scientia theologica: cum veritatibus a Deo revelatis immutabiliter connectitur hæc doctrina, quoad generaliora ac majora asserta, quam proposuit Doctor Angelicus.

J. Van der Meersch.

---

(1) Cf. *Revue Thomiste*, 1910, t. XVIII, p. 209, 228, 741; 1911, t. XIX, p. 89, 445; 1912, t. XXX, p. 66, 307.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, 1902, p. 515.

(3) Cf. *Collat. Brug.*, 1912, p. 96, 240, 365.

(4) Cf. *Collat. Brug.*, 1903, p. 262, 475. Quod in propositione XXIV asseritur *de incommunicabilitate virtutis creativæ* habes expositum ap. *Collat. Brug.*, t VIII, p. 528-534. De motione qua indiget creatura ad agendum, v. *Collat. Brug.*, t VI, p. 562 ss. et nostrum tractatum *De divina gratia*, n. 262 ss.

Suprema S. Congregatio S. Officii

(Sectio de Indulgentiis)

DECRETUM (1)

Plenaria indulgentia « toties quoties » conceditur in Defunctorum solamen die 2 novembris.

Die 25 junii 1914.

SSmus D. N. D. Pius div. prov. Pp. X, in audientia R. P. D. Adsessoii S. Officii impertita, perlibenter suscipiens preces multorum, præsertim Sacrorum Antistitum, ampliori cupientium suffragio animabus in purgatorio degentibus subvenire, quo die generalis in Ecclesia universa defunctorum celebratur commemoratio, accedente eminentissimorum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium voto, in Congregatione habita feria IV, die 24 junii, anno 1914, favorabiliter expresso, benigne concedere dignatus est, ut die secunda novembris cujuslibet anni, christifideles, confessi ac s. Communione refecti, quoties aliquam ecclesiam vel publicum aut semipublicum oratorium, defunctis suffragaturi visitaverint, ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, toties plenariam Indulgentiam, animabus piacularibus flammis addictis tantummodo profuturam, lucrari valeant. Præsenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. ✠ S. D. Card. Ferrata, *Secretarius.*
† Donatus, Archiep. Ephesin., *Adsessor.*

E S. Pœnitentiaria

Facultates speciales pro tempore belli.

Beatissime Pater (2),

Episcopus Virdunensis, sub cujus jurisdictione complurimi continentur milites, ad religiosam illorum tempore belli

(1) *Acta Apost. Sedis,* t. VI, p. 378.
(2) *Nouv. Rev théol.,* t. XLIV, p. 499 s.

curam simulque ad præcavendas difficultates, Sanctitatem Vestram humiliter rogat ut opportunam sequentium dubiorum declarationem mandet petitasque facultates concedat:

I. — Utrum miles quicumque, in statu bellicæ convocationis, seu, ut aiunt, mobilisationis constitutus, ipso facto versetur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi?

Quatenus *negative*, dignetur Sanctitas Vestra cuivis sacerdoti, qui indicti belli tempore missam celebrare de jure valebat, impertire facultatem a cunctis casibus absolvendi quemcumque militem e propria vel hostili natione, aut etiam ex amica.

II. — Utrum irregularitas ab omni clerico incurratur quem gallica lex ad exercendum active bellum aut pugnam coegit?

Quatenus *affirmative*, placeat Sanctissimo irregularitatem prædictam ita quidem tollere ut exercentes bellum clerici possint accedere ad sacramenta, valeantque sacerdotes operi bellico active inservientes sacramenta et accipere et ministrare.

III. — Utrum ab officii divini lege liber existat clericus in sacris constitutus quem bellica convocatio, seu, ut aiunt, mobilisatio ad functionem adjudicavit militis vel activi vel ministrantis commilitonibus vulneratis?

Quatenus *negative*, dignetur Sanctitas Vestra clericos prædictos a breviarii lege, durante bello, eximere.

Et Deus...

Sacra Pœnitentiaria, mature consideratis expositis, benigne sic annuente Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, respondet:

Ad I. *Reformato dubio:* « Utrum miles quicumque, in statu bellicæ convocationis, seu, ut aiunt, mobilisationis constitutus, ipso facto *æquiparari* possit iis qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi? »: *Affirmative juxta regulas a probatis auctoribus traditas.*

Ad II dubium: Ad primam partem: *Consulat Orator probatos auctores;* ad secundam partem: *Sacra Pœnitentiaria benigne indulget ut sacerdotes militantes, ceteris paribus, inter bellicas operationes, Sacrum facere et sacramenta ministrare valeant, non obstante irregularitate quam, pugnantes, forte incurrerint; bello vero composito, recurrant ad competentem auctoritatem. Nihil autem obstat quominus ipsi sacerdotes aliique clerici militantes, licet forte in irregularitatem inciderint, admittantur ad sacramenta.*

Ad III dubium: Ad primam partem: *durante bello ejusque proxima præparatione, affirmative.* — Ad secundam partem: *provisum in prima*

Datum Romæ, in Sacra Pœnitentiaria, die 18 Martii 1912.

CAROLUS PEROSI, *S. P. Regens.*
C. LICATA, *S. P. Substit.*

Adnotationes.

Ad I^m. In responso ad primum dubium respondet S. Pœnitentiaria, moderato tenore, quemcumque militem, in statu bellicæ convocationis seu mobilisationis constitutum, spectari posse et haberi, in ordine ad absolutionem sacramentalem (1), perinde ac si in periculo mortis versaretur.

Possunt proinde, vi ipsius juris communis, sacerdotes omnes, etiam non approbati, absolvere hujusmodi milites a quibusvis peccatis undecumque reservatis, sive ratione sui sive ratione censuræ; hæc sola servanda est in casu cautela, quatenus sacerdos, si absque speciali facultate aliunde accepta, absolverit a censura specialiter reservata S. Sedi, debeat pœnitenti imponere onus infra mensem recurrendi (ubi convaluerit) ad S. Sedem ejusque standi mandatis (2).

Porro milites censentur esse in statu bellicæ convocationis seu mobilisationis, statim ac mobilisationis decreto attinguntur seu mandatum accipiunt stationem militarem sibi assignatam petendi. Quod bellum indicetur vel etiam quod auctoritate suprema decretum feratur mobilisationis, non sufficit ut omnes indiscriminatim juvenes, qui servitio militari obnoxii sub vexillis vocari possunt, illicò et ipso facto periclitantibus æquiparentur; tales non sunt nisi qui reipsa convocantur, a momento scil. convocationis; notum enim est non omnes qui

(1) Dicitur: « in ordine ad sacramentalem absolutionem »; quia periclitantibus nequeunt æquiparari militantes quoad receptionem aliorum sacramentorum, in specie SS. Eucharistiæ, nec adeo debet nec potest hujusmodi militibus ad S. Synaxim accedentibus porrigi S. Communio per modum viatici, nisi, ratione instantis pugnæ vel ratione accepti gravis vulneris, reipsa constituti fuerint in mortis discrimine. Quod spectat Extremam Unctionem, ut hac muniri queant, oportet præsto sit periculum mortis ex infirmitate, puta ex accepto vulnere, oriundum.

(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XVIII, p. 291 ss.

militiæ mancipari possunt seu incorporari, de facto convocari, nec omnes convocari eodem momento (1).

Posita dicta conditione bellicæ convocationis, data solutio applicatur *cuicumque militi*, ad quamcumque nationem pertinenti, sive ad propriam sacerdotis absolventis nationem, sive ad hostilem aut aliam amicam; non refert etiam quod agatur de pœnitente laico vel clerico, modo miles existat, et qua talis sub vexillis vocatus. Ita ex una parte spectat S. Sedis dispositio clericos militiæ adscriptos, licet pro solo munere habeant ministerio vacare vulneratorum nec arma ferant; ex alia autem parte non videtur laudata concessio seu declaratio suffragari eleemosynariis militum, aliunde militiæ non addictis, et alio quam militis titulo exercitum comitantibus.

Quodsi quæratur quousque vigeat, in gratiam militum, descripta privilegiata conditio, respondetur illam vigere usque ad belli terminum, exceptione facta pro militibus quos, infra bellicas operationes, a servitio militari contingit *definitive* liberari. Potest proinde facta concessio in praxim deduci erga milites cujuscumque nationis bellum gerentis, quousque non fuerint definitive ab exercitu dimissi, idque toto belli tempore, quin referat quod pugna instet vel non, quod infirmentur milites vel non, vulnera acceperint vel non, in hospitio degant vel non.

Ad II^m^. Sub *secundo*, speciale dubium movetur circa *clericos* militiæ addictos.

Nimirum in jure providetur *irregularitatem* incurri posse, sive ex delicto sive ex defectu (lenitatis), ratione homicidii vel gravis mutilationis; et communiter docent

---

(1) « On sait, quemadmodum loquitur Episcopus Virdunensis (qui dubia coram S. Pœnitentiaria proposuit et Instructionem pro clero adnexuit accepto S. Sedis responso), que tous les combattants ne sont pas appelés le même jour. Autre est le régime des troupes ordinaires que celui des troupes de couverture; autre celui des troupes de l'active et celui des troupes de territoriale; autre celui de ces troupes et autre celui de la réserve de chacune d'elles. Le fait de la déclaration de guerre constitue le danger de mort pour les troupes de couverture; pour d'autres catégories, le danger n'est considéré comme existant qu'après un certain laps de temps, pour d'aucuns même après cinquante ou soixante jours ».

Auctores illam irregularitatis pœnam, saltem ex defectu, non effugi, positis ponendis, si homicidium vel mutilatio contigerit in bello; distinguunt autem inter bellum injustum, quo casu locus est irregularitati ex delicto, et bellum justum, subdistinctione inducta inter bellum offensivum et defensivum (1).

Porro respondet S. Pœnitentiaria juris dispositiones in hac re servari, nec ipsis a S. Sede derogari, remittendo ad probatos Auctores ut determinetur, juxta varias hypotheses indicatas, quousque contrahi videatur irregularitas, signanter a clericis et sacerdotibus partes habentibus in pugna.

Ulterius autem opportunum non censuit S. Sedes super contracta a clericis bellantibus irregularitate universim dispensare, sed *illius effectum juridicum, in gratiam sacerdotum, suspendit pro tempore belli:* benigne scilicet indulgendo ut sacerdotes militantes « inter bellicas operationes, sacrum facere et sacramenta ministrare valeant, non obstante irregularitate quam, pugnantes, forte incurrerint »; simul autem statuendo ut « bello composito, recurrant ad competentem auctoritatem », pro obtinenda dispensatione vel, in dubio, authentica declaratione.

Dicta igitur effectuum irregularitatis suspensio obtinet *pro solo tempore belli:* quo absoluto, reviviscit irregularitas suosque effectus canonicos producit donec dispensatione fuerit ablata. Solos etiam afficit *sacerdotes;* ac proinde clerici sacerdotio inferiores, si irregularitatem forte contraxerint, non possent, etiam tempore belli, absque prævia dispensatione, ad ordines promoveri vel ordinem susceptum exercere.

Quod spectat accessum ad sacramenta (præterquam ad Ordinis sacramentum) eorumque receptionem passivam, de qua in proposito dubio, meritò respondet S. Pœnitentiaria nihil, ex parte irregularitatis forte contractæ, obstare hujusmodi sacramentorum receptioni, siquidem hanc non attingit irregularitatis effectus.

A. De Smet.

---

(1) Cf. Hilarius a Sexten, *Tractatus de Censuris ecclesiasticis*, Moguntiæ, 1898, p. 335 ss.

Quæstiones pro Conferentiis

mensis Novembris.

—

I

II

Explica hoc assertum: In hac vita nostra cognitio de Deo non est nisi mediata et analogica.

III

Breviter expone quænam sit norma *pretii per se justi*, in consueto contractu emptionis-venditionis.

IV

An et quousque eadem norma applicanda est, ubi agitur de vendendis emendisque rebus insuetis, nempe pretiosis aut extraordinariis.

V

Quid est conscientia scrupulosa et quænam sunt causæ ejus?

VI

Cur in Missali Romano exstant quatuor diversa formularia Missarum pro defunctis? Indica generali modo quandonam singula sint adhibenda.

G.-J. Waffelaert, S. T. D., Évêque de Bruges. *Méditations théologiques,* 2 vol. Bruges, Beyaert, 1910. Fr. 6.

J. Van der Meersch. *Tractatus de Gratia,* in-8, XVI-407 p. Brugis, Beyaert. Fr. 5.

A. De Smet. *De Sponsalibus et Matrimonio.* Editio altera. In-8, XXXVI-620 p. Brugis, Beyaert. Pretium : 8 fr.; pro clero Belgico : 6.50 fr.

Id. *Les Fiançailles et le Mariage.* — Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée. In-8, XXXVI-712 p., Bruges, Beyaert, 1912. Prix : 10 fr.

Id. *Tractatus de Casibus reservatis necnon de sollicitatione et absolutione complicis,* in-8, XVI-222 p. Brugis, 1914. Pretium 2,50 fr.

Id. *Compendium Tractatus de Sponsalibus et Matrimonio.* In-8, XXIV-408 p., Brugis, Beyaert, 1914.

A. Vander Heeren. *Psalmi et cantica Breviarii.* Brugis, Beyaert. In-8, LXXXIV-376 pp. Fr. 6.

De Brabandere-Van Coillie. *Juris canonici et juris canonico-civilis compendium.* Editio octava, curante A. De Meester. T. I, Brugis, Desclée et Soc., 1914, in-8, 850 p.

Opus periodicum Collationes Brugenses menstruis prodit fasciculis et complet singulis annis volumen 700 ad minus paginarum. — Constat autem pretio annuo sex francorum (pro regionibus exteris, superaddenda taxa postalis).

Fasciculus singularis venit pretio 0.75 fr.

Collationes Brugenses

FASCICULUS ULTIMUS TOMI XIX (1914-1919).

QUUM · ANNIS · ABHINC · QUINQUE
SUPERBIA · ELATI · ET · DOMINANDI · CUPIDINE · PULSI
INIUSTISSIMUM · NOBIS · ATQUE · FEROCISSIMUM · BELLUM
INTULERINT · BARBARI

ÆTERNO · QUUM · DEI · CONSILIO
MUNDI · SALVATORIS · CORDE · GLORIANTES
JURIS · VINDICEM · ATQUE · PRÆCLARAM · GESTIS · VICTORIAM
RETULERINT · NOSTRI

PACE · NUNC · RESTITUTA
AD · IMMORTALIS · DOMINI · DOMINANTIUM · GLORIAM
IN · CLERICORUM · ANIMI · CULTURAM · LIBERATÆQUE · PATRIÆ · MUNIMENTUM
DIFFUNDENDÆ · DOCTRINÆ · SACRÆ · CAUSA
UT · IN · LUCEM · COLLATIONES · BRUGENSES · PRODIRENT · DENUO
CURAVERE · SCRIPTORES.

KALENDIS · AUGUSTI · MCMXIX.

NOTANDA QUÆDAM UTILISSIMA

in ordine ad rite intelligenda opera Scriptorum contemplativorum adque ipsam contemplationem divinam exercendam.

(Sequitur. — Cfr. supra, tom. XIX, pag. 558).

CONCLUSIO.

Dilecto Clero gratum nos facturos existimavimus, si eorum omnium quæ de doctrina ascetica et mystica, ducibus præclarissimis luminibus Thoma, Bonaventura, Joanne a Cruce aliisque, præcipue vero nostro Rusbrochio, hucusque scripsimus, conclusionis instar atque aliqualis compendii adjecerimus exercitium quoddam contemplativæ unionis cum Deo, ad quam reliqua omnia tandem convergunt tamquam ad complementum et finem totius vitæ spiritualis. Et hoc quidem exercitium usui esse poterit sacerdotibus nostris carissimis, quo tum ipsimet sese ad vitam perfectam exerceant, tum electas animas sibi commissas ad eamdem perfectionem manuducant.

Itaque, **primum** animo *purgato* ab omni passione et affectu inordinatis, et porro pergente continuo, per christianam mortificationem, eadem purgatione tum sensus, tum spiritus seu intellectus et voluntatis; **deinde** mente *illuminata* per sanctas meditationes et virtutum exercitia, ita ut divina *fides* quam vivida et actuosa totam vitam dirigat; ut omnis adspiratio omneque desiderium voluntatis sit rerum æternarum, seu *spes* nostra tota in Deum feratur; ut tandem *charitas*

divina omnem affectum occupet; jam tertio ad limen *contemplationis ac unionis* divinæ sistimur. Actuale autem hujus contemplativæ unionis exercitium commode fieri potest sequente modo:

1° Peto solitudinem (v. g. in cubiculo, aut coram SS. Sacramento, vel et suscepta SS. Communione sub gratiarum actione), et facio silentium *exterius,* remota quantum fieri potest omni occasione distractionis animi, atque in meipsum mente descendo: transgredior primo tum sensus, tum imaginationem ac phantasiam et memoriam sensitivam, tum appetitum inferiorem, verbo, partem sensitivam animæ, antea ut supra purgatam ab omni passione inordinata ac pacatam, eamque nunc ulterius purgo atque evacuo ab omni forma ac imagine et affectu cujusvis creaturæ, ita ut fiat silentium *interius*, planeque expellatur non tantum inordinatus sed *omnis* affectus ad bona hujus mundi sensibilia: divitias, honores, commoda vitæ, delectationem sensibilem quamvis, ut excludatur omnis affectus proprietatis, i. e. relatio dictorum bonorum ad meipsum, sitque vera interna paupertas ac nuditas, verbo, sit *nox obscura sensus* (1) et *mors sensitivæ partis.*

2° Descendo intimius in partem spiritualem animæ; primo quidem in intellectum et memoriam intellectualem, quos pariter despolio ab omni forma ac imagine intellectuali seu cogitatione ac cognitione distincta (2),

---

(1) Ad mentem S. Joannis a Cruce.

(2) Hæc communis Sanctorum mysticorum doctrina de relinquenda omni cognitione *distincta* rerum etiam divinarum, in ordine ad unionem contemplativam consequendam, nequaquam importat scientiæ theologicæ despectum, quam cæterum et ipsi magna cura excolere consueverant.

Profecto omnes homines quasdam veritates distinctas ad salutem necessarias necessitate præcepti vel et medii nosse debent et explicite credere, et qui alios docere debent, ex officio tenentur scientiæ sacræ incumbere. Cuicumque autem per tempus et ingenii vires id licet, illum decet veritates a Deo revelatas, docente ac declarante Ecclesia, intimius scrutari; quippe quod ad vitam spiritualem rite instituendam plurimum

solo retento cogitatu Dei eoque confuso, generali et affectuoso, per notiones potius negativas, scilicet ut immensi infinitique boni, incomprehensibilis perfectionis. Secundo, descendo in voluntatem, ex qua similiter arceo omnem affectum amoris, desiderii, gaudii, solo retento amore Dei, supremæ beatitudinis et infiniti boni, super omnia propter se tandem diligendi amore gratuito et effectivo, solum ejus honorem et gloriam in omnibus unice intendendo ac procurando. Sit ergo *nox obscura spiritus* (1).

3° Simul quoque, sic descendendo in meipsum, trans-

---

confert, etiamque conducit ad vitam contemplativæ unionis, utpote ad viam præparatoriam unionis, nempe illuminativam, pertinens. Quorsum enimvero Deus veritates revelasset, nisi ut eas cognoscamus, meditemur, fructumque sanctificationis inde hauriamus? (Vid. introduct. in nostras *Meditationes theologicas*).

Ast scientia theologica non est omnibus necessaria, ne ad hoc quidem ut perveniatur ad altissimam contemplationem, a qua nec simplices animæ ac rudes excluduntur, dummodo divina fide, spe et charitate emineant.

Igitur, hoc est quod significare volunt Mystici, scientiam quamvis notionesque distinctas rerum divinarum acquisitas non esse dispositionem intellectualem *ultimam* ad contemplationem et unionem cum Deo, acsi labor proprius et acquisita scientia ex se attingere possit ad altissimam contemplationem; sed istam dispositionem ultimam esse nudam ac vividissimam fidem, qua obscure et generali quadam eaque affectuosa cognitione Deus apprehenditur ut infinitum bonum, per negativas potius quam per affirmativas et distinctas notiones, nempe ut immensa, infinita, incomprehensibilis abyssus bonitatis ac perfectionis. Quod quidem nullatenus obstat quin scientia theologica remotius disponat ad contemplationem, idque valde efficaciter, in quantum theologus facilius et penitius attinget generalem illam et affectuosam notionem divinæ abyssi, nuda ac vivida fide apprehendendam. Exempli gratia lege textum Cajetani a nobis pluries recitatum (nuper quoque supra, tomo XVII, p. 228): si hunc textum, qui medullam quasi exhibet tractatus de Deo uno et trino, perfecte intellexeris, nonne mens, veluti exhausta et in cognitione Deitatis plane deficiens, sponte rapietur in illud abyssale nescire incomprehensibilis Dei?

(1) Rursus ad mentem S. Joannis a Cruce. — Qui utramque noctem, sensus et spiritus, pertransierit, erit liber humilis homo, de quo Rusbrochius, inter alia dicit: « Underlinghe behaghen tusschen Gode enden vrien ooetmoedeghen, dat es dat hooeghste ende dat edelste werc in innighen levene. » Vid. *Van den VII trappen,* Ve trappe.

gredior omnia dona pretiosissima a Deo tum in substantiam animæ, tum in facultates ejus infusa: gratiam sanctificantem, virtutes theologales, dona Spiritus sancti, virtutes morales, donec pertingens ad intimum centrum animæ, ad templum Dei et habitaculum ipsius Auctoris omnium donorum, plene conscius fiam me cum Spiritu sancto, qui datus est mihi, esse unitum unione mirabili, qua effectus sum non tantummodo amicus sed filius Dei adoptivus; et cum Spiritu sancto, perque Ipsum, Patrem et Filium, augustissimam Trinitatem ac ineffabilem Unitatem mansionem facere apud me.

4° Vivida jam conscientia hujus meæ unionis cum Deo me totum occupat et in spiritu prosterno me coram majestate Dei, qui simul est, secundum Trinitatem personarum, summa interna activitas intellectus et voluntatis in duplici ineffabili processione, et simul, secundum unitatem essentiæ, suprema requies et beatitudo, typus atque exemplar existens meæ activitatis, nempe contemplationis et amoris Deitatis incomprehensibilis, meæque fruitivæ unionis et quietis in abysso divini esse.

Sicque pertingo ad contemplationem obscuram, ut loquitur S. Joannes a Cruce, seu ad illud quod vocat B. Rusbrochius abyssale nescire (grondeloes nietweten), contemplans æternum innominatum (eeuweghe ongenaemtheit), æternam quietem et æternam activitatem (eeweghe ledegheit en eeuweg werc), modo expertem incognitam obscuritatem (wiseloese onbekinde deemsterheit); atque demergor et absorbeor in abyssali beatitudine (grondeloese salegheit); simul omnem fruitionem, amore gratuito ac perfectissimo, dirigens unice ad honorem et gloriam Dei, cui quasi exhaustus ac mihimetipsi amissus et extinctus totum relinquo, quod ulterius præstare, et in me ac de me efficere velit Deus.

NOTA.

In opusculo Dionysii Carthusiani, quod supra hoc tomo, pag. 82-97 et 153-162 edidimus, quædam sunt corrigenda et addenda, ut sequitur:

Pag. 87, in fine, in textu Apostoli 2 *Cor.*, IV, legendum est *claritatis*, non vero *charitatis* scientiæ Christi. Et nota apud Vulgatam legi: non Christi, sed *Dei*.

Pag. 89, versus medium: « de qua in libro misticæ theologiæ tractat theologus, » adde in nota: Theologus, id est Dionysius vulgo Areopagita.

Pag. 96, initio: « Hilarius in libro de Trinitate, » adde in nota: lib. VII, n. 11, in fine, et cf. *lib. de Synodis*, n. 12, ejusdem S. Hilarii, necnon *Fragmenta ex opere historico* ejusdem, *Fragm. II*, n. 32 (in edit. Benedict. S. Mauri, Veronæ 1730, tom. II).

Ead. pag., paulo infra: « teste Anselmo » etc. adde in nota copistam per errorem scripsisse: « melius est non esse quam esse »; legendum est: *melius est esse quam non esse*. Vid. Anselmi *Proslogium*, c. V, et cf. ejusdem *Monologium*, c. XV.

Pag. 160, initio cum nota (1). Quod prius legere non potueram e manuscripto, jam inveni sine dubio legendum sic: « vel quæcumque virtus formata pertinens *unde* caritas vita *animæ* nuncupatur. » Hoc modo textus sat bene intelligitur; si quid tamen videretur supplendum hoc esset: virtus formata pertinens *ad caritatem, seu caritas ipsa,* unde caritas etc.

† G. J. Episc. Brugen.

De origine mali, deque miseriis humanæ vitæ propter Deum tolerandis.

« Homo, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis » (1). Sic loquebatur sanctus vir Job, qui rem expertus ipse tum ruina universorum suorum bonorum, tum prolium omnium dira morte, patientissimus et in Deum piissimus ajebat: « Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum » (2). Imo, et perculsus ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem, cum uxor sedenti in sterquilinio et testa saniem radenti suam ipsi pietatem in Deum objurgaret « ait ad illam: Quasi una de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis » (3).

Nullo tempore opportunius hæc considerare atque meditari potuimus, quam sæviente hoc immani bello. Quanta enim strages hominum, quantus ubique luctus, quantæ ruinæ et miseriæ omne genus, quanta calamitas! Atque mediis in hisce malis et angustiis, inventi quoque sunt qui, Job imitantes, non peccaverunt labiis suis; sed et alii qui sicuti stulti locuti sunt, non intelligentes quam magnus sit Dominus Deus, quam inscrutabilia judicia infinitæ sapientiæ infinitique amoris Ejus. Quæ cum ita sint, nihil tamen nos prohibet quin, prælucente fide ipsaque sana ratione, penitius inspiciamus istud aliquale mysterium doloris ac miseriæ humanæ, imo potius utilissimum vel et necessarium id est, quo ad perfectam patientiam instruamur, ad omnimodam in Deum pietatem ac religionem excitemur, ad sinceram ferventemque Dei admirationem atque glorificationem accendamur.

---

(1) *Job*, XIV, 1.
(2) Ibid., I, 21.
(3) Ibid., II, 7-10.

Deus Optimus Maximus auctor est primaque causa omnium bonorum, neque aliud in omnibus suis operibus vult ut finem, seu intendit, quam bonum, sed nec intendere potest. Cum tamen in mundo sit multiplex malum, quæ est privatio boni seu carentia boni debiti vel saltem convenientis inesse alicui subjecto, breviter examinemus an et quomodo Deus malum velit aut velle possit, num mali causa et auctor sit vel esse possit.

*
* *

Primo quidem, *malum morale* seu *culpæ*, id est peccatum, neque ut finem vult Deus, neque ut medium, sed nec velle potest; contra, absolute prohibet et punit omne peccatum, etiamsi ab aliquo committeretur ad finem bonum obtinendum. Vult autem Deus permittere seu non impedire peccatum, quod ne permitteret quidem nisi ex commisso peccato bonum eruere valeat. Quod non ita intelligas acsi permissio peccati ipsi Deo sit medium ad finem bonum, sed ita ut bonum quod ex peccato efficit Deus sit conditio sine qua non permitteret illud: adeo bonus et sanctus est Deus. Unde merito S. Augustinus: « Neque, *inquit*, Deus omnipotens, cui rerum est summa potestas, cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens et bonus, ut bene faceret etiam de malo (1). »

Dices forsan, nonne tamen Deus, omnipotens cum sit et summe bonus, impedire potest peccatum et ita bonitatem vere summam ostendere?

Respondetur. Etiam in præsenti ordine a se electo, absoluta quidem potentia impedire posset peccatum, ordinata vero potentia id non potest saltem universaliter, id est exceptis casibus particularibus, cum ordo electus jam non subsisteret; alium vero ordinem in quo

(1) *Enchiridion*, cap. XI.

non fuisset peccatum nec Angelorum, nec primi hominis, neque aliorum, Deum statuere quidem potuisse non negamus, idque salva creaturæ libertate, cum posse peccare non sit libertas nec pars libertatis, sed libertatis imperfectio, sicut peccatum est abusus libertatis (1): anvero in isto ordine, ablata etiam deflectibilitate ad malum liberi arbitrii, melius quam in ordine præsenti summam bonitatem ostendisset Deus, quis mortalium dicet? In hoc errat qui talia objicit, quod aliquod elementum particulare, non attento ejus loco ac dispositione in ordine universi, id est in ordinatione rerum ad invicem earumque omnium ordinatione in finem, respicit, et de isto elemento particulari in se et abstracto ab ordine universi judicat id esse melius vel deterius suo opposito, ita peccatum non esse judicat melius quam esse, ast inde non sequitur ordinem in quo peccatum permittitur esse minus bonum ordine in quo non permittitur. Hic caveatur ab optimismo damnabili et absurdo, quasi Deus unamquamque rem quam efficit debeat aut possit facere absolute optimam, et recolligatur doctrina a nobis exposita, ad mentem S. Thomæ et S. Bonaventuræ in nostris *Meditat. theol.* (2), ubi quoque demonstravimus esse in præsenti ordine manifestationem vere summam divinæ omnipotentiæ, sapientiæ et bonitatis, quin asserendum sit singulas res creatas esse non posse meliores (3).

---

(1) Cf. *Medit theol.*, p. II, c. I, a. 3, n. 39 et 42.

(2) Part. II, cap. I, art. IV, n. 58 et sqq., coll. c. II, n. 131.

(3) Obiter notamus, quod ex hic dictis evidens apparebit, quæstionem an Verbum carnem assumpsisset, si Adam non peccasset, nobis videri haud recte positam, imo otiosam. Etenim Deum potuisse alios ordines eligere, eosque multiplices, in quibus absque peccato creaturæ Verbum assumpsisset aliquam naturam creatam, non negamus, atvero nihil novimus de hujusmodi aliis ordinibus, et quis scire potest quid in his facturus fuisset Deus? Ne congruentiæ quidem argumenta, ut nobis videtur, afferri possunt in favorem Incarnationis Verbi extra hypothesim præsentis ordinis.

Simili modo, quæstio num ante anvero post *prævisa* merita Deus

Ex præcedentibus quoque intelliges, quod cæterum evidens est, Deum nullo sensu dici posse nec esse auctorem mali culpæ: etsi enim ad omnem actionem, qua actio est, movet ac cooperatur, totus defectus rectitudinis moralis a sola malitia est creaturæ peccantis.

*
* *

Jam *malum physicum* seu *naturæ* an et quomodo velit aut velle possit Deus, ejusque auctor sit vel esse possit inquiramus.

Præprimis attende creaturam, eo ipso quod creatura est ac finita, natura sua imperfectioni et defectui obnoxiam esse, ex quo fit ut naturaliter mala physica consequantur. Sic in homine, naturæ suæ relicto, corpus natura sua mortale est, adeoque morti, morbis, infirmitatibus, vulneribus, doloribus variis subjectum; anima, omisso nunc peccato, ignorantiæ, errori, tristitiæ, anxietati aliisque malis obnoxia.

Jamvero, vult Deus creaturas ut sint, neque velle potest nisi quod est vel ut sit, quod proin bonum est, vel ut sit, in creaturis; quæ vero ex defectu perfectionis naturaliter oriuntur mala physica Deus non vult ut sint, ut finem, neque vel ut medium ad finem bonum: hæc enim mala non sunt Deo medium ad obtinendum seu efficiendum quod bonum est in creaturis; sed ea vult ut conditionem sine qua non potest velle creaturam seu quod bonum est in ea. Adeoque Deus vere et per se auctor est omnium bonorum in creaturis, mali vero non est auctor ac causa nisi per accidens, in quantum velle

---

sanctos prædestinet, non recte ponitur. Nequit enim esse sermo de ulla præ*visione* divina, nisi posito decreto divino absoluto præ*definiente*, quod est unicum totius ordinis, seu totius præ*ordinationis* per præ*scientiam*, vi cujus præordinationis merita præ*scita* ordinantur ad præmium, et vita æterna ut præmium meritorum præcognitorum. Necessario confusio et error oriuntur, si aliquod elementum particulare ordinis consideres abstrahendo vel præscindendo ab ordine ipso universi (Cf. nostras *Medit. theol.*, parte II. cap. 2).

non potest bonum creatum, absque malo quod ex natura rei conjungitur cum illo bono.

Dicet fortasse aliquis: si summa malorum superet summam bonorum, videbitur creaturis melius non esse quam sic esse.

Respondemus. Si integrum ordinem universi creati inspicias, videlicet ordinationem rerum ad invicem earumque ordinationem in finem, negamus suppositum objectionis. Fieri enim nequit ut Deus omnipotens, infiniteque sapiens et bonus, eum ordinem instituat, vel, ut rectius loquamur, hujusmodi inordinationis auctor sit, qua melius sit res universim non esse quam esse. Si vero res in particulari consideres, distingue creaturas inter intellectu præditas, et inferiores. Quod has attinet, cùm ex integro referantur ad illas, parum refert aliquibus, puta animantibus sensu præditis, esse aliquando melius non esse quam sic esse, hoc enim per accidens fit et nequaquam nocet ordini, sicuti nec nocet quod species animalium quædam omnino extinguantur. Quod vero spectat creaturas intellectuales, hæ nullis malis physicis impediri possunt quin finem suum consequantur, quinimo sæpe mala physica ad istum finem melius attingendum, ut ex infra dicendis erues, utilissima sunt.

Adde multa mala naturæ oriri ex culpa, ex peccatis personalibus hominum. Quot revera morbi et infirmitates, quoties etiam vulnera et mors ipsa, quot dolores, tristitiæ, anxietates, remorsus ex propria culpa mala patientis ortum habent, et afficiunt quoque posteros ejus et propinquos: habet enim peccatum multas hujusmodi pœnas quas vocant concomitantes, scilicet e peccato ac præsertim ex repetitis peccatis sponte sua oriundas.

Præterea, supremum Dominum, Legislatorem et Judicem Deum, propter peccata hominum positive infligere posse et alias pœnas etiam in vita præsente, quis negabit? Sed de malo pœnæ qua tali, infra dicetur.

Instabit aliquis dicens: Potest tamen Deus impedire mala naturæ, et, cum summe bonus sit, quare non impedit saltem ea quæ non consequuntur ex propria culpa peccanti, quæque patiuntur etiam innocentes, qui præterea plectuntur simul cum reis tum malis illis ex peccatis v. g. parentum vel aliorum sponte oriundis, tum malis positive a Deo, licet non directe insontibus, hominum communitati inflictis.

Ut accurate respondeatur, oportet distinguere primo diversos ordines quos Deus statuere potuit vel reapse constituit, atque secundo distinguere malum naturæ simpliciter tale, et idem malum quatenus rationem pœnæ induit.

Si homo fuisset suæ naturæ relictus, malis naturæ simpliciter talibus sive reus sive insons obnoxius fuisset, ut supra dictum est, neque ea universaliter impedire potuisset Deus nisi relicto ordine naturæ a se statuto; imo nec eximere a malis istis insontes, puta pueros, nisi in casibus particularibus, absque eo quod ordo turbatus fuisset continuo suspensis legibus naturæ. Quod autem attinet malum pœnæ sive peccatum concomitantis, sive positive a Deo inflictæ directe sontibus, indirecte innocentibus, istud malum rationem pœnæ habuisset sontibus, id est ipsis peccantibus et peccati alieni utcumque reis, plerumque numerosis, aliis vero non rationem pœnæ sed mali naturæ simpliciter, ut modo dictum est. Quid autem in his contrariari potest omnipotentiæ, sapientiæ, bonitative divinæ? Cæterum de malo pœnæ qua tali fusius jam dicetur, ubi agendum erit de ordine præsenti a Deo constituto.

Igitur, aliquatenus agnoscere valebimus quanta sit in nos divina bonitas, si inspexerimus ordinem quem reipsa instituit Deus supernaturalem, non enim reliquit hominem a se creatum in statu pure naturali.

Deus a principio hominem constituit non tantum omnibus suis elementis naturalibus integrum ac sanum, sed, *præter naturam*, ab omni malo physico seu naturæ

immunem, a morte, morbo, infirmitate quavis, et inde ab omni rebellione sensitivæ partis adversus rationem et voluntatem ; quem *statum integritatis* vocant (1). Id testatur *Sap.* I, 13-14: « quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Creavit enim, ut essent omnia: et sanabiles (i. e. salutiferas) fecit nationes (i. e. nascentia producta) orbis terrarum: et non est (erat) in illis medicamentum exterminii (venenum exterminans), nec inferorum regnum in terra (nec mors regnabat in terra). »

Porro superaddidit naturæ humanæ sic integræ dona *supra naturam* omnem creabilem ac vere divina, quibus homo constituebatur non jam servus sed amicus Dei, imo et per unionem mirabilem cum Spiritu sancto filius Dei adoptivus (2), ornatus et instructus cunctis illis donis supernaturalibus, quibus attingeret finem supra omnem naturam, nempe visionem Dei, soli Deo natura propriam, atque participationem beatitudinis ipsius celsissimæ Trinitatis.

Et hæc omnia concessit Deus non personæ Adami sed *naturæ humanæ* in Adamo, ita ut omnibus posteris ex eo nascituris transmittenda forent.

Annon summa hæc bonitas Dei erga hominem? Necdum tamen exhausta. Cum enim probare hominem jure merito voluerit Deus, ut quæ gratuito receperat, etiam propria sua fidelitate teneret homo adeoque et sibi pretiosiora effecta servaret, contra accidit, omniaque superbia sua ac inobedientia perdidit Adam sibi suisque posteris. Attamen Deus, iis omnibus præscientia sua præcognitis et præordinatis « in mysterio a sæculis abscondito primum suæ bonitatis opus decrevit per Verbi incarnationem sacramento occultiore com-

(1) Vid. *Medit. theol.*, parte I, cap. I, n. 4-7.

(2) Cf. *Disquisitio dogmatica de unione justorum cum Deo* etc. apud *Collat. Brugen.*, t. XV et XVI.

plere » (1), ita ut cantet Ecclesia : « Felix culpa quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem » (2).

Itaque, intuitu meritorum promissi Redemptoris restituit Deus personæ Adami pœnitentis, non vero naturæ humanæ dona stricte supernaturalia necessaria ad finem beatitudinis assequendum ; eademque singulis etiam posterorum personis rite dispositis concedenda, addita quoque, redemptione per Christum absoluta, adoptione in filios Dei (3). Atvero dona præternaturalia seu integritatis non reddidit Deus, ita ut homo post lapsum, licet reparatum, nihilominus in hac vita subjaceat cunctis malis physicis, et forte aliquantum gravioribus, quibus in statu puræ naturæ fuisset obnoxius ; eoque ipso eadem mala naturæ omnia, quibus nunc affligimur, rationem pœnæ induerunt pro omnibus Adæ posteris.

***

Sic deducimur ad considerandum magis in particulari *malum pœnæ qua tale,* an et quomodo illud velit et velle possit, ejusque auctor et causa sit vel esse possit Deus.

Jamvero malum pœnæ non vult Deus nec velle potest ut finem, ne finale quidem æternumque peccatoris impœnitentis supplicium. Licet enim hæc pœna æterna jam non sit damnato medium ad finem bonum, adeoque nec Deus possit illam velle ad finem correctionis ac conversionis damnati, ipsa tamen pœna *qua malum* damnati non est finis Dei in ea infligenda, sed reparatio ordinis violati quam justitia divina exigit, seu manifestatio divinæ justitiæ et sanctitatis, cui repugnat peccatum, maxime impœnitentis.

---

(1) Ex bulla dogmatica *Ineffabilis Deus* Pii Papæ IX, et cf. *Medit. theol.*, p. II, c. 2, n. 128 et sqq.

(2) In cantico *Exultet,* in off. Sabbati sancti. Cf. *Collat. Brugen.*, t. XIX, p. 426-429.

(3) Cf. *Collat. Brugen.*, t. XV, p. 444 et p. 513 et sqq.

Anvero Deus vult malum pœnæ qua tale ut medium ad finem bonum? Vidimus Deum ne ut medium quidem velle malum naturæ qua tale, præscindendo a ratione pœnæ, sed tantummodo illud velle per accidens, utpote natura conjunctum cum bono quod vult per se. Ast heic attende malum naturæ non esse malum ex integro et absolutum, sicut est malum morale seu peccatum, sed simul habere posse rationem boni illud patienti, utpote medium ad majus bonum obtinendum. Sic, qui amputat sibi membrum putridum ut servet vitam, vult ut finem, bonum vitæ, et ut medium tantum, amputationem. Jamvero mala naturæ, et in particulari qua pœnæ sunt peccati, media esse possunt multorum bonorum altioris ordinis. Sic pœna æterna, licet damnato finalis et perpetua nec ipsi jam habens rationem medii ad finem bonum, nihilominus Deo medium est ad reparationem ordinis et manifestationem suæ justitiæ et sanctitatis, ut diximus; sic autem habet rationem boni, adeoque et Deus eam velle potest et vult, non sub ratione mali, neque ut finem intentum, sed sub hac ratione boni qua medium est ad finem bonum quem vult et intendit. Ex quibus etiam intelliges Deum quoque auctorem dici posse et esse infernalis supplicii.

Quod autem mala naturæ attinet durante hac vita, ea non solum Deo sed et homini media sunt multiplicis boni celsioris ordinis. Sunt autem de facto in præsenti ordine, ut vidimus, pœnæ peccati, saltem originalis. Et hic attingimus mysterium istud aliquale doloris et miseriæ humanæ, quod a principio diximus esse propius inspiciendum, quo hauriamus multa bona in sanctificationem nostram Deique gloriam.

Dicimus: aliquale mysterium, quia primo intuitu humana miseria videri potest intellectu difficilis, eamque homines sæpe mirantur et ægre intelligunt; sæpe, eheu! impii de ea stulte loquuntur et ex ea ansam sumunt Deum blasphemandi. Occurrunt quidem in ea miranda quædam, sed quibus rite intellectis potius ad

Deo benedicendum gratiasque agendas, Eumque laudandum ac glorificandum inducimur.

Igitur, ex dictis habemus nulla unquam mala rationem finis intenti habere Deo, neque homini ea patienti; mala vero, quæ omnia in præsenti ordine pœnæ sunt originalis peccati, vel et personalium peccatorum, media esse ad finem altioris boni Deo, hominique pariter, omissis nunc damnatis, media esse posse multiplicis boni. Et hoc est quod nunc paulo fusius evolvendum et clariori in luce collocandum est.

Primo quidem, Deo fuerunt istæ pœnæ peccati medium seu conditio modi excellentissimi redemptionis mundi per passionem et mortem dolorosissimam Christi. Intuitu enim hujus quoque passionis et mortis, non restituit Deus homini dona præternaturalia, sed reliquit omnia mala naturæ in pœnam peccati. Quæcumque ergo bona præcellentia vel ipso ex modo redemptionis effluxere: exempla heroïca omnium virtutum in vita ac præsertim in passione Christi, demonstratio evidentissima malitiæ peccati et pretii animarum, manifestatio splendidissima divinarum perfectionum, omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, divinæque charitatis Christi, actus humanus omnium perfectissimus in martyrio Salvatoris (1): hæc omnia Deo fuerunt finis cur hujusmodi mala pœnalia voluerit, non restituendo integritatis statum.

Pari modo, Christo quoque medium fuerunt ista mala pœnalia ad redemptionem modo tam præcelso efficiendi, adeoque et summam gloriam accidentalem sibi promerendi. Et, notatu dignum, non obstiterunt summi dolores Christi beatitudini ejus essentiali ex visione beatifica, eo quod non fuerunt, sicut in damnatis, finale supplicium, sed fuerunt media, eaque transeuntia, et in sua potestate posita, atque ad finem quidem celsissimum gloriæ Dei ac suæ (2).

---

(1) Cf. *Medit. theol.*, p. II, c. II, n. 130.
(2) Cf. *ibid.*, p. III, *Introd.*, n. 12.

Rursum, eadem mala omnia pœnalia medium fuerunt ut homo magis sentiret culpam suam malitiamque ingentem peccati, quo magis ab eo abhorreret; ut fervidius adspiraret ad Redemptorem, hujusque merita sibi applicaret; ut homini offerrentur occasiones majorum meritorum (1).

Eadem mala Deo media sunt ad provocandam pœnitentiam, correctionem ac conversionem peccatorum; ad suscitanda plurima virtutum opera, patientiæ, spei ac fiduciæ in solo Deo, misericordiæ et charitatis hominum erga proximos; ad promovendam sanctitatem justorum.

Homini quoque proin media sunt omnia mala naturæ, omnis dolor, tristitia, anxietas, cunctæ hujus vitæ miseriæ ad expianda peccata, et luendas pœnas peccatorum, secus in altera vita durius luendas. Qua in re obiter adverte omnia mala hujus vitæ quasi nullius momenti esse in comparatione pœnarum alterius vitæ, et unum peccatum grave mereri æternum inferni supplicium. Præterea ad exercitia virtutum et majora merita homini, ut diximus, mala hæc pœnalia plurimum inserviunt, itemque ac præcipue ad eximiam sanctitatem conquirendam, non modo utilia, sed, præeunte Christo crucifixo, videntur in intentione divina omnino necessaria.

Hoc intellexerunt Sancti omnes, qui fuerunt ad unum omnes amatores crucis Christi, ita ut non solum mala et dolores hujus vitæ patienter tulerint, sed vehementer concupierint ac quæsierint pati, inter quos eximii quidam Crucis dilectores exclamabant, cum S. Theresia: aut pati, aut mori; et S. Joannes a Cruce, recte ita vocatus, cum a Domino interrogaretur quodnam cuperet laborum suorum præmium, respondit: Domine, pati et contemni pro Te. En mysterium dolorum humanorum, quomodo nempe fieri potuerit ut passiones

(1) Cf. *Medit. theol.*, p. I, c. I, n. 47.

acerbissimas et adversa omnimoda, naturæ adeo repugnantia, potuerint diligere sibique desiderare Sancti, imo, quoties non videbantur satis opprimi malis, novos sponte sibi infligere cruciatus : quoniam videlicet vividissime apprehendebant in omni dolore hujus vitæ rationem medii ad perfectionem sanctæ vitæ et gloriam Dei.

Utinam et nos intelligamus mysterium crucis Christi et miseriarum hujus vitæ : omnia mundi mala, excepto peccato, jam amaritudinem suam amitterent, omnis dolor converteretur nobis in gaudium, intuitu divinæ gloriæ, æternique gaudii et exultationis transitoriis illis doloribus nobis promerendi, monente Apostolo : « Id enim, quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis (1). » Qui et de seipso testatur : « Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra » (2).

Restat forte alicui difficultas ex parte dolorum quibus premuntur etiam infantes, qui nec peccati personalis nec meriti sunt capaces. Reputet nempe secum aliquis : intelligo omnia mala naturæ et pœnas a Deo inflictas merito cadere in adultos, quorum nullus est sine culpa personali, et qui, etiam abstrahendo a peccatis, uti possunt rebus adversis ad sanctificationem et salutem. Ast neutra conditio verificatur in parvulis.

Ad hoc adverte et istos infantulos infectos esse culpa originali : ideoque, si jure merito Deus non restituit homini lapso, etsi reparato, bona præternaturalia, infantes sicuti cæteros subjacere malis, nunc pœnalibus, quemadmodum in statu naturæ obnoxii fuissent malis naturæ, qua in re nihil vidimus obesse divinæ perfectioni ; et ista mala naturæ nunc quidem pœnas esse et ipsis parvulis, pœnas vero mere privativas bonorum

(1) 2 *Cor.*, IV, 17.
(2) 2 *Cor.*, VII, 4.

indebitorum. Quodsi patiantur etiam quædam ex peccatis personalibus parentum aliorumque hominum, et indirecte quoque ex pœnis a Deo hominum communitati ob horum crimina aliquando positive inflictis, id rursum, ex dictis, non potest objici sapientiæ ac bonitati Dei, qui servare vult supremum bonum universi ordinis, cui bono ex rerum natura conjungitur hoc malum. Præterea, infinita Dei sapientia et bonitas novit compensare hos dolores parvulorum majoribus bonis : ita, qui moriuntur infantes post baptismum, vel morte afficiuntur propter Christum, ut SS. Innocentes, quorum festum agit Ecclesia, statim transeunt absque ullo merito personali ad æternam beatitudinem. Qui vero sine baptismo decedunt, docente fide frustrantur quidem beato fine, quod certe ingens malum est e peccato originali fluens, sed nulla pœna afflictiva ac sensibili afficientur atque felicitate quadam relativa, simili illi quæ in statu puræ naturæ fuisset, fruentur, ut merito docent theologi passim.

Præterea, parvulis tum his tum illis diversa gaudia pro mensura, imo et ultra mensuram malorum, quæ passi fuerint in brevissima vita sua, Deum optimum et justum concessurum esse non sine ratione conjicitur.

Ex his omnibus jure meritissimo concludimus Deo esse benedicendum gratiasque agendas etiam mediis in tribulationibus, Eumque esse humiliter adorandum et laudandum in decretis inscrutabilibus sapientiæ Ejus.

Nequaquam tamen ex iis sequitur nos prohiberi quin in angustiis ad Deum recurramus, imo supplicationibus tum privatis tum publicis petamus ut Deus nos a malis etiam temporalibus præservet aut ab iisdem nos eripiat, quod quidem luculenter demonstrabit tractatulus *De processionibus ecclesiasticis* celebris theologi Henrici Gorcomiensis, quem tractatum in sequentibus edemus inter nostra *Analecta ascetica et mystica.*

† G. J. Episc. Brugen.

RESPONSA

ad quæstiones in Conferentiis mensis Augusti-Septembris propositas.

—

I

Q. *In ordine ad difficultates in sequentibus conferentiis examinandas, institue comparationem inter ea quæ apud quatuor Evangelistas referuntur circa apparitiones Christi redivivi suis discipulis et Apostolis.*

R. Factum historicum resurrectionis Christi potissimum probatur ex eo quod, testibus potissimum Evangeliis nostris canonicis, Actibus Apostolorum, Epistolis quoque S. Pauli aliorumque Apostolorum, Jesus pluries seipsum redivivum ostenderit. Unde non mirum has varias apparitiones a Rationalistis tanquam mere legendarias et fabulosas haberi, quasi nihil objectivi in istis omnibus haberetur. Quam thesim suam vario modo demonstrare conati sunt, variisque argumentis fulcire; potissimum vero et unanimiter arguunt ex iis quas prætendunt contradictionibus et incohærentiis quibus narrationes evangelicæ in istis apparitionibus referendis pullularent, et in quibus detegere se putant vestigia eorum stadiorum per quæ legenda de resurrectione Jesu pedetentim se evolvit.

Harum incohærentiarum nonnullæ jam supra fuerunt occupatæ (1), istæ nimirum quæ spectant ea quæ de *piis mulieribus* referuntur in Evangeliis; manet, pro rei momento et difficultate latius agendum de iis quæ ibidem legimus circa apparitiones Christi *suis discipulis et Apostolis*. Quare prius, in hoc responso, præ oculis

(1) *Collat. Brug.*, t. XIX, pp. 435 ss., 499 ss.

ponenda sunt et mutuo comparanda ea quæ in singulis Evangeliis enarrantur; in sequentibus vero responsis præcipuas difficultates exinde motas examini subjiciemus.

Cæteris Evangeliis breviora sunt ea quæ **S. Matthæus** refert: ipse enim, explicite saltem, de *una tantum* apparitione mentionem facit, facta undecim Apostolis, eamque reponit *in Galilæa*, in monte aliquo ipsis a Jesu constituto; hinc quoque apparet hanc apparitionem non posse reponi nisi *aliquo temporis spatio post resurrectionem* ipsam, spatio np. saltem illo quod itineri isti in Galilæam instituendo requirebatur; de hac apparitione notatur Apostolos adorasse Jesum, quosdam vero, primis sane momentis tantum, *dubitasse;* quos omnes Jesus alloquitur, mandatum prædicandi et baptizandi eis committens, eisque adjutorium suum perenne promittens.

Quæ vero **S. Lucas** refert, non tantum prolixiora multoque magis determinata sunt quam quæ apud Matthæum invenimus: Lucas enim *trium saltem apparitionum* mentionem facit, — sed sat multum ab iisdem discrepant: ipse enim omnia quæ narrat *in Jerusalem* ejusque vicina *Judæa* reponit, eorumque plura, imo prima saltem specie omnia describit quasi in eodem isto loco et in ipsa die resurrectionis absoluta fuerint: audimus enim Jesum hac ipsa die visum fuisse a S. Petro (XXIV, 34), legimus Jesu apparitionem duobus discipulis in Emmaus tendentibus circa vesperam ejusdem diei (vv. 13 ss.), usquedum tandem Jesus hoc eodem vespere subito apparet Apostolis suis *undecim* aliisque discipulis (v. 38): hisce hæsitantibus, provocat Jesus ad realitatem corporis sui, coram ipsis manducat et prophetias Veteris Testamenti in passione et resurrectione sua impletas esse ostendit; eis mandatum prædicandi committit, jubetque eos manere in civitate usque ad adventum Spiritus sancti; tandem eos extra civitatem Jerusalem versus Bethaniam educit, ibique in cœlum ascendit. — Porro inter hæc omnia nulla

notatur intercessisse mora temporis, adeoque speciem habet quasi hæc omnia, ipsa quoque ascensio Christi, *in die resurrectionis* ipsius locum habuerint et *in Jerusalem* cique vicina Judæa absoluta fuerint.

Quod jam **S. Joannem** spectat: de apparitione quadam soli Petro facta nil habet, imo prima specie videri posset ipsam excludere, iis np. quæ notat in c. XXI, v. 14; hoc vero misso, sicut Lucas, reponit apparitionem Jesu Apostolis suis *vespere diei resurrectionis* et in ipsa *Jerusalem*, qua occasione Jesus ipsis ostendit manus et latus, sane hic quoque in confirmationem suæ resurrectionis; sed explicite notat Joannes non undecim, sed deficiente Thoma, decem tantum adesse Apostolos, Jesumque iterum, octo dies postea, iis omnibus, ipsi quoque Thomæ apparuisse cique ostendisse vulnera sua. Post hæc narrata in c. XX, ponitur quasi *conclusio* Evangelii: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus...;* et tamen reassumpta narratione, in c. XXI refertur Jesu apparitio quædam tertia pluribus ex Apostolis suis, *in Galilæa,* ad mare Tiberiadis, qua occasione Petrum investit suprematia sua et de sorte futura Petri et Joannis agit.

Quod tandem spectat Evangelium **S. Marci,** in c. XVI, vv. 1-8 refertur eodem modo quo apud Matthæum mandatum Angeli a mulieribus ad Apostolos deferendum ut irent in *Galilæam ibique* Jesum viderent, quasi Jesu apparitiones discipulis suis in sola Galilæa locum habuissent; — in parte vero finali, vv. 9 ss., schematice et compendiose referuntur facta quæ apud alios Evangelistas invenimus reposita *in Jerusalem et Judæa:* Jesu apparitionem Mariæ Magdalenæ, apparitionem duobus discipulis in Emmaus tendentibus, et tandem uno versiculo dicitur Jesum novissime apparuisse undecim eisque exprobrasse suam incredulitatem; hac quoque occasione eos alloquitur eodem sermone quem Matthæus refert, iisque dictis in cœlum ascendit.

Scholion. Ex dictis apparet non semper ita facile fore, primo aspectu, mutuo componere has varias narrationes, et ex iis potuisse desumi varias *objectiones* contra fidem historicam Evangeliis nostris agnoscendam. Has objectiones revera moverunt *Rationalistæ*, easque, ut diximus, per modum argumentorum introducunt in generalius quoddam systema quo totam traditionem circa resurrectionem Christi qualis in primitiva Ecclesia viguit, quasi meram legendam, per varia stadia pedetentim exortam et adauctam, explodere conantur. — Cujus systematis summa capita hic indicemus (1):

Primum stadium totius evolutionis fuerit fides Apostolorum, in aliquam vitam Jesu spiritualem et gloriosam apud Deum, fides in Jesum exaltatum in gloria et potentia apud Deum, interea tamen spirituali quodam modo præsentem et agentem inter suos eisque spiritu suo assistentem (2). — Inde brevi *visiones*, per *hallucinationes* productæ, quibus putabant sese Jesum videre in ista sua vita immortali. — Has mere subjectivas visiones Petrus primo, deinde alii Apostoli et discipuli habuerunt in *Galilæa*. — Regressi autem in Jerusalem et Judæam hanc vitam Jesu immortalem easque apparitiones prædicant, multosque ad Christum convertunt. — Uno alterove anno postea, ipse *Saulus* hujusmodi visionem hallucinatam habuit, et ipse quoque credidit in vitam istam gloriosam Jesu, et ad ipsum conversus est. — Istæ hallucinationes omnes, sicut et fides ipsa per illas causata, *omne dubium excludebant*.

Stadia ulteriora ex primo isto stadio facile effluxerunt. Etenim:

Brevi hanc impropriam resurrectionem Jesu ad vitam immortalem et gloriosam intellexerunt, juxta ideas Judaicas illius temporis, de reanimatione *corporis* Jesu, adeoque de *resurrectione sensu proprio*.

Hinc quoque obvie eo devenerunt ut apparitiones Jesu

(1) Illud systema, prout a MEYER, *Die Auferstehung Christi*, 1905, propugnatum fuit, per summa capita expositum et refutatum habes apud LADEUZE, *La résurrection du Christ devant la critique contemporaine*.

(2) Sic LOISY, *Autour d'un petit livre*, p. 120: Primo initio « la résurrection fut la foi à la vie immortelle du crucifié, bien plus qu'au fait initial qui est suggéré à notre esprit par le mot de résurrection ». Cfr. p. 169.

reponerent, non post regressum Apostolorum in Galilæam, sed jam in ipsa *Judæa* et *Jerusalem*, et ab *ipsa die resurrectionis*.

Totum rei processum magis concretum et materialem exhibendo obvie excogitaverunt mulieres itinerantes ad *sepulchrum*, illudque *vacuum reperientes*.

Ast obvium fuit Apostolis in prædicatione sua occurrere auditorum dubia et incredulitatem: quid magis obvium quam ut, ex scopo apologetico, excogitarent seipsos *Apostolos prius dubitasse* et incredulos fuisse, eosque *signis indubiis* fuisse ad plenam persuasionem adductos: Jesus seipsum præbuerat tangendum et palpandum, Jesus coram ipsis manducaverat, Jesus coram eis panem fregerat, etc. (1). — Eodem quoque scopo apologetico, ad refellendos Judæorum objectionem: Apostolos np. furto abstulisse corpus, excogitaverunt *custodiam militum* circa sepulchrum positam.

A. VANDER HEEREN.

II

De divisione theologiæ.

Q. *Expone qua ratione theologia dividatur* 1/ *in* theoreticam *et* practicam, 2/ *in* speculativam *et* positivam.

R. I. Ratione *materiæ* dividitur theologia in theoreticam et practicam: *theoretica* quæ etiam *dogmatica* dicitur ea est quæ ut immediatum objectum habet ipsum Deum in se ipso, in sua vita, suisque operationibus *ad extra* consideratum; *practica*, quæ et *moralis* dicitur, ea est quæ ut immediatum objectum habet ea quibus dirigendi sunt actus humani in ordine ad finem ultimum (2).

---

(1) LOISY, *Les Évangiles synoptiques*, t. II, pp. 176 ss.

(2) Cf. KLEUTGEN, *Institutiones theologicæ*, V. I, *De ipso Deo*, Ratisbonæ, 1881, n. 37; JANSSENS, *Prælectiones de Deo*, Romæ, 1899, p. 3; BOUQUILLON, *Theologia moralis fundamentalis*, Brugis, 1890, p. 4, qui scribit: « Hinc recte theologia moralis definiri posse videtur: legum et mediorum, quibus homo, ad ordinem supernaturalem elevatus, dirigitur et adjuvatur ut juxta Dei ordinationem vivat et ad salutem perveniat, scientia revelationi innixa... Objectum *immediatum* constituunt regulæ operationibus præscriptæ et media ad operandum data... Objectum *mediatum* constituunt actus humani ».

Quæ ut melius intelligantur notemus sequentia:

1. Theologia proprie dicta seu supernaturalis, universim spectata, definitur: rerum divinarum ex divina revelatione comparata scientia (1). Objectum illius theologiæ est vel ipse Deus vel aliquid ad Deum spectans, ita ut Deus sit illud unum ad cujus perfectam nobis ingerendam notitiam ultimo ordinentur omnes prædictæ scientiæ considerationes, ideoque Deus sit *subjectum attributionis* theologiæ.

Jamvero inter cognoscibilia, circa quæ versatur prædicta scientia, alia nobis manifestant quid sit ipse Deus, quomodo *ad intra* operetur, quomodo et quæ sit operatus *ad extra:* hæc omnia homo ut vera contemplatur et sunt objectum theologiæ *theoreticæ;* alia vero nobis manifestant quomodo dirigendi sint actus humani in ultimum finem, nempe in ipsum Deum: hæc sunt objectum theologiæ *practicæ.*

Ex dictis apparet theologiæ applicari distinctionem quæ statuitur de scientia universim sumpta: « *speculativa* est [seu *theoretica*] quæ sistit in veri *contemplatione; practica,* quæ verum cognitum *ulterius ordinat ad directionem operationis.* — Quo itaque practica dicatur scientia, non sufficit eam *ab ipso sciente* forsitan ordinari ad quidpiam inde lucrandum vel consequendum; nec sufficit *scientiam ipsam promovere operationem qualitercumque;* sed requiritur ut *ipsius scientiæ dictamen sit norma operationem idealiter præformans ac dirigens* » (2). Inde licet theologia dogmatica aptissima sit qua augeatur in nobis charitas aliæque virtutes et licet ad hunc finem acquirenda sit nobis (3), non tamen ideo fit practica.

2. Ex dictis patet theoreticam et practicam theologiam non esse specifice diversas scientias, sed unius

(1) Cf. suprà, p. 570.

(2) De Jaegher, *Institutiones philosophicæ*², Rollarii, 1914, n. 184.

(3) Cf. Mahieu, *Probatio charitatis*², Brugis, 1914, p. 22 s.

ejusdemque scientiæ duas partes, intime connexas (1). Imo unus alterve tractatus sub alia et alia consideratione et ad theoreticam et ad practicam theologiam pertinere dicendus est: v. gr. tractatus *de gratia*. S. Thomas hunc tractatum ponit in parte morali seu practica *Summæ Theologiæ*, quia sub nomine *gratia* designantur supernaturalia et intrinseca principia actuum humanorum qui et quatenus dirigendi sunt in ultimum finem supernaturalem (2). Potest tamen etiam ad theoreticam seu dogmaticam theologiam referri tractatus de gratia, quatenus hujus objectum est complexus donorum supernaturalium quæ sunt in nobis participatio vitæ divinæ et quatenus abstractio fit ab officiis specialibus quæ inde homini imponuntur.

Si ad invicem comparantur theologia *theoretica* et *practica* huic præstat illa. « Dogmatica enim versatur circa objectum fidei primarium et principale, nempe Deum in se ipso in sua vita suisque operationibus consideratum, dum moralis versatur circa objectum fidei secundarium, scilicet Dei servitium, hominis in Deum directionem. Præterea moralis dogmaticæ tota innititur: sane si Dei personalis existentia, creatio hominis, lapsus, Incarnatio Verbi et redemptio non admittantur, tota statim ruit moralis christiana; si prædictæ veritates imperfecte explicentur, simul moralis christiana corrumpitur. Et hæc est ratio cur quævis hæresis, quodvis falsum systema theologicum, suum in

(1) « Moralis doctrina cum dogmatica multis in locis ita cognata ac concreta est, ut divelli nisi violenter non possit; ut in quæstionibus de sacramentis, de gratia, justificatione et merito, de fine hominis etc., sed ea quoque, quæ separari non incommode queunt, altera ab alteris illustrantur. Quare præstat secundum veterum morem utramque in unum doctrinæ corpus redigere ». KLEUTGEN, *o. c.*, n. 37.

(2) Cf. ILLmus AC REVmus WAFFELAERT, *De virtutibus cardinalibus, Tr. I, De prudentia*, etc., Brugis, 1887, p. III-XXX ubi exponitur totus ordo et nexus rerum quæ a S. Thoma in *Summa theologiæ* docentur; JANSSENS, *o. c.*, p. 78.

regulis vitæ influxum habuerit » (1). Ex dictis intelligitur cur theologia, quæ est *una* scientia, si integra consideratur, sit magis theoretica quam practica, uti docet S. Thomas (2).

II. Ratione *muneris quo fungitur* theologia distinguitur in *speculativam* et *positivam*. Positiva eruit ac statuit veritates a Deo revelatas vel ab Ecclesia propositas. Speculativa, a/ demonstrata dogmata perscrutatur, b/ quæ in iis sunt inclusa aperit, c/ nexum, quo inter se vincta sunt, ostendit, d/ ad alia ex iis cognoscenda progreditur: ita doctrinam sacram facit esse totum logicum ac scientiam totalem (3).

Explicatio. 1. Prædicta divisio æque dogmaticam ac moralem (4) respicit: utraque enim veritates revelatas statuere debet et deinde illa ulterius perscrutari necnon illis uti tamquam præmissis conclusionum, eaque omnia in ordine logico componere. Patet etiam non nisi *fide* præsupposita haberi posse *theologiam* sive speculativam, sive positivam: ad theologiam non pertinet cognitio mere historica quam quis etiam incredulus, habere potest de facto quod talis textus exprimit talem propositionem (5).

2. Theologia positiva, quum tamquam munus proprium habeat, stabilire quænam sint *de facto* veritates

(1) Bouquillon, *o. c.*, p. 8.

(2) *Sum. theol.*, I, Q. I. a. 4. — Hoc etiam notemus: « Etsi ad consequendam salutem magis conferat virtutem colere quam de ea aliisque rebus sacris docte disserere, non sequitur magis pertinere ad *doctrinam* sacram virtutum officia quam divina mysteria explicare aut majus quiddam esse vitæ sanctioris præcepta quam Deum ipsum cognoscere. Quare si major dicta est charitas fide aliisque donis, non tamen scientia charitatis major est scientia mysteriorum ». Kreutgen, *o c.*, n. 27.

(3) Cf. Franzelin, *De divina Traditione et Scriptura*, Roma, 1870, p. 619 s.; Kleutgen, *o. c.*, n. 38; Coconnier, in *Revue thomiste*, 1903, t. X, p. 629 ss.; Gardeil, *Le donné révélé et la théologie*, Paris, 1910, p. 215 ss.; Hugon, in *Revue thomiste*, 1910, t. XVIII, p. 652 ss.

(4) Cf. Bouquillon, *o. c.*, n. 15.

(5) Inde alterius speciei cognitio est *historia theologia* et alterius theologia positiva. Cf Hugon, *o. c.*, p. 655.

revelatæ vel ab Ecclesia propositæ non est per se sola *scientifica* (1): ibi enim tantum habetur ratio scientiæ, ubi est cognitio *conclusionis in præmissis e quibus infertur*. Etiam solus complexus omnium veritatum a Deo revelatarum vel ab Ecclesia propositarum non est quædam *scientia totalis*, quia illæ veritates nondum sunt *ordinatæ* in totum logicum *sub principiis a quibus dependent* (2). Ad integram theologiam cognoscendam requiritur cognitio tum positivæ, tum speculativæ: sed in ratione scientiæ principalis est speculativa.

3. a/ Ad positivam maxime necessaria est *eruditio*, quæ est cognitio monumentorum cujuscumque generis (sive scriptorum, sive pictorum, etc.) et factorum quæ ex illis cognoscuntur: quæ cognitio dirigitur per *hermeneuticam* et *criticam* (3). Ad speculativam maxime requiritur *metaphysica*, tum generalis, tum specialis. Sed quandoque etiam ad alias scientias est recurrendum, præsertim in confutandis erroribus.

b/ Ad utramque, sc. speculativam ac positivam, omnino requiritur *logica*. Hæc enim non solum necessaria est ad rite inferendas conclusiones, easque ordinandas, sed etiam, plerumque saltem, ad facta et ad sensum textuum stabilienda: hoc non fit absque multis ratiociniis. Nec minus est periculum erroris in ratiocinando circa existentiam facti vel interpretationem textus, quam in ratiocinando circa judicia speculativa. Etiam fieri potest ut quædam quæstiones ad positivam spectantes difficiliores solutione sint quam quædam quæ ad speculativam pertinent. Inde hoc etiam notemus quod si dicitur positivam theologiam per se solam non esse scientiam, hoc non dicitur quatenus esset cognitio

(1) Cf. suprà, p. 570.

(2) Ideo « Enchiridion » quod continet, ordine chronologico, symbola, definitiones, declarationes Magisterii Ecclesiæ non est ipse tractatus *scientificus theologiæ*, licet requiri possit ad conficiendum tractatum scientificum theologiæ.

(3) Cf. De Jaegher, *o. c.*, n. 165.

facilis obtentu, vel quæ non supponit scientificas cognitiones, sed hoc dicitur quia est *talis naturæ* ut objectum proprium sit mere stabilire factum contingens: v. gr. quod hæc veritas, quia in talibus monumentis expressa, sit a Deo revelata vel ab Ecclesia proposita.

c/ Ad theologiam (tum speculativam, tum positivam) pertinet etiam refutare objectiones quæ contra asserta proponuntur et errores convellere: hoc est munus *polemicum*.

Adnotatio. 1. Ex dictis patet vocabuli *speculativa* sensum esse alium quando speculativa distinguitur a positiva et alium quando speculativa distinguitur a practica. Ut vitetur confusio distinguatur *theoretica* a practica.

2. Duplex theologiæ munus quod nunc indicatur per vocabula: speculativa et positiva, describebatur a S. Thoma his verbis: « Quædam disputatio ordinatur ad removendum dubitationem an ita sit; et in tali disputatione theologica utendum est auctoritatibus, quas recipiunt illi quibus disputatur. [Hæc est *positiva* theologia]... Quædam vero est disputatio... ad instruendum auditores ut inducantur ad intellectum veritatis quam intendit: et tunc oportet rationibus inniti investigantibus veritatis radicem et facientibus scire quomodo sit verum quod dicitur: alioquin si nudis auctoritatibus magister quæstionem determinet, certificabitur quidem auditor quod ita est; sed nihil scientiæ vel intellectus acquiret, sed vacuus abscedet. [Hæc est *speculativa* theologia] » (1).

J. Van der Meersch.

(1) *Quodlibetum* IV, q. IX, a. 18.

III-IV

De Contractibus in Genere. IV.

Q. *Expone notionem et distinctiones* metus *relate ad contractum ineundum.*

R. Cum ex ipsa notione contractus, qui est conventio in effectum juridicum, omnimoda necessitas consensus eluceat ut pactum cum obligatione stricti juris existere possit, jam post explicatas illas partes *intellectus* quæ ad illustrandum consensum prærequiruntur, de partibus nunc ipsius *voluntatis* dicendum venit. Oportet porro ut actus illarum voluntatum quæ contractum incunt internus sit et verus, deliberatus et liber, mutuus et simultaneus, et tandem etiam externus.

Jamvero *metus,* de quo nobis nunc sermo, plenæ libertati consensus obstare natus est, ut reflectenti patet; ideoque de ipso ejusque influxu hic inquirimus.

Notio.

Undecumque autem oriatur: sive ex violentia physica quæ jam adhibetur et porro timetur adhibenda, sive ex violentia morali per minas plerumque illata, sive ex alia quavis causa, definiri potest metus ex jure Romano: *trepidatio mentis, futuri et instantis periculi causa.*

Statim quidem apparet hominem metuere posse, non tantum propter malum sibiipsi directe imminens, sed etiam propter malum seu periculum imminens propinquis suis: malum enim suorum quisque qua suum pertimescit; illudque in jure etiam civili (art. 1113) expressis verbis attenditur (1).

---

(1) Cf. MABILLE, *Droit Civil* (autographie), III, p. 30: « L'article 1113 fait du reste remarquer qu'il n'est pas indispensable que la violence soit exercée sur la partie contractante elle-même; il suffit qu'elle soit pratiquée « sur son époux ou sur son épouse, sur ses descendants ou sur ses ascendants ».

Cet article n'est pas limitatif. Il se pourra donc que la menace pratiquée sur le frère ou sur l'ami du contractant, ou même sur une personne

Multum autem refert varias metus *distinctiones* apte discernere, cum pro diversa natura graduque ipsius diversificetur et influxus ejus in contractum.

Distinctiones.

1/ Jamvero, metus primum distinguitur, juxta communem loquendi modum, in *gravem et levem*, prout timetur sive malum grave simul et instans seu valde probabiliter imminens, sive contra malum leve tantum, aut si grave, facile tamen vitatu (1). Profecto fieri potest ut metus ad extremum perveniens rationis usum omnino tollat, ita ut nesciat contrahens quid agat, vel saltem ut timor eam deliberationem impediat quæ ad peccatum mortale committendum requiritur; sed hoc per accidens tantum et raro contingit.

Porro, metus gravis subdividitur in *absolute et respective gravem*.

Prior causari dicitur a malo ita gravi et instanti ut vir constantis etiam animi inde graviter trepidare natus sit: puta si agatur de proximo vitæ periculo, de gravi vulnere, de notabili fortunæ jactura, de infamia magna etc. Posterior autem est levioris mali quod virum

---

qui lui est étrangère, soit de nature à vicier le consentement. Mais, tandis que la loi établit comme une présomption *juris et de jure* que le danger dont se trouvent menacées les personnes indiquées à l'article 1113 produit sur le contractant la même crainte qu'une violence directement dirigée contre lui, dans tous les autres cas elle exige de l'intéressé la preuve des troubles de la volonté, d'après les principes du droit commun ».

(1) Apposite Carrière, *De Contractibus*, I, n. 67: « Duo in metu sunt attendenda, malum quod timetur, et trepidatio mentis quæ inde oritur; ex utraque parte potest metus esse gravis vel levis. In ordine ad consensum seu voluntarium, evidens est attendendum esse ad trepidationem mentis; sed in ordine ad forum externum, cum in se vix possit cognosci qualis fuerit trepidatio, præcipue attenditur ad malum quod imminebat, et sic præsumitur qualis fuerit metus. Unde rigorose loquendo, vis dicenda esset gravis aut levis, pro natura mali intentati; metus vero, pro natura impressionis inde in anima exortæ, adeo ut metus gravis diceretur gravis trepidatio, metus vero levis, levis trepidatio; attamen in communi loquendi modo, metus gravis dicitur, quando malum grave est et imminens; levis autem, quando malum est leve aut parum probabile ».

quidem constantem non vehementer conturbet, perturbat tamen graviter contrahentem, ratione suæ ætatis aut sexus sive conditionis. Subjective sane potest quis graviter trepidare propter imminentiam levis etiam mali, sicut vice-versa leviter tantum commoveri per grave quoddam instansque periculum.

Jus quidem civile ad metum objective levem non attendit; metum vero absolute gravem, temperato jam rigore juris Romani, illum ait qui est mali « notabilis et præsentis », et proinde talis ut sit « capax commovendi personam sensatam et rationabilem »; deinde addit metum respective gravem etiam esse attendendum (art. 1112). Quæ legales determinationes, addita jurisperitorum doctrina, cum statim dictis satis cohærent.

Tamen « in foro externo, quod de internis et subjectivis non judicat, metus gravis sive absolute sive respective æstimatur ex parte objecti seu mali imminentis sive absolute sive respective gravis; adeoque non attenditur metus objective levis, etiamsi subjective gravis sit trepidatio mentis..... Si vice-versa malum objective grave sive absolute sive respective nonnisi leviter commovisset, in foro externo metus gravis censeretur adesse » (1).

Adde quæstionem utrum hic vel ille metus practice gravis fuerit necne, ex lege judici relinqui dirimendam; ex jure vero naturæ judicio prudentum.

2/ Secundo, metus alius est *ab intrinseco*, alius *ab extrinseco*. « Metus ab intrinseco dicitur, qui incutitur a causis naturalibus, ut a morbo, tempestate, feris etc.; ab extrinseco, qui a causa extrinseca *libera:* ut idcirco quoties non adest causa extrinseca libera incutiens metum, metus ab intrinseco dicatur » (2).

3/ Præterea metus ab extrinseco *justus* est vel *injustus*, prout causa extrinseca libera quæ ipsum incutit jus habet necne ad inferendum malum quod minatur.

---

(1) Illmus Waffelaert, *De Justitia*, I, n. 381-382.

(2) Ballerini-Palmieri, *Opus Morale*, III, n. 624.

Advertendum est autem metum sive justum sive injustum tum ab alterutro contrahente in alteram partem, tum etiam a tertio quodam injici posse.

4/ Tandem, metus ab extrinseco sæpius *ad finem obtinendi contractum* dirigitur, ut facile quisquis intelligit; quandoque tamen *alius finis* intenditur: puta si quis, nihil cogitans de contractu, inimicum velit occidere ut vindictam de ipso sumat, isteque metuens offerat pecuniam.

Porro, si absque metu conventio non fuisset inita, ut plerumque contingit, contractus fieri dicitur *ex metu:* et quidem *directe ex metu*, si ille in ordine ad extorquendum consensum fuerit incussus; *indirecte ex metu,* si ad alium finem vis illata sit (1).

Q. *Determina influxum* metus gravis *in contractum.*

R. In præsenti quidem responso de contractibus *ex metu* factis agitur, de illis scilicet quibus metus aut causam dedit aut certe præbuit ansam ita ut vel absque illo pactum non fuisset initum, vel si alia sunt motiva contrahendi, voluntas saltem ita propter metum consentit ut etiam demptis aliis motivis contraheret: dempta enim hujusmodi causalitate, « metus qui nec sufficiens nec necessaria fuit causa contractus hunc non vitiat (2), sed obligat ad damna reparanda » (3), si utique fuerit injustus. Attamen, priusquam de hoc metu *sive absolute sive respective gravi* sermo fiat, notandum est punctum quoddam prævium:

Nimirum, metus gravis per accidens *tollens usum rationis* sive hanc deliberationem auferens quæ ad peccatum mortale contrahendum necessario requiritur, omnium consensu contractum *inexistentem* efficit. Cum

(1) Cf. VERMEERSCH, *Quæstiones de Justitia,* n. 308.

(2) Nisi per accidens, ut statim notabimus, usum rationis perturbet ita ut nesciat metuens quid agat.

(3) Cf. VERMEERSCH, ibid., n. 308.

enim in contractibus agatur de strictis juribus producendis transferendisque, nequeunt profecto ea quæ sub alicujus dominio constituebantur hoc pacto amitti, simulque nequit hoc modo obligatio stricta de novo suscipi absque consensu qui sit actus perfecte humanus.

Verum, cum metus ita mentem perturbans rarissime contingat, in illo non amplius est immorandum. Per se enim metus etiam gravis consensum internum ex toto humanum relinquit, utut externa coactione extortum: dum scilicet aliquis, imminente malo, contractum quemdam qua medium evadendi voluntarie eligit (1). Et revera illud quod per metum fit simpliciter voluntarium est (2), ut docet S. THOMAS; quamvis plerumque sit simul involuntarium secundum quid, id est si supponatur malum instans non imminere. « Sic autem hoc quod fit per metum, est voluntarium, inquantum scilicet est hic et nunc, prout scilicet in hoc casu est impedimentum majoris mali quod timebatur; sicut projectio mercium in mare fit voluntarium tempore tempestatis propter timorem periculi. Unde manifestum est quod simpliciter voluntarium est; unde et competit ei ratio voluntarii, quia principium ejus est intra. Sed quod accipiatur id quod per metum fit, ut extra hunc casum existens, prout repugnat voluntati, hoc non est nisi secundum rationem tantum; et ideo est involuntarium secundum quid, id est, prout consideratur extra hunc casum existens » (3).

Unde ad quæsitum respondetur:

1/ Metus gravis *injuste* incussus *ab altero contrahente*,

---

(1) Cf. VERMEERSCH, ibid., n. 311.

(2) Quod ita tamen intelligatur oportet ut simul possibilitas salvetur præbendi consensum *fictum*, seu externum tantum. Et sane valet quis, metu pressus, verbis aut signis consensum fingere quem tamen interne nullatenus præstat; illaque ratio agendi medium se tuendi adversus injustam coactionem esse poterit.

(3) I-II, q. 6, art. 6.

jure naturæ *rescindibiles* reddit ad nutum læsi contractus *onerosos* dissolubiles (1).

Non quidem, ut aliqui voluerunt, inexistentes inde contractus ejusmodi efficiuntur (2); nam cum præstitus consensus vere humanus fuerit et voluntarius, quamvis non ultroneus, nihil jam hac parte desideratur ut obligatio dicenda sit nata (3).

Verum, ob efficacem jam injuriam ab uno contrahentium in alterum illatam, rescindibilitas ad nutum læsi asserenda est: ubi enim metum gravem passus per alterum contrahentem sua contrahendi vel non contrahendi libertate, suoque jure ad ultroneum consensum injuste privatus est, et ita quidem ut hæc injusta coactio necessaria vel sufficiens causa fuerit contractus, ibi profecto damnum efficaciter illatum reparandum habet pars quæ metum incussit, restituendo alteri plenam libertatem (4). Ceteroquin ex propria secus injuria injustus frequenter reportaret emolumentum.

---

(1) Quoad contractus *indissolubiles* ut est matrimonium, ad jus canonicum remittimus et ad Ill. Waffelaert, ibid., n. 378; simulque monemus inspiciendas esse regulas canonici juris quoad illos etiam *dissolubiles* contractus qui juri positivo Ecclesiæ subduntur: ut sunt donationes pro causis piis etc., sicubi ex metu injusto fierent.

(2) Ad rem De Lugo, *De Justitia et Jure,* disp. 22, n. 116: « Objiciunt primo, quia metus tollit consensum; nihil enim tam contrarium consensui est, quam vis atque metus..... Respondetur, metum opponi consensui omnino libero ea libertate quæ opponitur coactioni, non ea libertate quæ opponitur necessitati, et quæ sufficit ad simpliciter voluntarium et liberum ».

(3) Modo sane consensus non fictus, sed vere internus fuerit datus, ut per se contingit: et insuper modo contractus versetur *circa materiam aptam.* Sic profecto inexistens foret contractus metu extortus de perpetrando homicidio: non quia metu initur, sed quia est de materia turpi. Sic etiam omnino invalidus esset contractus cum injusto quodam vexatore factus, ut iste pro certo pretio ab injuriosa vexatione cesset; « nam abstinere ab injuria est res ex stricta justitia debita, quæ pretio vendi nequit ». Marres, *De Justitia,* III, n. 91.

(4) Si quis ergo metu gravis mali vicinum suum injuste coegerit ad aliquam venditionem, non potest sive sententiam judicis annulantem, sive alterius contrahentis reclamationem expectare; « sed etiam non rogatus injuriam a se illatam et omne damnum exinde exortum reparare

Potest ergo metum passus, si velit, stare contractui, illoque casu pars altera definitive obligabitur (1); potest etiam contractum resilire, si malit, nullam judicis sententiam expectans; et insuper de omnibus quæ forte passus est damnis pars injusta tenebitur.

Porro, consonat *jus civile*, relativam heic *nullitatem* decernens, etiamsi forte metus ex malo non ipsi directe contrahenti, sed propinquis ejus imminente incussus fuerit (art. 1113); equidem concorditer cum jure naturæ (2).

Perinde est autem utrum absolute vel relative gravis fuerit metus de quo agimus; ratio enim allata, necnon lex civilis, utrumque casum respiciunt.

Perinde est etiam, de jure saltem naturæ, utrum illa pars quæ metum injustum incussit contractum intenderit sic obtinendum necne: efficax enim fuit injuria; at heic lex civilis in priore tantum hypothesi nullitatem concedit (3).

2/ Ulterius, metus gravis, *ad extorquendum consensum injuste* incussus a *tertio* quodam, altera parte non con-

---

debet. Re igitur nondum tradita, aut rescissionem contractus offerre debet, aut illius obligationem non urgere; si res jam sibi tradita est, illam, si fieri potest, reddere debet, aut contractum ad æqualitatem ex justitia debitam reducere, et omne damnum ex rei traditione natum ultro reparare; quæ obligatio tantum gravis est, quando versatur circa materiam gravem, i. e. si grave damnum alteri exinde nascitur ». MARRES, ibid., n. 92.

(1) Notandum tamen est sententiam quæ contractum in casu *inexistentem* declarat, esse extrinsece saltem probabilem; unde secundum illam non teneretur metum incutiens ad contractum observandum, etiamsi læsus ipsi stare vellet. Semper tamen ad compensationem damnorum, si quæ sint, adstrictus maneret.

(2) Si tamen contractus hujusmodi a læso deinceps, cessante jam metu, libere fuerit confirmatus, ex jure civili (art. 1115) simul et naturali irrevocabilis fiet. *Sola* vero præscriptio temporis ad judicem appellandum utilis, quæ etiam hoc articulo legis sancitur ad contractum firmandum, generatim in conscientia non sufficiet, jam propter absentiam bonæ fidei apud lædentem requisitæ.

(3) Cf. MABILLE, ibid., p. 27-28.

nivente (1), jure naturæ *forte rescindibiles* reddit contractus *onerosos* dissolubiles, jure vero civili illos efficit *nullos* (art. IIII).

De jure nempe naturæ utrimque probabiliter controvertitur : aliis, contractum hujusmodi firmum declarantibus sub obligatione reparandi damna, ut in simili casu de dolo dictum est; aliis vero rescindibilitatem affirmantibus propter diversa motiva, quorum aptius æquitas naturalis esse videtur, quæ per se consensum satis ultroneum requirit, et proinde in nostro casu rescindibilitatem ad nutum læsi postulat, quantum fieri potest sine detrimento majoris boni communis (2).

Lege vero civili *nullitas* pronuntiatur; illaque legalis annulabilitas, modo in datis circumstantiis indubiæ sit

---

(1) Profecto, secundum dicta sub 1°/, si altera pars injustitiæ tertii *participem* se præbeat sive positive sive etiam negative, v. g. vim non cohibendo quam ex stricta justitia a contractu repellere debebat, jure naturæ *rescindibilis* erit contractus ejusmodi ex metu gravi initus, etiamsi forsan metus ille ad finem extorquendi consensum incussus non fuisset. Ita, data hypothesi salarium currens opificum in quadam regione vere injustum esse propter communem taxationem patronorum qui debito minus solvunt, rescindibilis esset *per se*, ad nutum læsi, contractus laboris; quia necessitate coactus, seu ex metu injusto pejoris damni contraxisset opifex, et injuriæ particeps fuisset dominus.

(2) Cf. VERMEERSCH, ibid., n. 312: « Contra enim æquitatem naturalem per se foret ut quis per consensum metu extortum modo immutabili e sua re, e suo jure concideret; idque eo magis foret iniquum, quo contractus natura sua postulat magis ultroneam voluntatem vel minus alteri parti detrimentum ex rescissione est pertimescendum. Omnes enim sentiunt, esse etiam per se de ratione dominii, quæ huc spectat ut liberum tribuat rei usum, pactiones fieri ex consensu satis ultroneo; idque potissimum esse necessarium in iis quarum causa est animus benefaciendi, vel quibus ipsa personalis libertas aliquo modo alienatur. Hinc ergo bonum commune exigit de se ut verus consensus sit efficax; illinc tamen æquitas vult, præsertim in donationibus et matrimonio, ut consensus ille sit ultroneus. Apta ratio hæc conciliandi erit ut contractus ex metu injusto facti valeant quidem, non tamen sint absque novo consensu firmi, nisi obstet vel ipsa indoles contractus qui rescindi non potest vel prævalens detrimentum alterius partis, ut contingeret si in contractu oneroso metus levis, a tertio incussus, opponi posset parti quæ injuriæ non fuit particeps. »

applicationis, jam sufficit ut ante sententiam judicis pars læsa per seipsam contractum juste resiliat (1). De damnis autem semper tenetur metum injuste incutiens.

Quodsi vero injustus metus a tertio *ad alium finem* præter consensum extorquendum incussus fuerit, communis tunc sententia contractum onerosum jure naturæ firmum proclamat, modo nec particeps injuriæ fuerit altera pars, nec in materia inepta contractus versetur: et hæc quidem sententia bono communi consona apparet. Cogita hominem ab inimico injuste invasum, qui prætereuntis auxilium promissa pecunia implorat. Manet ipsi profecto, ad sua resarcienda damna, actio contra suum aggressorem; manet etiam pretium, si forte excessivum promissum fuerit, ad mensuram justi reducendum esse; sed et validus et firmus est ipse contractus ex jure naturæ, firmus pariter ex jure civili (2).

3/ Insuper, metus gravis *injustus quicumque* jure naturæ *rescindibiles* reddit contractus dissolubiles *gratuitos*.

Non quidem, ut contra plures probabilius autumamus, inexistentes dicendi sunt hujusmodi contractus, quasi ob defectum liberalis animi omnis causa contra-

---

(1) Cf. SALSMANS, *Rechtelijke Plichtenleer*, n. 198. Cum tamen sententia tenens jure naturæ firmum esse hujusmodi contractum etiam sit intrinsece probabilis, potest hoc casu alter contrahens, modo injustitiæ tertii nullatenus fuerit particeps, contractui ex justitia stare *usquedum sententia judicis interveniat*. « Ex. gr. quando Petrus injustum Antonio metum intulit, ut equum parvo pretio Joanni, *suo in commercio socio*, venderet, Joannes nullum lucrum ex contractu injusta hac via comparatum accipere potest, imo rescissionem contractus ultro offerre, et omne damnum alteri per injuriam illatum reparare debet; sed si Joannes nullatenus, neque positive neque negative Petri actionis particeps fuit, venditum sibi equum retinere potest, donec contractus judicis sententia fuerit rescissus ». MARRES, ibid., n. 96.

(2) Ita, « si quis propter injustum inimicorum metum domum suam in patria vendidit, aliamque alibi emit ut secure ibi vivat, uterque venditionis et emptionis contractus firmus reputandus est ». MARRES, ibid., n. 98.

hendi in his deficiat: « etenim qui vere consentit in contractum, vult finem intrinsecum obligationis quæ pertinet ad hunc contractum. Vult ergo gratis dare, etsi illa intentio non proficiscitur ab animo sponte sua benevolo. Quotiens autem contingit ut dona fiant parum libenter, sincere tamen, quia usus cogit, spes alicujus utilitatis id suadet! » (1).

At certe jam postulat æquitas naturalis bonumque commune (ut et de efficaci injuria non loquamur) plenam in gratuitis contractibus spontaneitatem; indeque rescindibilitas in dissolubilibus profecto sequitur, quoties gravis injustusque metus causam dedit contractui. Adde ratione injuriæ damna quæcumque, exinde causata, esse reparanda.

Practice vero, cum in ejusmodi contractibus a sola promittentis sive donantis parte suscipiatur obligatio, eaque ad nutum ipsius solubilis sit, perinde res est ac si jam ab initio pactum inexistens fuisset.

In lege vero nostra: « non distinguitur expresse inter contractus onerosos et gratuitos, quod tamen fit ubi de dolo agitur; advertunt vero jurisperiti requiri majorem libertatem et spontaneitatem in hisce quam in illis; adeoque et facilius agnoscet judex metum saltem respective gravem » (2).

4/ Tandem, metus gravis *ab intrinseco* vel *ab extrinseco juste* incussus contractum in utroque jure *firmum* relinquit, dummodo in materia apta versetur (3).

Etenim de jure primum naturæ talis contractus non est infirmus: « quia contrahens, quamvis cum quadam repugnantia egerit, tamen voluntarie et prudenter, ut sibi commodum procuret, obligationem contractu in se suscepit. Præterea cum injuria contrahenti nulla fuerit

(1) VERMEERSCH, ibid., n. 313.

(2) ILLmus WAFFELAERT, ibid., n. 382.

(3) Et hoc probabilius etiam valet casu quo metum juste incutiens non habeat intentionem minas suas exequendi. — Cf. ILLmum WAFFELAERT, ibid., n. 379.

data, neque ex hoc capite contrahenti plena sua contrahendi libertas restituenda est; proinde obligatione quam voluntarie suscepit obligatus manet. Ita..... si quis in naufragio aut incendio metu correptus alteri pecuniæ summam offert, ut se ab illo periculo eripiat, postea, ubi illius ope incolumis evasit, promissam pecuniam solvere debet, dummodo justum pretium operæ præstitæ non excedat.....

Sed additum fuit: dummodo contractus in materia apta versetur; hinc, si cum ipso magistratu, cujus est reum persequi, a fure de pecunia eadem conditione ut ad judicem non deferatur pactum fuit, contractus de causa turpi haberetur » (1).

Jus autem positivum, addita jurisperitorum interpretatione, rursus heic consonat; supponit vero nullum fieri abusum medii in se legitimi; secus enim injustus iterum posset evadere metus (2).

E. Hosten.

VI

De Sequentia Dies iræ.

Q. *Paucis indica originem et argumentum Sequentiæ* Dies iræ. *In quibusnam missis dicenda vel cantanda est? An semper integre?*

R. De liturgico planctu *Dies iræ* scripserunt, studio licet diverso, auctores innumeri, litterarum aut asceseos, liturgiæ

---

(1) Marres, ibid., n. 82-85.

(2) Ad rem Mabille, ibid., p. 30-31 : « Si la crainte sous l'empire de laquelle on a contracté, est produite par l'exercice régulier d'un droit, on ne peut prétexter de violence. On ne peut cependant pas dire que l'emploi de ces voies de droit ne constituera jamais une violence, car il peut y avoir exercice abusif d'un moyen en soi légitime ». — Cf. etiam Aubry et Rau, *Cours de Droit Civil français*, IV, par. 343 bis : « Si l'emploi ou la menace d'emploi d'une voie de droit avait été en fait, pour l'un des contractants, un moyen d'intimidation mis en œuvre dans le but abusif d'arracher à l'autre des avantages excessifs, la contrainte morale qui en est résultée pourrait être reconnue suffisante pour motiver l'annulation du contrat ».

aut musices peritissimi (1). Qui omnes uno ore maximis encomiis celebrarunt hunc hymnum « latinissimum et ab alia quavis lingua alienum » qui, ut aiunt, « uno omnium consensu sacræ poëseos summum decus et Ecclesiæ latinæ Κειμήλιον est pretiosissimum » (Daniel), quique « inter gemmas instar adamantini est et singularis stat in sua excellentia » (Coles) et est « maxime sublimis inter omnes non inspiratos hymnos » (2).

I. **Argumentum.** In scriptura divinitus inspirata invenit auctor planctus sui fundamentum, in prophetia nempe qua Sophonias (I, 14-16) directe prænuntiat punitionem regni Judæ: « Juxta est *dies Domini* magnus, juxta est velox nimis; vox *diei Domini* amara, tribulabitur ibi fortis. *Dies iræ dies illa,* dies tribulationis et angustiæ; *dies calamitatis et miseriæ*, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, *dies tubæ* et clangoris super civitates munitas et super angulos excelsos ».

Quæ verba pius auctor, duce traditione jam antiqua (3), sæpius sane meditatus erat ut descriptionem saltem typicam « diei Domini » supremæ quæ « solvet sæclum in favilla », ut tenet fides christiana una cum traditione judaica (David) et gentili (Sybilla). Hac fide illustratus viderat et intimis visceribus senserat quæ in sequentibus parco sed vividissimo colore graphice

---

(1) Inter recentiores videri possunt: H. T. Henry, Cathol. Encyclop. v° *Dies iræ,* et in *Americ. Ecclesiastical Review,* apr. 1890, p. 247-261; E. Clop, *La prose* Dies iræ *et l'ordre des Frères Mineurs* (*Rev. du chant Grégorien,* t. XVII, (1907-1908), p. 46-53); A. Gastoué, *Les origines du « Dies iræ »* (*Études Franciscaines,* t. XX (1908), p. 399-405, de quo cf. *Collat. Brugen.*, t. XIV, p. 545; J. J. G. Boelen, *Dies iræ* (*Studiën,* d. 74, (1910) p. 159-183); *Collat. Brug.*, t. XI, p. 332-336.

(2) Hæc citantur ap. H. T. Henry, *Cath. Encycl.*

(3) V. g. S. Hieronymus, *Comment. in Sophon.* Compara responsorium (sæc. X): « Libera me Domine de morte æterna in *die illa* tremenda, quando... *Dies illa dies iræ, calamitatis et* miseriæ, dies magna et *amara* valde... ». Ceterum jam ab Apostolis dies judicii vocatur « *dies Domini* » (I Thess., V, 2; II Thess., II, 2; I Cor., III, 13; II Petri, II, 10), « *dies iræ* » (Rom., II, 5; Apoc.. VI, 17).

depingit: omnium scilicet tremorem instante judicis adventu (2ª str.) (1), tubæ clangorem (3ª str.) (2), stupendum resurgentis humanæ naturæ miraculum (4ª), libri rationis prolationem (5ª) et ipsius judicii ineluctabile examen ac inflexibilem sententiam (6ª).

Cujus visionis mirabilem in modum hucusque descriptæ, sensit ipse vividum influxum et exclamat:

Quid sum, miser, tunc dicturus,
Quem patronum rogaturus,
Cum vix justus sit securus?

Quam logice, quam pie adducit hæc transitio alteram sequentiæ partem, quæ tota est in supplici veniæ et misericordiæ efflagitatione: non jam terrore sed pœnitentia et fiducia plenus se vertit ad Salvatorem Jesum orans: « Jesu pie », ne vana sint Incarnatio (tua via), vita et mors quas mei causa suscepisti (8-9); ante judicium ergo donum fac remissionis (10); pœnitenti mihi ac supplicanti parce, Deus (11), qui olim peccatoribus ignoscens mihi quoque spem dedisti (12), quæ nititur non meis meritis sed tuæ misericordiæ (13); et in ultimo judicio locum mihi præsta inter oves (14); una cum benedictis (15).

Quam longam supplicationem absolvit oratio quæ vere ut finalis haberi potest:

Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.

Miraretur nemo si hic absolveretur planctus ille qui in antiquo marmore Mantuano vocatur « meditatio vetusta ac venusta de novissimo judicio ». Sed ex improviso redit stropha 18ª ad primam ideam:

Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla

(1) Cf. Matth. XXIV, 29, ss.; XXV, 31, ss.; Marc. XIII, 24; Luc. XXI, 25.
(2) Cf. I Cor. XV, 52.

Judicandus homo reus:
Huic ergo parce Deus.

Tandem subsequitur supplicatio finalis pro omnibus defunctis :

Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem,

quæ nihil aliud esse videtur quam, in duplicem versum immutata, oratio qua solet Ecclesia absolvere omnes suas preces pro defunctis : « *Requiem æternam dona eis, Domine* ».

Attente consideranti hanc sequentiam patet primo, singulas 17 strophas priores constare tribus versibus trochaeis similiter in cadendo consonantibus ; in ultimis vero strophis, bini ac bini procedunt versus, quorum duo extremi carent consonantia finali.

Secundo, dum in prioribus 17 strophis nusquam intendit defunctos sed meditatur de judicio et *pro seipso* et *se solo* precatur, in versibus 52-55 consideratur « homo judicandus reus » in genere, et « *huic* » h. e. omni homini, non sibi soli rogat ut Deus parcat ; tandem versus 56-57 diserte intendunt *omnes defunctos* et « *eis* » requiem efflagitant.

Tertio, quod cantum spectat, dum priores strophæ binæ ac binæ procedunt et successive triplex motivum musicale repetunt, quasi ex abrupto mutatur omnino cantus inde a versu 52 *Lacrymosa*.

Ex quibus pronum videtur suspicari sequentiam *Dies iræ* compilatam esse ex aliquo planctu originali, cui accesserunt tum quatuor versus 52-55 *Lacrymosa*, tum versus 56-57 : *Pie Jesu*.

II. Originem hujusmodi, pro tribus partibus diversam, confirmare videtur historia.

1° Ex una enim parte vix dubium esse potest prosam seu sequentiam *Dies iræ* confectam esse sæc. XIII in Ordine Franciscano. Nam ante sæc. XV nulla cognoscitur ejus attestatio extra hunc ordinem, sed jam medio sæc. XIII inveniuntur tria saltem documenta liturgica

ad usum Fratrum Minorum, in quibus textus *Dies iræ* cum notatione musicale prostat (1). Unde multum roboratur opinio — nunc communiter admissa — Fratris Bartholomæi Pisani s. XIV scribentis: « Frater *Thomas a Celano*... prosam de mortuis, quæ dicitur in missa, scilicet *Dies illa dies iræ* dicitur fecisse » (2). Quod minime repugnat cum ingenio Thomæ a Celano, († ca 1255-1259) discipuli et socii S. Francisci, qui latinissimo calamo conscripsit *Vitam* Patris sui Francisci et in honorem ejusdem composuit sequentiam *Sanctitatis nova signa*, quam hodiedum cantant Fratres Minores.

2/ Ex alia parte additio *Pie Jesu* deest in Breviario a S. Clara nuncupato, quod videtur antiquissimum ex tribus præfatis documentis; adest vero præfata invocatio in aliis fere coævis.

3/ Tandem fragmentum *Lacrymosa* jam exstabat ante sæc. XIII, quum D. A. Gastoué (3) illud invenerit in manuscriptis (nn. 12041 et 12042) bibliothecæ Nationalis Parisiensis, quæ sunt sæc. XI et XII. Inseritur hæc phrasis in modum versus in responsorio *Libera me* sub hac forma: « *Lacrymosa dies illa, qua resurget ex favilla, judicandus homo reus, pro peccatis parce Deus* ». Nullum tamen cognoscitur documentum in quo inveniatur *Dies iræ* absque illo additamento.

Utrum prosa *Dies iræ* primitus concepta et adhibita fuerit ab initio in Missa tanquam proprie dicta « Sequentia » dubitari potest. Nam ex primæva institutione, Sequentia non est nisi litteraria et musicalis quædam extensio cantus Alleluia in fine Gradualis: jamvero Graduale et Alleluia in missis defunctorum deficiunt.

---

(1) Breviarium a S Clara nuncupatum Assisii in thesauro S. Damiani asservatum; Missale Franciscanum in Bibliotheca Neapolitana (ms VI. G, 38); fragmentum folii ex conventu Franciscano in Sicilia. De quibus cf. E. Clop, *art. cit.* p. 48-49.

(2) *De conformitatibus*, p. II, fruct. XI.

(3) *Art. cit.* p. 401.

Cèterum non agitur de defunctis et auctor de seipso solo loquitur (1).

Sed certe jam sæc. XIV, ut patet ex testimonio Fr. Bartholomæi Pisani, cantabatur prosa in Missa, a Fratribus Minoribus; a sæc. XV aliæ multæ ecclesiæ hanc praxim admiserunt et tandem Pius V præscripsit ut *Dies iræ* ad modum sequentiæ decantaretur in tribus prioribus Missis quæ pro defunctis exstant in Missali Romano, in « quotidianis » vero permisit ut « ad arbitrium sacerdotis » recitaretur vel omitteretur.

III. **In quibusnam missis?**

Hodie vero sequentia *Dies iræ* pertinet de rigore ad solemnitatem missæ tam extrinsecam quam intrinsecam (2).

Nam: 1/ de præcepto *cantari debet* in omnibus missis cantatis, *recitari* vero *debet* in omnibus missis lectis quæ sunt de diebus privilegiatis et quæ ideo celebrantur cum unica oratione, nempe in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, in die vel pro die obitus, aut post primum obitus nuntium acceptum, in diebus III, VII, XXX et anniversario;

2/ recitari *potest* sed non debet in omnibus missis lectis quæ non sunt de diebus privilegiatis et ideo *quotidianæ* nuncupantur.

Ita juxta decretum generale S. R. C. de die 30 jul. 1896, n. 3920, IV, cujus obligatio et sensus inculcatur decr. 21 maii 1897, n. 3956, ita ut de vi obligandi universali hujus præscriptionis dubitari nequeat.

Nec invocari potest *consuetudo* contraria. Nam S. R. C. constanter rejecit consuetudinem etiam immemorialem non cantandi ea quæ ex regulis liturgicis

(1) Sub hoc respectu comparari potest *Dies iræ* cum alio planctu qui pariter auctorem Franciscanum, nempe Jacopone di Todi, habet, quique similiter adhibitus fuit ut « sequentia » primo in Ordine Franciscali et dein in ecclesia universali, scilicet *Stabat mater*.

(2) Cf. de utraque solemnitate *Collat. Brugen.*, t. XIV, p. 626-627.

canenda sunt: ita v. g. in decretis nn. 2424[2]; 3365[1], 3624[11]: in hoc ultimo decreto declaravit « *consuetudinem* de qua in casu, *veluti abusum prorsus eliminandam esse* ». Recentiori tempore his accessit decretum 3 jul. 1904.

IV. **Integre** cantanda est sequentia *Dies iræ*.

Nullibi enim conceditur facultas partem aliquam omittendi. Olim quidem diœcesi Briocensi concessum fuerat « aliquas strophas sequentiæ *Dies iræ* cantores prætermittere posse » (in antiq. collectione n. 5208, ad 12), sed hoc indulgebatur « pro speciali dispensatione » et hæc ipsa concessio expuncta fuit ex decreto citato in nova collectione (nunc n. 3029).

Contrà, quum peteretur ut S. C. R. « permittere saltem dignaretur » consuetudinem « immemorabilem » ut « in missis defunctorum prætermittatur *cantus saltem integræ sequentiæ Dies iræ* et Offertorii » respondit S. R. C.: « *vel non celebrandas missas defunctorum vel canenda esse omnia quæ precationem suffragii respiciunt* » (n. 2959, 2). Et subsequenti decreto n. 3051, 1, rejecit novum effugium, declarando quod « verba illa *precatio suffragii* includunt sequentiam *Dies iræ* ».

Tandem n. 4054, 6, respondit non sufficere « quod sequentia *Dies iræ* legatur tantum a celebrante » sed « debet etiam cantari a choro ».

Quæ omnia luculenter confirmantur Motu proprio Pii X, de Musica sacra, quod prohibet « textus liturgicos ex integro vel ex parte omittere » (n. 4121, III, 8; n. 4131).

Nihilominus ex decreto generali n. 3827, 2, possunt diversæ strophæ alternatim cantari et « *sub organis clara voce legi* » (1).

C. Callewaert.

---

(1) De iis quæ exposuimus sub n. III et IV, vide *Collat. Brugen.*, t. XI, p. 332-336.

S. Congregatio de Seminariis et de studiorum Universitatibus.

DUBIA (1).

Circa motu proprio « Doctoris Angelici » *et circa XXIV theses philosophicas a S. Congregatione Studiorum recognitas et approbatas.*

Cum Summus Pontifex Pius X, fel. rec., Motu Proprio *Doctoris Angelici,* edito die XXIX junii MCMXIV, præscripserit ut in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis quæ habent ex Apostolico Indulto potestatem gradus academicos et lauream in Sacra Theologia conferendi, Summa Theologica Sancti Thomæ tamquam textus habeatur, et cum Sacra Studiorum Congregatio vigintiquatuor theses philosophicas, sibi ad examen propositas, germanam S. Thomæ doctrinam continere, die XXIX julii ejusdem anni, declaraverit, sequentia dubia ad hanc S. Congregationem de Seminariis et Studiorum Universitatibus delata sunt:

I. Utrum Summa Theologica S. Thomæ habenda sit in Scholis de quibus supra, uti textus consultationis, vel uti textus prælectionum, saltem quoad partem scholasticam?

II. Utrum omnes vigintiquatuor theses philosophicæ, a Sacra Studiorum Congregatione probatæ, germanam S. Thomæ doctrinam revera contineant, et, in casu affirmativo, utrum imponi debeant Scholis Catholicis tenendæ?

His dubiis E^mi^ ac R^mi^ DD. Cardinales hujus S. Congregationis, in plenario cœtu, habito diebus XXII et XXIV, mense februario hujus anni, ita responiendum censuerunt:

Ad I. Summa Theologica S. Thomæ habenda est uti textus prælectionum quoad partem scholasticam quæstionum; ita scilicet ut, una cum aliquo textu, qui ordinem logicum quæstionum indicet et partem positivam contineat habeatur præ manibus et explicetur Summa Theologica quoad partem scholasticam.

---

(1) *Acta Apostolicæ Sedis,* t. VIII, 1916, p. 156.

Ad II. Omnes illæ vigintiquatuor theses philosophicæ germanam S. Thomæ doctrinam exprimunt, eaque proponantur veluti tutæ normæ directivæ.

Die XXV, eodem mense eodemque anno, SSmus Dominus Noster Benedictus PP. XV, in audientia infrascripto Secretario impertita, sententiam Emorum Patrum suprema sua auctoritate ratam habuit et confirmavit.

Datum Romæ, die VII martii, in ipso festo S. Thomæ, an. MCMXVI.

L. ✠ S. CAJETANUS CARD. BISLETI, *Præfectus.*
† Jacobus Sinibaldi, Ep. Tiberien., *Secretarius.*

Adnotatio. Præcitatæ responsiones confirmant ea quæ statuta fuerant a Pio PP. X in Motu proprio « Doctoris Angelici » de studio doctrinæ S. Thomæ Aquinatis in Scholis Catholicis promovendo (1).

1. In illo documento, dato *pro Italia et insulis adjacentibus*, jusserat Summus Pontifex ut in Scholis quæ habent ex apostolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in Theologia conferendi, Summa Theologica S. Thomæ tamquam prælectionum *textus* haberetur et latino sermone explicaretur.

Idem nunc imponitur vi responsionis suprà citatæ : in qua ulterius nunc adjungitur rite fieri ut, simul cum S. Thomæ textu, adhibendo quoad partem *scholasticam*, habeatur alius textus qui ordinem logicum quæstionum pertractandarum, v. gr. in singulis Tractatibus, indicet, et etiam *positivam* partem contineat.

Obligatio adhibendæ Summæ Theologicæ S. Thomæ ut *textus* prælectionum non imponitur nisi Scholis habentibus potestatem gradus academicos et lauream in Theologia conferendi et existentibus in Italia et insulis adjacentibus. Sed dubitari nequit quominus Summus Pontifex exoptet ut ubique terrarum prædicta docendi methodus adhibeatur in *Universitatibus* (2).

Quoad *seminaria* omnia, philosophia ac theologia sunt docendæ ad mentem divi Thomæ. Hæc obligatio imponitur

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 590 ss.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 601.

vi canonis 1366, § 2, qui in *Codice Juris Canonici* sic sonat: « Philosophiæ rationalis ac theologiæ studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertractent ad Augelici Doctoris rationem, doctrinam et principia eaque sancte teneant ».

2. Ut autem S. Thomæ doctrina et majora principia, quæ *philosophiam* et maxime *metaphysicam* continent, omnibus, qui studio illius materiæ operam dant, innotescant, Sacra Studiorum Congregatio approbaverat vigintiquatuor theses philosophicas utpote rite exprimentes Sancti Thomæ principia et pronuntiata majora et proinde sancte tenendas (1).

Circa illas theses versatur responsio ad secundum dubium propositum. Respondet porro Sacra Congregatio omnes illas vigintiquatuor theses philosophicas germanam exprimere S. Thomæ doctrinam: cui decisioni contradiceret ille qui asseveret aliquam ex prædictis thesibus non exprimere germanam S. Thomæ doctrinæ. Illa porro contradictio, ut videtur, est illicita: nam si S. Congregatio habet veram potestatem seu *jus* declarandi illas theses exprimere germanam S. Thomæ doctrinam, sequitur in subditis *obligatio* adhærendi prædictæ decisioni et, regula saltem generali, adhærendi assensu interno (2).

Sed si tenere oportet illas theses exprimere germanam S. Thomæ doctrinam, non imponitur *obligatio* adhærendi ipsis thesibus seu admittendi illas ut certo veras: hoc constat ex altera parte responsionis ad secundum dubium. Fuerat enim quæsitum utrum, in casu quo theses illæ germanam S. Thomæ doctrinam contineant, illæ *imponi* debeant Scholis Catholicis *tenendæ*. Hoc negat S. Congregatio dicendo: proponantur illæ theses veluti *tutæ normæ directivæ*.

Illæ igitur theses sunt habendæ ut majora principia quæ philosophus vel theologus tuto admittit et sequitur in acquirenda cognitione philosophiæ ac theologiæ: non autem tenetur illis thesibus adhærere, nec illas docere. Imo propositiones illis thesibus contradictoriæ non proscribuntur, sed controversiæ circa illas, quæ vigebant ante S. Congregationis declarationem, licitæ remanent. Attamen quum

(1) Cf. *Collat. Brug.*, suprà, p. 596 et p. 602.
(2) Cf. *Collat. Brug.*, t. XIV, p. 420 s.

theses illas proponi ab auctoritate Ecclesiæ tamquam *normas directivas* in acquirenda cognitione philosophiæ ac theologiæ sit res magni momenti, oportet ut catholici philosophiam vel theologiam docentes speciali cura attendant ad illas approbatas theses earumque sensum et demonstrationem inquirant, nec ullam rejiciant nisi innixi argumento quod ipsis videatur gravissimum.

J. Van der Meersch.

DOCUMENTS DE JURISPRUDENCE JUDICIAIRE.

I

TRIBUNAL CIVIL DE LIÉGE

9 janvier 1914 (1).

PRESBYTÈRE. — PROPRIÉTÉ COMMUNALE. — FABRIQUE D'ÉGLISE. — DOMAINE PRIVÉ COMMUNAL. — ACQUISITION PAR PRESCRIPTION.

(FABRIQUE D'ÉGLISE D'OUGRÉE, — C. SOCIÉTÉ D'OUGRÉE-MARIHAYE ET COMMUNE D'OUGRÉE, — C. FABRIQUE D'ÉGLISE D'OUGRÉE ET SOCIÉTÉ D'OUGRÉE-MARIHAYE.)

JUGEMENT.

LE TRIBUNAL; — Attendu que, par exploit en date du 27 septembre 1910, la fabrique d'église d'Ougrée a donné assignation à la Société anonyme d'Ougrée aux fins d'entendre condamner celle-ci à comparaître, dans les trois jours du jugement à intervenir, en l'étude de Me Vandenberg, notaire à Liége, à l'effet de passer, conjointement avec la requérante, acte authentique de la vente convenue entre parties, le 11 avril 1910, pour le prix de 82,000 francs, de certains immeubles constituant le presbytère d'Ougrée; s'entendre, en outre, condamner à lui payer les intérêts légaux sur la somme de 82,000 francs, à partir du 11 avril 1910, ou tout au moins à partir du jour de l'assignation, ainsi qu'une somme de 3,000 francs, à titre de dommages-intérêts;

Attendu que, sous la date du 22 novembre 1910, la commune d'Ougrée adressa au tribunal une requête d'intervention basée sur ce que la fabrique d'église d'Ougrée n'est pas propriétaire du presbytère; que cette propriété lui

(1) *Pas.*, 1914, III, p. 134 ss.

appartient et lui fait défense d'en disposer, défense qui fut notifiée à la défenderesse Société d'Ougrée-Marihaye;

Que, dans ces conditions, celle-ci refusa de passer l'acte de vente que la fabrique d'église voulait lui imposer;

Attendu que, pour arriver à la solution du litige, il importe, en tout premier lieu, d'examiner à qui appartient le presbytère d'Ougrée;

Que diverses juridictions ont été, à de nombreuses reprises, appelées à se prononcer sur la question de propriété des presbytères et qu'elle fut définitivement tranchée par un arrêt de la cour de cassation du 11 novembre 1886, en faveur des communes, jurisprudence qui fut dans la suite adoptée par les cours et tribunaux;

Attendu, néanmoins, que la fabrique d'église d'Ougrée prétend que si même elle doit être suivie en principe et que si elle ne trouve pas son titre dans la loi, elle a acquis la propriété du presbytère par la prescription trentenaire;

Attendu qu'à ce moyen la commune répond que nul ne peut prescrire contre le domaine public et qu'un presbytère communal affecté au logement d'un ministre du culte a une destination publique et fait partie du domaine public communal;

Attendu que ce domaine se compose de deux espèces de biens, les uns ressortissant de son domaine public, lesquels sont imprescriptibles, les autres contenant son domaine privé auxquels il y a lieu d'appliquer les mêmes règles de droit qu'aux biens des particuliers et qui, dès lors, peuvent être acquis par prescription;

Qu'il échet, en conséquence, d'examiner dans quelle catégorie il faut ranger les presbytères;

Attendu que le domaine public de la commune, ainsi que l'enseigne unanimement la doctrine, se compose de tous les biens à l'usage du public et dont la collectivité peut user à tous moments, tels les places et chemins publics, les promenades, l'hôtel communal, l'église paroissiale, un port, une fontaine, un abreuvoir, etc.; que vis-à-vis de ces biens nul ne peut prétendre exercer un droit privatif, qu'ils sont donc hors du commerce et soumis à la règle de l'article 2226 du Code civil;

Qu'à côté de cette catégorie s'en range une seconde sou-

mise aux règles de droit commun et dans laquelle il faut ranger les presbytères;

Qu'en effet, ainsi que le reconnaissent sans réserve la doctrine et la jurisprudence, si ceux-ci sont affectés à un service public en ce sens qu'ils sont destinés au logement des ministres du culte, encore est-il qu'ils ne sont pas à l'usage du public en ce sens que tous et chacun ne peuvent en user librement, que leur jouissance a un caractère essentiellement personnel puisque seuls peuvent en jouir les ministres du culte, au même titre qu'un locataire;

Que, dans ces conditions, il est incontestable que le presbytère d'Ougrée faisant partie du domaine privé de la commune, il est susceptible d'acquisition par la prescription trentenaire;

Attendu que, ce premier point établi, il échet d'examiner encore si une fabrique d'église peut acquérir par la prescription;

Attendu que ce tribunal, par un jugement du 7 juin 1890, a consacré l'affirmative pour un bien similaire, « un cimetière abandonné » susceptible de propriété privée; qu'il y est dit que « le droit d'acquérir par usucapion un bien de cette nature dérive pour les fabriques d'église, comme pour les autres corps moraux et les particuliers, du droit qu'elles ont d'en acquérir la propriété soit à titre gratuit soit à titre onéreux, qu'aussi l'article 2227 du Code civil porte-t-il, non seulement que les établissements sont soumis aux mêmes prescriptions que les particuliers, mais qu'ils peuvent également les opposer, qu'il suit donc de ce texte que le sort des personnes civiles, parmi lesquelles figurent les fabriques, est réglé par le droit commun, qu'il s'agisse de prescription acquisitive ou de prescription extinctive »;

Que déjà la cour de cassation, par son arrêt du 28 mars 1878, avait solutionné la question dans le même sens et que LAURENT (t. XXXII, n° 11) et TROPLONG (art. 2227, n° 196) émettent un avis identique;

Attendu que, ces points de droit acquis aux débats, il reste à examiner si la possession dans le chef de la fabrique a réuni les conditions voulues pour parvenir à l'usucapion; que celle-ci doit être continue et non interrompue, paisible, publique, non équivoque et à titre de propriétaire;

Attendu que la fabrique, à l'appui de son système, produit d'abord un acte de cession fait par elle le 11 juin 1847 et par lequel elle vend à l'État une parcelle de 14 ares 88 centiares à prendre dans le jardin du presbytère et destinée à la construction du chemin de fer de Liége à Namur, ainsi qu'une convention d'échange du 2 avril 1848 entre elle et la famille Radelet, pour la partie du même jardin séparée par la voie ferrée du presbytère; que ces deux contrats furent revêtus de la forme authentique par acte du notaire Lambinon, de Liége, sous la date du 26 avril 1861;

Qu'il résulte des documents produits que c'est la fabrique qui traita directement avec l'État et la famille Radelet, qui figura à l'acte, qui toucha le prix de vente et la soulte que celle-ci avait à lui payer; qu'en agissant ainsi elle a fait acte de propriétaire sans équivoque possible;

Que d'autre part, les transformations qui se firent dans le jardin du presbytère, par suite de l'exécution des susdits contrats, furent tels qu'ils n'ont pu rester inconnus à la commune qui, non seulement ne souleva aucune protestation, mais laissa la fabrique agir à sa guise et même disposer du capital qu'elle avait touché;

Attendu que, postérieurement, la commune autorisa celle-ci à élever un mur le long de sa propriété et lui céda même à cette occasion 2 ares 21 centiares de terrain moyennant argent; que ce fait constitue une reconnaissance formelle du droit de propriété de la fabrique;

Qu'en 1888-1889 cette dernière, après un échange de vues entre la commune et le gouverneur de la province relativement à la propriété du presbytère, céda, sans observation nouvelle de la commune, une parcelle de celui-ci à la Compagnie du Nord à l'effet d'y construire une gare-abri;

Qu'en avril 1901 la fabrique fait avec la Société d'Ougrée-Marihaye l'échange d'un terrain provenant de la convention de 1848 et cela avec l'autorisation de la commune;

Qu'en fin 1902 elle fait de nombreuses modifications aux dépendances du presbytère en y élevant à ses frais deux salles de catéchisme;

